S.J.

BREVIARIVM ASCETICVM


Quotidianis per Annum
MEDITATIONIBVS ET LECTIONIBVS PIIS
de
DEO ET PERFECTIONIBVS DIVINIS,
CHRISTI, ac DEIPARÆ V. Vita & Excellentia
STVDIOQVE PERFECTIONIS CHRISTIANÆ
In Vſum & Commodum cujuſvis ſtatûs perſonarum.
(præſertim *SPIRITVALIVM*)
inſtructum

à Rndo P. IOANNE DREWS SOC. IES.
S. Theol. Doct. Pruteno-Varmienſi.

Adjuncti ſunt Indices Copioſi tum Rerum tum Concionum facile parabilium vel paratarum in triennium:
Cum Brevi Methodo amplificandi breviores textus S. Scripturæ & SS. Patrum.

PARS III. ÆSTIVA.

Continens Meditationes & Lectiones a Dom. Pentecoſtes ad Domin. XV. poſt Pentec.



Brunsbergæ Typis Collegij Soc. JESV.
Anno Sæculari M. DCC.


S. BERNARDI
DOCTRINA de SPIRITUALI
Lectione, Meditatione, Oratione & Contemplatione:
ex Tractatu de *Modo Orandi*,

qui dicitur

SCALA CLAUSTRALIS.

L*Ectio, Meditatio, Oratio & Contemplatio est Scala Claustralium* (quidni & sæcularium ?) *qua de terra in cœlum sublevantur, gradibus quidem distincta paucis, immensæ tamen & incredibilis magnitudinis: cujus extrema pars terræ innixa est; superior vero nubes penetrat, & secreta cœlorum rimatur.* *Est autem* LECTIO *sedula Scripturarum cum animi intentione inspectio.* MEDITATIO *est studiosa mentis actio, occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis investigans.* ORATIO *est devota cordis intentio in Deum pro malis amovendis, & bonis adipiscendis.* CONTEMPLATIO *est mentis in Deum suspensæ elevatio, æternæ dulcedinis gaudia degustans. Beatæ vitæ dulcedinem Lectio inquirit, Meditatio invenit, Oratio postulat, Contemplatio degustat. Unde ipse Dominus dicit: Quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Quærite legendo, & invenietis meditando. Pulsate orando, & aperietur vobis contemplando. Lectio quasi solidum cibum ori apponit, Meditatio masticat & frangit: Oratio saporem acquirit, Contemplatio est ipsa dulcedo, quæ jucundat & reficit.* Et infra:

Lectio quasi fundamentum occurrit primò, &, datâ materiâ, mittit nos ad Meditationem. Meditatio verò, quid sit appetendum, diligentiùs inquirit, &, quasi effodiens, thesaurum invenit & ostendit. Sed cùm per se obtinere non valeat, mittit nos ad Orationem. Oratio se totis viribus erigens ad Deum, impetrat thesaurum desiderabilem, Contemplationis suavitatem. Hæc autem adveniens prædictorum trium laborem remunerat, dum cœlestis rore dulcedinis animam sitientem inebriat. Hi autem gradus ita concatenati sunt, & vicariâ ope sibi invicem deserviunt: quod præcedentes sine subsequentibus aut raro, aut nunquam haberi possunt. -- Nam Lectio sine Meditatione arida est, Meditatio sine Lectione erronea, Oratio sine Meditatione est tepida, Meditatio sine Oratione infructuosa. Oratio cum devotione Contemplationis acquisitiva, Contemplationis adeptio sine Oratione aut rara, aut miraculosa. Ita egregiè Bernardus.



DOMINICA PENTECOSTES.

MEDITATIO : *DEI & CHRISTI summa Charitas in mittendo nobis Spiritu Sancto: DEIPARÆ V. submissio in ipso excipiendo.*



Dora DEUM O. M. & conſidera : quàm exuberante charitatis affectu hominibus communicârit, & etiamnum communicet, Spiritum Sanctum, tertiam Divinitatis Perſonam. Stupendo amoris exceſſu dilexerat mundum, quando Filium ſuum Unigenitum miſit in mundum, hominemq; fieri voluit, innumeris miſerijs expoſitum: at quòd inſuper Spiritum S. dare voluerit, poſtquam vidit Filium tam malè acceptum à mundo, tam crudeliter & ignominiosè ſpoliatum vitâ: amoris exceſſus eſt, quem nullus intellectus, divino inferior, cenſuiſſet fieri poſſe, niſi jam factus eſſet. *Sic Deus dilexit mundum!* Sic dilexit: ut non ſolùm Filium ſuum Unigenitum daret, ſuper omnia ſibi dilectum: ſed etiam ipſum conſubſtantialem ſibi Amorem infinitum, quo ſe & Filium amat, & amatur à Filio! Quis eſt noſter in DEUM amor? Quàm tenuis, momentaneus, vilis, frigidus? Et tamen etiam hunc ægrè rependimus. Veni S. Spiritus, & divini amoris in me ignem accende.

2. ADora D. JESUM & conſidera: etiam ipſius, tam ut DEI, quàm ut Hominis, eſſe exceſſum illum erga nos amoris. Ipſius quoque, quàmvis peſſimè ab hominibus habiti, inæſtimabile donum eſſe Spiritum S: patet ex ſæpiùs repetita ejuſdem promiſſione. Eò autem magis æſtimandum venit hoc Chriſti donum, quò cariore ipſi pretio ſtetit ejuſdem largitio, ſcilicet ſanguinis effuſione, honoris omnis ſpoliatione, vitæ amiſſione. *Si enim non abiero*, ſcilicet per paſſionem & mortem, *Paraclitus non veniet ad vos: ſi autem abiero*, & competens Patri meo pretium meritorum meorum obtulero; *mit-*

ro; *mittam eum ad vos:* præmonuit Apostolos Joan. 16. Non est hoc donum argento vel auro comparabile, ut impiè existimavit Simon Magus, Act. 8. sed sanguine Filij DEI, & virtutum meritis. Te igitur, Gratiosissime JESU, per sanguinem & mortem tuam oro: mitte Spiritum S. tuum super servulum tuum, sine quo nihil possum, nihil sum. Illuminet cœcum, accendat frigidum.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: ipsam præ reliquis omnibus in sacro illo cœtu collectis, uberiùs participâsse Spiritum S. Si enim in ejus largitione tam liberalem se exhibuit DEUS: ut per Joëlem Prophetam c. 2. promiserit; se illum instar aquæ effusurum *super servos suos, & super ancillas suas:* quantò magis super Matrem? Quis concipiat, quibus tunc in DEUM arserit ipsa affectibus; sed & quantâ submissione tantum exceperit hospitem? Quanquam vix dici possit *Hospes*, qui illectus ejus Humilitate pridem in ipsam supervenit, & ex Ancilla fecit Matrem Domini, cum Humilitatis non detrimento, sed augmento. Expelle à me, ô Domina, omnem Spiritum elationis: ut in Spiritu humilitatis suscipere merear Spiritum infinitæ Charitatis.

Propositum, v. g. *de sæpiùs invocando per humilia suspiria Spiritu S. præsertim ante notabiliores occupationes: Veni, S. Spiritus, &c.* Vel: *Veni, S. Spiritus, & emitte cœlitùs lucis tuæ radium.*

LECTIO PRACTICA.

Amori respondendum Amore.

SI quando pondus apud nos habuit monitum Apostoli 1. Cor. 16. *Omnia vestra in charitate fiant:* nunc habere debet maximum; dum recolimus, non solùm inæstimabilia dona ex summo amore à DEO O. M. nobis donata, sed ipsum substantialem & Infinitum Amorem. Veterum parœmia est: *Ut ameris, ama;* sed jam inclamat nobis DEUS Amor: *Quia amaris, ama.* Quid erat in homine, quod DEUM provocaret ad talem tantumq; amorem? Imò quid non erat, quod provocaret aversionem, indignationem, iram & abominationem? A planta pedis usq; ad verticem capitis operuit nos iniquitas, quin & ipsas ossium medullas, & intima animæ infecit peccatum: & tamen potuit, voluitq; sic nos amare DEUS, & ad mutuum provocare amorem. Magis feri tigride, magis frigidi & insensibiliores quovis saxo sumus; si à tanto amore non incalescimus ad redamandum.

Solus est amor ex omnibus animæ motibus, sensibus atque affectibus, in quo potest creatura, etsi non ex æquo, respondere Auctori, vel de simili mutuam rependere vicem: inquit Bernardus Serm. 83. in Cant: nec quidquam facilius, jucundius,

cundius, aut lucrosius est, quàm Divinum amare Amorem. Totus est Bonitas, Amabilitas, & Gratia: & quidquid amabile est, vel ipse est, vel ex ipso est. Quidquid absq; amore obtuleris, non sufficit: quidquid honoris detuleris, non placet, nisi amore commendetur. Meliùs enim est amari, quàm honorari: ait Aristoteles Eth. lib. 8.

At ea est cordis nostri pravitas, ut faciliùs amemus quævis alia, & quosvis alios, quàm Amorem Divinum. Similes planè sumus (aut pejores) puero illi Ægyptio, qui, ut habetur in Vita S. Macarij Ægyptij; apud Bolland. 15. Jan. cap. 4. dixit matri suæ: *Abba, dives quispiam me amat; & odi eum: & mendicus odit me, & amo eum.* Quod sic Fratribus explicuit Macarius: Verè Dominus noster dives est, & amat nos; & nolumus eum audire, vel redamare. Inimicus verò noster diabolus mendicus est, & odit nos; & ejus amamus immunditiam. Non magis ex se aptum est cor nostrum, ut ardeat amore divino, quàm cruda illa bubula, largiore aquâ perfusa ab Elia 3. Reg. 18.

Orandus igitur, cum eodem Elia, & humiliter solicitandus DEUS: ut ignem sui Amoris cœlitùs demittat, & corda nostra succendat. S. Franciscus Xaverius singulis Horis Canonicis præmittebat Hymnum: *Veni, S. Spiritus.* Quod etiam magno suo fructu faciebat P. Petrus Faber, unus è primis novem S. Ignatij Socijs. S. Philippus Nerius Sacerdos factus, quotidie, si non repugnarent Ecclesiæ ritus, in Missa addebat Collectam illam: *Deus, cui omne cor patet,* &c. magno suo fructu. Tanto enim incendebatur divini amoris æstu; ut, corde nimiùm dilatato, duas fregerit paulò ante festum Pentecostes costulas: Aliàs non tam descendebat, quàm irruebat super eum Spiritus S. ut subinde in terram prostratus clamare cogeretur: *Recede à me, Domine, recede. Morior, ni succurras.* S. Theresiæ, cùm adhuc privatis quibusdam amicitijs & familiaritatibus cum quibusdam personis esset intricata; ideoq; impediretur, quominus se totam traderet DEO; suasit P. Balthasar Alvarez: ut ad se expediendam ex his laqueis, per dies aliquot ferventiùs imploraret gratiam Spiritûs S. pronunciato hymno, *Veni, Creator Spiritus.* Fecit; tamq; copiosos amoris divini ignes impetravit, ut exclusis omnibus privatis amicitijs, alijsq; amoribus, planè Seraphico arderet incendio. *Vita P. Alvarez c. 11.* Rectè Bernardus tract. de vit. solit: *Sicut non habet corpus, unde vivat, nisi de spiritu: sic affectus hominis, qui amor dicitur, non vivit; hoc est, non amat Deum, nisi de spiritu sancto.*

Si operosum est per diem iterare prædictos de Spiritu S. Hymnos: excerpi possunt, & per modum Jaculatoriarum ardenter ingeminari certi quidam

versiculi. Deniq; optemus nobis, quod Beat. Felix Capuccinus occurrenti subinde sibi Romæ S. Philippo Nerio optare solebat: *Utinam conflagrares!* scilicet Igne Divini Amoris.

FERIA II.

MEDITATIO. *Spiritus S. quomodo venerit super discipulos: Christus & Deipara V. jucundissima ejus habitacula.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quo modo super Apostolos aliosq; collectos cum MARIA Matre JESU fideles venerit Spiritus S. *Cùm complerentur dies Pentecostes*: scilicet festivitatis Judæorum, quâ recolebant legem sibi per Moysen datam in monte Sinai. Est DEUS liberalior in ritè celebrantes dies festos. *Factus est repentè de cœlo sonus.* Cùm minimè speramus, adest nobis DEUS consolator & adjutor. Patienter expectandus. *Tanquam advenientis Spiritus*, seu venti, *vehementis*, indicantis virtutem Spiritûs S. quâ Apostolos roboraturus erat, & per eorum prædicationem mundum concussurus, elatas cedros subversurus &c. *Et replevit totam domum*; repleturus paulò pòst totum mundum juxta illud Joël 2. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Et *apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquam ignis*; *seditq;*, stabiliter mansurus, *supra singulos eorum.* O beatum incendium! quando me corripies? O Lingua disertissima! quando mihi persuadebis sincerum DEI amorem, mundi odium?

2. ADora D. JESUM & considera: quàm dignum & jucundum Spiritûs Sancti habitaculum fuerit sacerrima ejus Humanitas. Indicavit id aliquatenus Isaias cap. 11. ubi prædixit: *Et egredietur Virga de radice Jesse: & Flos de radice ejus ascendet: & requiescet super eum Spiritus Domini.* Requiescet super eum cum summa voluptate, tanquam super ramum virentissimum, tanquam super florem speciosissimum & fragrantissimum. Requiescet; stabilem super eum figendo sedem, imò æternam. In nobis hospes est & advena Divinus Spiritus: non rarò vix unius diei aut horulæ inquilinus. Tam facilè illum avolare facimus, admissis in penetralia cordis spiritibus alijs. Perlustra spiritus tuos, quibus moveris, incitaris & æstuas. Ejice, obsecro, Gratiosissime JESU, ex corde meo omnes malignos spiritus; & *Spiritu principali confirma me.*

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm dignum & jucundum fuerit ipsa quoq; habitaculum Spiritui S. Erat eo tempore vel maximè mundus in maligno positus; exundaverat universali cataclysmo peccatorum eluvies; non inveniebat divina illa Columba, ubi requiesceret pes ejus, donec ex radice Jesse prodiret virentissima hæc Virga, pacis & misericordiæ

ricordiæ prænuncia. Ipsam confestim in primo ejus germine occupavit, nec deseruit unquam; sed uberrimè unxit oleo lætitiæ & omnigenæ gratiæ præ consortibus ejus. Fac, Domina: ut & in me Spiritus divinus se dignam reperiat sedem: nec ullo alio spiritu moveatur mare cordis mei.

Propositum, v. g. *de religiosiùs transigendis hisce Pentecostalibus festis.*

LECTIO PRACTICA.

De non contristando Spiritu sancto.

MIratur, & præ animi dulcedine liquescit Salomon, considerans Bonitatem & Suavitatem incomparabilem Divini Spiritûs. *O quàm bonus & suavis est Domine Spiritus tuus in omnibus!* Sap. 12. Cùm enim Tertia in Divinitate Persona viâ voluntatis & amoris procedat à duabus alijs Personis, sese mutuò & creaturas amantibus; ex infinito quodam impulsu Bonitatis suæ: Tertia hæc Persona suavissimus & dulcissimus quidam Amor, & Spiritus est. Exhibet porrò se nobis tam dulcem, gratiosum & beneficum: ut non solùm omnigenis gratijs, ad salutem æternam & perfectionem pertinentibus nos impleat; sed tanquam zelosissimus Advocatus, dicatur ab Apostolo Rom. 8. postulare pro nobis apud Patrem æternum *gemitibus inenarrabilibus.*

Inter innumeros alios expertus est hanc Divini Spiritûs suavissimam Bonitatem & Benignitatem Juvenis, de quo *in spec. Exempl. V. Confessio. Exemp.* 5. Traduxerat hic floridam ætatem inter tantas DEI offensas; ut periculosâ infirmitate correpto apparuerint illi, inprimis Pater cœlestis, sententiam damnationis fulminans in ipsum; deinde sequenti nocte Salvator noster Christus, haustum è vulneribus suis sanguinem ei in vultum projiciens. Desperabundo suasit junior frater: ut ad Spiritum S. confugeret, & humillimis ferventibusq; precibus ejus benignitatem imploraret. Fecit miser successu optimo. Compunctus enim intimo corde, postquam peccata Sacerdoti ritè detexisset, adspectabilem habuit tertiâ nocte Spiritum S. cum nuncio remissorum peccatorum, & felicis mortis post triduum oppetendæ: prout contigit rarâ felicitate.

Nihilominus tam gratiosum beneficumq; Spiritum præsumit humana temeritas & malitia graviter contristare, & à se fugare. *Nolite contristare Spiritum sanctum Dei:* monet Apostolus Ephes. 4. Non quòd beatissimus ille Spiritus contristari possit in se, per passionem tristitiæ: sed quòd contristatur quoad nos; in quantum per hominum indocilitatem, proterviam & nequitiam, contra naturalem suam propensionem cogitur ita se gerere adversus ipsos, sicut solet homo gravi molestiâ, vel vulnere & mœrore affectus ab

alio.

alio. Quod indigniſſimum eſt, & Chriſtianis, ne dicam, Eccleſiaſticis & Religioſis, inconvenientiſſimum.

Cautum eſt veteri lege divinâ Exod. 22. *Advenam non contriſtabis: neque affliges eum*: quod etiam vetant naturalia jura hoſpitalitatis. Quis autem animæ noſtræ occurrere poteſt Hoſpes major, ſuavior, beneficentior, quàm Spiritus S. qui ab Eccleſia ſuſpicitur & ſuſcipitur ut *Conſolator Optimus, dulcis Hoſpes animæ, dulce Refrigerium*? Lege recentiore præcipit Dei nomine Apoſtolus Hebr. 13. ut obediamus præpoſitis noſtris, & ſubjaceamus eis. Rationem dat: ut pervigilantes pro animabus noſtris *cum gaudio hoc faciant, & non gementes*. Quantò magis decet nos obedire inſtinctibus, inſpirationibus, & directioni Spiritûs Sancti, pervigilantis pro animabus noſtris; ut cum gaudio, & non gemens hoc faciat? De nobis autem pleriſq; dici poteſt illud Pſalm. 105. *Ipſi autem exacerbaverunt eum in conſilio ſuo*: dum non ductum ejus, & rationes æternas, quas proponit, ſequimur; ſed ſecundùm mundi & carnis dictamina procedimus. Quod tam indignum videtur Apoſtolo; ut Hebr. 10. 29. queratur: inſignem, & non levi pœnâ expiandam *Spiritui Gratiæ contumeliam fieri*.

Curandum proinde: ut non ſimus è numero contumelioſorum iſtorum, & eorum, qui Job 24 perſtringuntur, ut *rebelles lumini*; Act. 7. ut *ſemper reſiſtentes Spiritui S.* ſed Conſolatori optimo, Magiſtro ſapientiſſimo, Patri gratioſiſſimo, docilitate ingenij, voluntatis flexibilitate & cordis puritate ſolatio ſimus & honori.

FERIA III.

MEDITATIO. *Spiritus S. eſt Spiritus vivificans: Chriſtus author vitæ abundantis: Deipara V. vitæ dulcedo.*

1. ADora DEUM O. M. & conſidera: Spiritum S. abeo miſſum eſſe Spiritum vivificantem, & quidem vitâ divinâ. Abſque hoc Spiritu mundus univerſus eſt campus ille, quem Ezechiel cap. 37. vidit plenum oſſibus, *ſiccis vehementer*; hominum ſcilicet per peccatum interfectorum. Ubi autem advenit Spiritus S. & in arida illa oſſa ingreſſus eſt: ecce in momento exercitum vivum & robuſtum, *ſtantem ſuper pedes ſuos, grandem nimis valde*. Spiritus noſter vitam nobis tribuit, ſed temporalem, morti & mille ærumnarum generibus obnoxiam: Spiritus S. per infuſam gratiam ſanctificantem vivere nos facit vitâ divinâ; ut per charitatem, ab ipſo diffuſam in cordibus noſtris, ſimus unus ſpiritus cum Deo 1. Cor. 6. nec jam vivamus nobis, ſed illi, cui omnia vivunt. Veni igitur, veni S. Spiritus, reple tuorum corda fidelium: ſana infirmos, vivifica mortuos DEO.

2. Ado-

2. ADora D. JESUM & considera: ipsum nobis Authorem esse omnis vitæ spiritualis, sanctæ, & beatæ, per communicatum Spiritum S. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Joan. 10. Non solùm enim nos liberat à morte peccati, & tribuit vim operandi supernaturaliter; quæ est vita supernaturalis: sed facit, ut vivamus *quasi tristes*, in varijs tribulationibus, *semper autem gaudentes; sicut egentes* in rerum necessariarum defectu, *multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes: ut castigati & non mortificati; quasi morientes, & ecce vivimus.* 2. Cor. 6. Vivimus per Christum divites in paupertate, jucundi in adversitate, beati etiam in summa calamitate. *Quis* jam *est homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos?* Non alibi eos quærat, quàm apud Authorem abundantioris vitæ, Gratiosissimum JESUM. O vita meæ vitæ, Vita jucundissima, opulentissima, beatissima, æterna, JESU amabilissime, quando Tibi & per Te totus vivam?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: eam meritò ab Ecclesia salutari ut Dulcedinem nostram in amaritudine temporalis hujus vitæ. *Ipsa est Dulcedo*, inquit S. Damascenus, *quam Joachim & Anna tanquam spirituales montes stillaverunt.* Dum igitur vel tœdij, vel adversitatum, ac divinæ desolationis amaritudo corrumpit nobis gustum rerum spiritualium; dum ipsa mors imminens amaritudines nostras nobis faciet amarissimas: ad MARIAM convertamur; & fiet nobis amaritudo nostra dulcissima. Expertis credamus.

Propositum, v. g. *de vitandis accuratiùs gravibus peccatis, quæ sunt mors nostra multiplex.*

LECTIO PRACTICA.

Felicitas hujus vitæ non in mundi opibus & sensuum voluptatibus; sed in Fructibus Spiritûs S. quærenda.

QUas mundus ostentat divitias, quasve sensus venantur voluptates: magis ad interitum conducunt, quàm ad vitam, nedum felicem vitam. Innumeris enim gravibusq; periculis objiciunt hominem, dum quæruntur: assiduis animum implicant, & lancinant curis, dum possidentur. Quid? quòd æternæ, & æternùm beatæ, vitæ invehunt dispendium, dum (quod plerumq; fit) inordinatè amantur, & cor avertunt à Fine suo, ultimo & beatificante, DEO?

In Fructibus Spiritûs Sancti vera est & solida felicitas: Nam & temporalem hominis vitam jucundè, solideque nutriunt; & æternam conciliant. Fructus hujusmodi, seu Effectus Spiritûs S. recenset duodecim Apostolus ad Gal.

ad Gal. 5. 22. *Fructus autem Spiritûs*, inquit, *est charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.* Præter hos etiam aliæ omnes virtutes sunt Fructus Spiritûs S. ex Gratia per ipsum infusa pululantes; recensiti autem sunt illi, tanquam magis conspicui, & operibus carnis, quæ paulò antè enumeravit, oppositi. Sunt autem virtutes Fructus Spiritûs S. tam quoad Actum, quàm quoad Habitum spectatæ.

CHARITAS primo loco ponitur: quia, ut notant Anselmus & Theophil. primus est & nobilissimus Spiritûs Sancti fructus, ac cæterorum parens & perfectio.

GAUDIUM est affectus dilatati cordis & animi sereni, ortus tum ex conscientiæ rectitudine, puritate & tranquillitate; tum ex rectè factis, præsertim ex victoria de tentationibus & pravis cupiditatibus relata. Unde S. Cyprianus libr. de discipl. & bono Pudic: *Voluptatem*, inquit, *vicisse, voluptas est maxima. Neq; enim ulla major est victoria, quàm quæ à cupiditatibus refertur.*

PAX est Tranquillitas animi, nullis passionibus turbati, & securi, quantum præsens status patitur, de amicitia inter se & DEUM. Hæc est tantum bonum, *ut exuperet omnem sensum*. Philip. 4. & licèt DEUS nullam aliam mercedem virtuti posuisset, quàm Pacem hanc; sufficeret omnino ad nos excitandos, ad quosvis quantumvis arduos labores suscipiendos; ut eâ frueremur.

PATIENTIA est adversorum & molestorum tolerantia: sine qua nec Pace optata potiemur, nec Gaudio desiderato fruemur, sed in varia amaritudine versatur anima nostra.

LONGANIMITAS est diuturna Patientia, qua longo tempore tolerantur offensæ illatæ, & suspenditur vindicta etiam justa.

BONITAS sumitur hìc pro affectu benevolentiæ & beneficentiæ, seu propensione ad benefaciendum proximo. Bonitas est *virtus, quæ prodest: est Fons utilitatum*; inquit Zeno. BENIGNITAS sumitur pro suavitate & comitate in loquendo & agendo cum alijs. Unde potest quis esse Bonus & non benignus; si sit pronus ad benefaciendum, sed asperior in conversatione. Et contrà potest quis esse Benignus, seu suavis & comis in conversando; & non Bonus, seu pronus ad benefaciendum alijs.

MANSUETUDO est virtus opposita iræ & ferocitati cuidam animi, faciens tractabilem, flexibilem, & lenem, etiam dum exasperatur.

FIDES hìc sumitur non tam pro virtute Theologica, quæ est Fundamentum salutis & gratiæ Spiritûs Sancti: quàm pro Fidelitate, & Veracitate in promis-

promissis: juxta S. Anselmum. Vel pro prudente facilitate ad credendum proximo, & non habendum suspecta ejus dicta: ut notat Cornel. à Lap.

MODESTIA modum ponit, & moderatur omnes actiones externas, scilicet incessum, vestitum, sermonem, risum, lusum, totumq; hominem exteriùs rectè componit.

CONTINENTIA & CASTITAS sumuntur in ea differentia: quòd Continentia dicat Virtutem quandam Generalem, juxta Aristot. & S. Hieron. frænantem passiones inordinatas: Castitas propriè sit frænum concupiscentiarum venerearum.

Quàm speciosi & pretiosi Fructus Divini Spiritûs! Hos esurire & sitire, sanitas est; possidere, sanctitas est: ipsis repleri, est plenum esse Spiritu Sancto. O veni, veni S. Spiritus, & horum famem in me accende!

FERIA IV.

MEDITATIO *de Septem Spiritûs S. Proprietatibus & Donis, Christo potissimùm ac Deiparæ V. liberalissimè communicatis.*

1. ADora DEUM O. M. & considera Spiritûs Sancti proprietates & dona septem, expressa Isaiæ cap. 11. ubi appellatur *Spiritus sapientiæ & intellectûs, Spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & Spiritus timoris Domini.* Quæ omnia prædicata non significant naturales quasdam dotes, sed supernaturales, quæ à Spiritu S. homini communicantur. *Sapientia* est supernaturalis virtus, quâ contemplamur divina, & secundùm Principia æterna divinæ Mentis judicamus de rebus. Per donum *scientiæ* cognoscimus temporalia, quatenus ad salutem æternam nobis con ducibilia sunt. Per donum *Intellectûs* acquirimus vim penetrandi mystica & obscura, præsertim in Scripturis divinis. Donum *Consilij* est supernaturalis prudentia; quâ dirigimur ad proprias & alienas actiones rectè ordinandas secundùm normam fidei Christianæ. Dono *Fortitudinis* armamur ad fortiter ferenda adversa & persecutiones. Donum *Pietatis* datur ad ritè colendum DEUM tanquam communem, & nostri amantissimum, Patrem. Donum *Timoris*, scilicet filialis, infunditur ad concipiendam filialem reverentiam erga DEum, & cavendum, ne ei displiceamus. O quàm pretiosa, quàm nobis necessaria dona! Veni, veni S. Spiritus, veni Dator munerum; reple tuorum corda Fidelium.

2. ADora D. JESUM, & considera: prædicta Spiritûs S. dona copiosissimè præ omnibus hominibus & Angelis participâsse sanctissimam ejus Humanitatem. *Requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ & intellectûs* &c. ut suprà prædixerat Isaias. Quanta verò fuerint in Christo prædi-

prædicta dona: satis indicant tum dignitas ejus, tum prædicatio Evangelica; in qua manifestissimè prodidit in plurimis occasionibus prædictas dotes, quæ nobis quidem sunt liberalissima dona; Humanitati autem Christi erant debitæ propter unionem cum VERBO. Gaudeo, Perfectissime JESU, plenitudine munerum SS. Humanitati tuæ à Spiritu S. collatorum. Tu abundas: ego pauperrimus sum. Mitte eundem Spiritum, Patrem pauperum, qui meam sublevet egestatem.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsi quoq; præ omnibus creaturis liberaliùs esse communicata prædicta Spiritûs S. dona. Expende sapientiam ejus planè divinam, intellectum perspicacissimum, scientiam amplissimam, consilium sanissimum, fortitudinem invictam, pietatem religiosissimam, timorem Domini reverentissimum, ardentissimo junctum amori. Quis assequatur, ô Domina, copiam & præstantiam donorum in Te congestorum? Memento tamen, ô Gratiosissima: Te non tibi solùm, verùm & nobis factam esse tam divitem. Quo superaffluis, subleva egenos clientes.

Propositum, v. g. *de invocando sæpiùs per diem, v. g. ad cujusvis horæ sonum, S. Spiritum: Veni, Pater pauperum, veni, Dator munerum, veni, Lumen cordium.*

LECTIO PRACTICA.

Peccata in Spiritum sanctum diligentissimè cavenda.

TErribilis est, & non sine intimo horrore excipienda sententia Christi Matt. 12. 31. *Dico vobis: Omne peccatum & blasphemia remittetur homini: spiritûs autem blasphemia non remittetur. Et quicunq; dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra spiritum S. non remittetur ei, neq; in hoc sæculo, neq; in futuro.* Apud Marc. c. 3. dicit: *Non habebit remissionem in æternum: sed reus erit æterni delicti.* Quid horribilius dici potest? Quo fulmine major metus homini incuti potest, ne peccet in Spiritum Sanctum? Est quidem communis & vera Theologorum doctrina: Sententiam illam Christi non procedere de absoluta irremissibilitate talis peccati, quasi nullo modo à DEO remitti possit, aut nunquam remittatur; sed de irremissibilitate morali; quòd scilicet admodum difficulter, & rarò remittatur: hoc ipsum tamen singularem, imò maximam impetrare nobis debet diligentiam in cavendo hujusmodi peccata, quæ Christus pronunciat graviora omnibus alijs peccatis, etiam blasphemijs, contra se & Patrem suum commissis; ideoq; tam difficulter remissibilia, ut meritò dici possint irremissibilia.

Porro

Porro quænam in specie sint peccata, quæ directè committuntur in Spiritum Sanctum, discrepant Patres & Doctores: quorum sententiæ videri possunt apud Toletum in cap. 12. Luc. Annot. 17. & Cornel à Lap. in cit. text. Matt 12. apud quem Theologi ex varijs S. Augustini expositionibus colligunt sex peccatorum in Spiritum S. species: scilicet *Præsumptionem de Misericordia Divina*, *Desperationem*, *Agnitæ Veritatis Impugnationem*, *fraternæ charitatis Invidiam*, *Obstinationem & Impœnitentiam finalem*. His ex S. Hieron. Chrysost. Ambros. Athanas. &c. addit cit. Cornelius Criminationem, qua quis opera manifestè pia & sancta, ex singulari bonitate & virtute Spiritûs Sancti facta in salutem hominum calumniatur, & adscribit dæmoni, seu artibus magicis: prout faciebant Pharisæi, asserentes; Christum in Beelzebub ejicere dæmonia. Quam criminationem Christus loco cit: dicit esse blasphemiam in Spiritum S. irremissibilem.

Ratio Irremissibilitatis, seu magnæ difficultatis in remittendis peccatis in Spiritum Sanctum est: quòd peccata non remittantur, nisi in Spiritu S. seu per gratiam Spiritûs Sancti, tum eam, quâ formaliter justificatur homo; tum per antecedentes, quibus illuminatur, & movetur peccator, ut resipiscat, & ritè de peccatis doleat. Jam verò qui aliquod ex prædictis peccatum committit plenâ deliberatione; is non ex infirmitate vel ignorantia, sed ex malitia impugnat bonitatem & operationem salutarem Spiritûs Sancti: ideoq; non tantùm non meretur remissionem, sed positivè meretur non remissionem peccati sui, & privationem salutis æternæ. Eum enim impetit malitiosè, per quem proximè fit remissio, & donantur necessaria media seu gratiarum auxilia, ad resipiscendum. Unde rarò fit: ut ea ex abundantia Misericordiæ Divinæ obtineat.

Advertit Haynovius *Parte 2. Veritatum pract. in die Pent.* etiam dum alia gravia peccata committuntur, ut superbia, luxuria, avaritia, gula &c. non rarò peccari in Spiritum Sanctum, quando scilicet peccatur cum plena advertentia ad divinas inspirationes, lumina & motiva, quibus Spiritus Sanctus conatur hic & nunc hominem retrahere à peccato: & tamen se resolvit ad peccatum. Tunc enim graviter & malitiosè læditur Bonitas ejus, contemnuntur media, quibus saluti nostræ prospicit, & contra salutarem stimulum calcitrat homo insolens. Jam verò S. Thomas 2. 2. q. 14. a. 1. docet: tunc committi peccatum in Spiritum Sanctum, *quando per contemptum abjicitur & removetur id, quod electionem peccati poterat impedire*; uti sunt præsentia supernaturalia lumina, & motus. Unde, sicut morbus dicitur incurabilis, per quem tollitur id, quo curari poterat, v. g. virtus natu-

ræ, calor naturalis, &c. inducitur autem fastidium cibi & medicinæ: sic peccata illa fiunt quodammodo irremissibilia. Cavendum igitur omni diligentiâ: ne in Amorem Divinum peccemus, & contemnamus divitias Bonitatis ejus. Terribilis est ira Columbæ. *Facta est terra eorum in desolationem à facie iræ Columbæ.* Jerem. 25.

FERIA V.

MEDITATIO *de mira operatione Spiritûs S. præsertim in Christo & Deipara V.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: Spiritûs Sancti vim operativam esse variam & maximam. Patet ex Apostolis, hominibus rudibus & meticulosis, quos repente fecit mundi Magistros, linguarum diversissimarum peritissimos, omnium periculorum contemptores, & tanquam leones ignem divinum spirantes. Insilijt idem Spiritus in Saulem agasonem; & in momento mutavit eum in virum alium, ut non solùm Prophetam, sed Regem ageret condignè. Insilijt in Samsonem; & quanto illum induit robore? Vide jam infirmitatem & pusillanimitatem tuam: quàm facilè cedis difficultatibus & tentationibus? quàm difficulter aggrederis aliquid arduum pro DEO & salute tua? Deniq; talis non es, qualis esse deberes. Veni igitur, veni, Divinissime Spiritus, lux & robur mentium; muta me quoq; in virum alium, qualem DEUS & ratio statûs mei requirit.

2. ADora D. JESUM & considera: in ipso vel maximè Spiritum S. exercuisse & demonstrâsse virtutem suam. *Spiritus Domini super me*, loquitur Christus ipse per Isaiam cap. 61. *cò, quòd Dominus unxerit me: ad annuntiandum mansuetis misit me; ut mederer contritis corde, & prædicarem captivis indulgentiam, & clausis* (in limbo) *apertionem: ut prædicarem annum placabilem Domino, & diem ultionis DEO nostro; ut consolarer omnes lugentes* &c. Ad hæc & similia opera movebat Spiritus S. sanctissimam Humanitatem Christi, communicavitq; illi uberrimè virtutem miraculorum, & potestatem in spiritus infernales. Unde Christus dicebat: se in Spiritu DEI operari, & in Spiritu atq; digito DEI ejicere dæmonia. Gratias Tibi immortales, Sanctissime Spiritus, pro tantis gratijs & virtutibus Humanitati Domini & Salvatoris mei communicatis. Fac me, Gratiosissime JESU, per eundem Spiritum, dignum tuum & Ecclesiæ tuæ ministrum.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm large & potenter in ipsa virtutem suam exercuerit Spiritus Sanctus, faciendo eam immunem ab omni originali & actuali peccato, ornando amplissimis gratijs in ipso Conceptionis instanti, & in progressu vitæ ita eam implendo; ut ab Angelo mereretur salutari *Gratiâ plena.* Ipse formavit in ea sanctissimam Christi huma-

sti humanitatem, & tanquam Sponsam suam, electam ex millibus, tenerrimo semper fovit affectu. Gratulor Tibi tantos Divini Spiritûs favores, ô Domina. Concilia & mihi uberiorem ejus gratiam pro Ipsius & tua gloria.
Propositum, v. g. *de insigni aliquo, & arduo tibi, actu eliciendo hodie, ad impetrandum animum parem magnis ausis pro Dei gloria.*

LECTIO PRACTICA.

De repentinis quibusdam per gratiam Spiritûs S. Conversionibus.

QUàm verè scripserit S. Ambrosius lib. 2. in cap. 1. S. Lucæ: *Nescit tarda molimina Spiritûs S. gratia*: docent complures omnibus sæculis factæ insignes hominum Conversiones & morum emendationes; quæ nobis esse possunt stimuli loco, ut non desperemus de vita sanctiore, modò ad impetrandam Spiritûs ejusdem gratiam toti convertamur.

In Belgio fuit Juvenis quidam, cui Bertrandus nomen, ferox ingenio, moribus dissolutus, ebriosus, lascivus, lusibus choreisq; deditus; qui cùm pridie Cinerum genio suo laxâsset habenas, etiam antè non arctatas, & more bacchantium transegisset diem; subitò advertit, illapsam sibi cœlitus cogitationem de momento gaudiorum mundi, & æternitate suppliciorum illis respondentium. Cùm medullitus se tactum diu dissimulare non posset; tantisper se subduxit à socijs, prætextu aëris liberioris captandi. Diutiùs absentem dum requirunt socij, inveniunt altâ meditatione absorptum. Monent tempus hoc non melancholiæ, sed liberiori genio sacrum esse; solicitantq; ut cœptis insistat. At Bertrandus tanto spiritu de æternitate verba fecit: ut socij seriò rem agi intelligerent, stuperentq; mutationem dexteræ Excelsi, primarijs duobus ad meliora conversis ab extemporaneo Ecclesiaste. Ipse domum reversus, cùm ibidem offenderet insperatum, sed à Providentia divina expeditum hospitem, Eleutherium Pontanum è Societate JESU, sibi antè familiarem: ad pedes ejus supplex accidit, ac admissionem ad eandem Societatem petijt. Impetravit anno 1602, post periculum aliquod ejus constantiæ factum; vixitq; inter Nostros insigni morum probitate. *Drexel. in Rogo damnatorum c. 17.*

Apud Sinas Professor quidam literarum adeò ferocis fuit ingenij: ut omnes ab eo, ceu rabiosâ bestiâ, sibi caverent. Hic subito quodam lumine cœlitùs perfusus in animo, præter omnem spem ad P. Julium Alenum accessit, petijtq; baptismum. At notoria ejus morum improbitas fecit, ut non audiretur, eò quòd non seriò rem agere putaretur. Ter passus repulsam, ter redijt constantior, adhibitis etiam Christianis nonnullis fidejussoribus. Instructus ergò ritè cum tota familia sua, ubi dictus Baptismo dies adfuit; ad-

fuit &

fuit & Catechumenus Literatus in loco condicto, dexterâ facem accensam ferens, sub brachio sinistro gestans vestem, quam sibi detraxit, & alia insignia Literati Xuzai, hoc est, Baccalaurei, cujus gradum tenebat. Tum Patrem compellans, Hic habitus, inquit, non est mearum culparum reus: nihilominus mecum eatenus deliquit: quòd in eo habitu liberum habui accessum ad Mandarinos & tribunalia; & dicendi arte abusus, millies injustas causas propugnavi, feciq; ex innocentibus reos, ex reis innocentes, justitiâ ei venditâ, qui pluris emeret. Nunc autem in omnem vitam hac veste me spolio, & cum eo gradu literati; nec unquam ad id studij genus redibo, uti nunquam sum hanc vestem induturus. Quibus dictis vestem in ignem injecit. Baptismo initiatus, post paucos dies majoribus literis in folio grandi graviora sua peccata descripsit, ac ante domum publico omnium conspectui objecit. Juventutis erudiendæ munus deinceps tantâ integritate ac sedulitate obivit: ut felices se judicarent, qui filium in Pauli (hoc ex Baptismo nomen tulit) disciplina haberet. Intra paucos menses, è discipulis numerosis triginta Christo est lucratus. *Bartoli in China lib.* 4.

Romæ in turri Speculorum, ut vocant, Sanctimonialis erat Maria. Bonaventura ex Ord. S. Franciscæ Rom: cui satis videbatur, peccata gravia vitare; de cætero posse se indulgere genio. Ægrè ei persuasum est, ut se permitteret Exercitijs S. P. N. Ignatij excolendam. Vix primas de Fine hominis & Medijs ad eundem ordinatis, absolverat Meditationes: cum Divino S. Spiritûs incendio correpta, Directori suo dixit: O Pater non est ultra cum DEO jocandum. Video, quid à me exigat: Volo ex integro ejus esse, totisq; viribus incumbere; ut ad ejus majorem gloriam brevi non qualiscunq;, sed magna Sancta evadam. Dictum factum. Ita sine mora sese impendit studio solidæ Perfectionis: ut virtutum omnium vivum esset speculum; & consummata in brevi (nam vix anno uno superstes fuit) expleverit tempora multa, extraordinarijs gratijs etiam post mortem à DEO honorata. *Lancicius Opusc.* 6. *c.* 22.

Sic Divino Spiritui non desunt congruæ & efficacissimæ infinitæ artes & media, quibus quævis corda jam suaviter inducat, jam fortiter expugnet, convertatq; momento ad meliora. Orandus impensè, ut velit.

FERIA VI.

MEDITATIO *de spiritu S. ut Magistro omnis veritatis, præsertim de Christo & Matre ejus.*

1. ADora SPIRITUM S. DEUM, & considera Ipsum ut Magistrum omnis veritatis. Triennio, & ampliùs in Schola sua erudierat Aposto-

Apostolos suos CHRISTUS: sed nec omnia ipsis aperuerat, nec ipsi ea, quæ aperuit, satis capiebant. Unde Joan. 16. indicavit illis: *Adhuc multa habeo vobis dicere: sed non potestis portare modo. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem:* quam scilicet in hac vita vos scire convenit, sive ad ordinandas actiones proprias, sive ad dirigendos alios in viam salutis. Hæ veritates, quàmvis nunc copiosè proponantur in Ecclesijs, in Scholis & innumeris libris: auditu quidem auris audiuntur; sed, nisi interiùs Magister accedat SPIRITUS SANCTUS, transeunt cum sonitu verborum, vel steriles in mente relinquunt imagines sui. Instandum igitur humiliter, ferventer, & frequenter cum Ecclesia: *Mentes nostras, quæsumus, Domine, Paracletus, qui à Te procedit, illuminet; & inducat in omnem, sicut Tuus promisit Filius, veritatem.*

2. ADora D. JESUM, & considera: eum quidem eximiè clarificatum seu glorificatum esse à Patre suo ab ipsa Nativitate sua; ac potissimùm tempore prædicationis, per eminentissimam doctrinam, ac multitudinem magnitudinemq; miraculorum: maximam autem claritatem & gloriam accepisse per SPIRITUM S. post ejus visibilem adventum super Apostolos. Prædixerat id ipsemet Joan. 16 *Ille me clarificabit:* scilicet SPIRITUS PARACLETUS, irrefragabiliter ostendendo; me non solùm esse hominem, sed verum DEI Filium, Messiam desideratum, & Salvatorem mundi: movebitq; homines ad debitum mihi cultum deferendum. Quemadmodum re ipsâ movit mox in prima Petri concione, corda trium circiter millium, qui paulò pòst ascenderunt usq; ad quinq; millia; imò intra modicum tempus diffusa in omnem terram sono Apostolicæ tubæ, à solis ortu usq; ad occasum factum est laudabile, & gloriosum nomen D. JESU. Auge, multiplica & magnifica illam continuis incrementis, specialiter in me, & per me.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera: ipsam quoq; summoperè glorificatam esse per SPIRITUM S. Usq; ad ejus adventum non discernebatur à grege mulierum: at ubi Ignis ille Divinus lapsus est cœlitus, mox agnosci & coli cœpit, ut Mater DEI vivi, ut Angelorum Regina, ut Mundi Domina &c. Iterum Tibi infinitas gratias, DIVINISSIME SPIRITUS, pro illustrata & glorificata Domina mea. Crescat, obsecro, usq; ad ultima terræ, & summa cœlorum gloria ejus.

Examina denique lumina & instinctus, quos habes à Spiritu S. ad ferventiorem Christi & Matris ejus cultum: atq; propone ijs obsequi quàm diligentissimè.

LECTIO PRACTICA.

De Necessitate Gratiæ Spiritûs S. ad intelligendas Veritates & Rationes æternas.

DUplex est Intelligentia alicujus veritatis; alia Speculativa, alia Practica. Illa est, quæ sistit in objecti vera cognitione, seu in cognito gemino sensu propositæ Veritatis. Practica tendit ulteriùs: scilicet ad agendum aliquid ex vi talis cognitionis. Ad utramq; Veritatum & Rationum æternarum intelligentiam veram & genuinam requiritur Gratia, seu Lumen Supernaturale Spiritûs S. Porrò per *Veritates æternas* hic intelliguntur partim Mysteria, partim Oracula Divina, ab æterno disposita, in tempore nobis revelata eâ infallibilitate; ut in æternum ne unum quidem jota, aut unus apex argui possit falsi. *Rationes æternæ* sunt principia quædam, seu dictamina Divinæ Sapientiæ & Providentiæ, secundùm quæ ab æterno disposita sunt omnia & singula circa hunc mundum, & res personasque quasvis in particulari.

Ad hujusmodi Veritates & Rationes æternas verè & genuinè cognoscendas (plena cognitio in hac vita non datur) necessarium esse omninò supernaturale lumen Spiritûs S. manifestum est: tum quia sunt spirituales & supernaturales; tum quia sunt altissimæ & profundissimæ mentis; tum quia intellectus noster per peccatum Originale admodum obscuratus est, & in dies obscuratur magis per peccata actualia, & effervescentes passiones, seu concupiscentias nostras; tum quia nihil apud nos est in intellectu, quod non priùs fuerit in sensu; sensum autem infinitè excedunt & fugiunt objecta illa; tum denique quia assidua cura corporis & commoditatum corporearum non sinit Mentem eluctari & attolli ad sublimia illa & admiranda studiosiùs contemplanda.

Tractat hoc ipsum argumentum ex instituto Apostolus 1. Cor. 2. ubi ait: *Sapientiam loquimur inter perfectos: sapientiam verò non hujus sæculi*, vanam, tumidam & multis gravibusq; erroribus obnoxiam; *neq; principum hujus sæculi, qui destruuntur* cum omni conceptuum suorum mole, quam secundùm rationes politicas architectati sunt: *sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ abscondita est* à Sapientibus & Prudentibus hujus sæculi; *quam prædestinavit Deus ante sæcula in gloriam nostram* (scilicet mysterium Incarnationis VERBI) *quam nemo principum hujus sæculi cognovit. Si enim cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. -- Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum: Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis*, nimirum secreta cordis; *nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quæ Dei sunt, nemo cognovit nisi spiritus Dei. Nos autem non Spiri-*

tum hujus mundi accepimus; sed Spiritum, qui ex Deo est, ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis: quæ & loquimur, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in doctrina spiritûs, spiritualibus spiritualia comparantes. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritûs Dei: Stultitia enim est illi, & non potest intelligere.

Hinc patet 1. Crassus error & intolerabilis tumor Sectariorum, jactantium, omnia in Divinis Scripturis sibi, & cuivis è fæce hominum, pervia esse. Patet 2. Quàm solicitè & humiliter imploranda sit Gratia Spiritûs S. quâ mentes nostras illuminet, tanquam Magister & Doctor omnis veritatis: ut cognoscamus Veritates & Rationes æternas, quantum expedit pro Dei gloria & salute nostra. Patet 3. Non debere nos per jactantiam evanescere, si quæ plenior nobis data est Divinorum cognitio. Qui enim dedit, potest adimere: & abusus divini muneris gravi lapsu castigari solet. Ita evenit Andreæ Dudecio, Episcopo Tiniensi, legato ad Concilium Tridentinum nomine Cleri Hungarici: qui, cùm omnibus admirationi & venerationi esset ob eximiam eloquentiam; uni Cardinali Hosio, Concilij Præsidi, æquè docto ac pio, suspectus semper fuit; nec dubitavit affirmare; ei periculum apostasiæ à fide imminere, foreq; hæreticum. Vatem fuisse Hosium docuit eventus, transfugiente postea Dudecio ad castra Calvini. Rogatus Hosius, unde hoc prævidisset? respondit: Ex sola hominis superbia, & judicij sui tenacitate arroganti. *Cornel. à Lap. in præliminari Encomio S. Script. c. 5.*

Semper DEUS superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Agnoscamus oportet infinitas ignorantias nostras: modicum, quod habemus, scientiæ sacræ, Authori & Largitori Spiritui S. referamus in acceptis, cum humili supplicatione: ut per gratiam ipsius Lumen, quod in nobis est, non fiat tenebræ, sed crescat honori divino, & nostræ saluti. O Lux beatissima, reple cordis intima tuorum fidelium!

SABBATO.

MEDITATIO *de solicitè conservanda gratia Spiritûs S. Christi D. & Deip. V.*

1. ADora Spiritum S. & considera: quàm solicitè sit conservandus cum gratia sua in nobis: si fortè communicatus est nobis per gratiam sanctificantem. Sine ipso enim nec vivere possumus spiritualiter, nec operari supernaturaliter. Nec quisquam potest vel minimum elicere actum conducentem sibi ad salutem æternam, sine gratia Spiritûs Sancti. *Nemo potest dicere: Dominus Jesus, nisi in Spiritu S.* Sine hoc nec perseverare possumus in bono, nec declinare à malo, in quod incidimus. Ut meritò cum pœnitente Davide orandum sit assiduò: *Ne projicias me à facie tua; & spiri-*

tuum S. tuum ne auferas à me: siquidem sine ejus Numine nihil est in homine, nihil est innoxium.

2. ADora D. JESUM, & considera: eum à Jeremia Propheta Thren. 4. 20. vocari Spiritum oris nostri. *Spiritus, inquit, oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.* Ut enim sine Spiritu, quem ducimus, recentem auram per nares & os transmittendo ad viscera in refrigerium cordis, vivere nullo modo possumus: ita sine Christo & gratia ipsius. *Mihi vivere Christus est:* inquit Apostolus Philipp. 1. Sine ipso nihil nisi labor & dolor; vita mors est. In ipso, & per ipsum vita vivitur dulcis, divina, æterna. Vide igitur: ne quando effervescentium passionum æstu intercipiatur vitalis hic Spiritus, & excludatur ab anima. O Suavissime Spiritus oris & cordis mei, Gratiosissime JESU, ne desine vivificare me. In te, & per te etiam mors mihi vitalis erit. Fugiam, quidquid te separare potest à me.

3. VEnerare DEIPARAM V. & considera eam, ut Gratiosissimam S. Spiritûs Sponsam, electam & præelectam ante sæcula, cui nulla est visa par futura & vitæ innocentiâ, & morum concinnitate, & operandi virtute. Desponsata est Divino Spiritui specialiter, quando Angelo paranympho dicenti: *Spiritus S. superveniet in te*, disertè assensum præbuit: *Ecce Ancilla Domini; Fiat mihi secundùm verbum tuum.* Super omnes igitur filios & filias hominum pollet gratiâ apud Spiritum S. Sponsum suum. Gratulor tibi, ô Electa ut Sol, eam gratiam & dignitatem: ob quam pedissequæ tuæ factæ sunt omnis Natura, Angelica & Humana. Desponde & animam meam, licèt Æthiopissam, uni viro Virginem castam exhibere Christo: & serva eam in gratia tua, sine qua facilè amittitur, divina.

Recole deniq; Quid habeas devotionis ad Spiritum S. & propone ita vivere: ut gratiâ valeas apud ipsos.

LECTIO PRACTICA.

Ad conservandum in nobis Spiritum S. maximè necessarium est cor mundum.

MAgna hominis felicitas, ingens dignitas: quòd intra se inhabitantem habeat Spiritum S. Sed non minor illi incumbit cura: ut Magnum hunc Hospitem, non habeat unius tantùm diei, vel modici temporis hospitem; sed perpetuum inquilinum. Ipso enim abscedente, non solùm contingit homini, quod scripsit S. Martialis in ep. ad Burdigalenses: *Recedente Spiritu S. à tabernaculo mentis, evacuatur homo dulcedine, & impletur omni amaritudine, nullumq; ei locus in cælo est, quia alienum se fecit à Bonitate;* sed evenit malum illud Luc. 11. ut Spiritus immundus, assumptis sæpe secum septem aliis, nequioribus se, succedat in locum ejus. Porrò,

Porrò, quod Spiritum S. fugat è cordibus & mentibus nostris, est Immunditics omnis peccati gravis. Eam tamen immunditiem horret quàm maximè, quâ animam inquinant peccata carnalia. Nihil enim tantopere opponitur Spiritui, ut caro. Unde Apostolus ad Galat. 5. *Caro,* inquit, *concupiscit adversus Spiritum, & Spiritus adversus carnem: hæc enim sibi invicem adversantur.* Advertit autem S. Augustinus Serm. 43. de Verb. Dom. hanc antipathiam & conflictum quendam exerceri in hominibus probis. Nam in improbis, præsertim carnalibus, hujusmodi pugna plerumq; non est: cùm ibi jam prævaluerit caro, Spiritus autem in ordinem mancipiorum sit redactus, utpote à Spiritu S. derelictus.

Antipathiam hanc inter SPIRITUM S. & immunditiem carnalem intellexit etiam gentilis, Syracusanus Præfectus Paschasius. Cùm enim S. Lucia dixisset; *Castè & piè viventes templum sunt Spiritûs Sancti:* mox intulit; Jubebo te ad lupanar duci, ut te SPIRITUS S. deserat. Cor igitur conversum in lupanar, inquilinum habere nequit SPIRITUM, qui non tam purus, quàm puritas est. Hinc & Genes. 6. cùm vidisset DEUS lasciviam inter homines nimiùm invaluisse, dixit: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum, quia caro est.* Quæ decretoria sententia quàmvis juxta communem Doctorum sensum procedat, non de Spiritu divino, sed humano, id est, Anima hominis spirituali: non tamen minuit, sed exaggerat repugnantiam Spiritûs S. cum immunditie carnali. Si enim DEUS Spiritum hominis, seu Animam rationalem ad imaginem & similitudinem sui conditam, noluit diutiùs tolerare in hominibus lascivis, sed vitam illis præcidit per diluvium, posteris autem valde abbreviavit per acceleratam mortem naturalem: quantò minùs Spiritum suum proprium talibus concedet?

Veterum eremicolarum quispiam, vehementioribus carnis stimulis agitatus, relictâ eremo, sacrificulum quendam adijt, petijtq; filiam ejus in uxorem. Renuit iste, donec deum suum, seu idolum, consuleret. Consultus dæmon respondit: Non antè filiam traderet, quàm infelix ille DEum suum, baptismum & propositum monachi ejuraret. Evicit apud miserum libido; ut, quod petebatur, non gravatus præstaret. Vix impijssimam ejurationem fecerat; cùm advertit candidam ex ore suo spurcissimo evolantem in cœlum columbam. *Spec. Exempl. V. Misericordia Dei.* Ut terrestres columbæ, sic Divina hæc non insidet corvorum instar cadaveribus, qualia sunt impuri. Nescio quem nævum in oculis Sponsæ suæ adverterat Sponsus Cælestis Cantic. 6. & mox, *Averte,* inquit, *oculos tuos à me: quia ipsi me avolare fecerunt.* Numquid Sponsæ oculi, ante susceptam pœnitentiam, liberiùs vagantes,

fœdis quibusdam imaginibus inquinati fuerunt: ut Sponsum fecerint avolare?

Non dedignatur SPIRITUS DIVINUS, non solùm in animabus nostris, verùm & corporibus habitare, eaq; sibi in viva templa consecrare. *An nescitis: quoniam membra vestra Templum sunt spiritûs sancti, qui in vobis est?* 1. Cor. 6. Sed in hoc templo non alias, quam puras vult ministrare animas, nullas patitur Veneris aut aliorum deastrorum imagines; nullos admittit porcos vel hœdos; si fortè irrepserint, sine mora vult jugulari, & cremari: aliàs recedit ipse, & in templo suo meram relinquit abominationem desolationis. Ipsius vox est Jer. 6. *Erudire Hierusalem: ne fortè recedat anima mea à te; ne fortè ponam te desertam, terram inhabitabilem.*

DOMINICA SS. TRINITATIS. Prima post Pentecosten.

MEDITATIO. *Deus est Unus & Trinus: Christus Doctor primus & primarius hujus Mysterij: Deipara V. animatum SS. Trinitatis Templum.*

1. ADora DEUM O. M. & considera mysterium mysteriorum maximum: quòd ita sit Unicus, ut etiam verè sit Trinus; non divisione Naturæ suæ in plures personas, sed intimâ & plenissimâ ejusdem communicatione, ita; ut tres Personæ, PATER, FILIUS & SPIRITUS S. unam, eandem ac totam naturam divinam, seu Deitatem, plenissimè participent. Unde sequitur 1. Quamlibet Personam esse verissimè DEUM, non tamen esse plures Deos, cùm unica tantùm sit Deitas, quam singulæ participant sine divisione. 2. Omnes tres Personas esse inter se æqualissimas: unam non esse alterâ priorem, nec potentiorem, nec ullo modo perfectiorem. 3. Omnium esse unum intellectum, unam voluntatem, unam scientiam, potentiam, &c. Quis capiat ista? At quod non capimus, credamus oportet, adoremus, amemus, & superexaltemus in sæcula. Tibi laus, tibi gloria, tibi amor & gratiarum actio in sempiterna sæcula, ô Beata Trinitas unus DEUS!

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum primum nobis apertè revelâsse mysterium SS. TRINITATIS. Nam, ut ipse ait Matt. 27. *Nemo novit Filium, nisi Pater; neq; Patrem quis novit, nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* In Veteri Testamento vix aliquod, idq; valdè obscurum, reperias illius indicium: nobis autem ex singulari Salvatoris gratiâ datum est pleniùs nôsse mysteria regni DEI. Ex ipsius Incarnatione & Prædicatione distinctiùs novimus PATREM & FILIUM cum S. SPIRITU: in quorum uno nomine, unicâq; substantiâ vitalibus aquis expiamur:

Bapti-

Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritûs S. Matt. 28. Vide; quantum INCARNATO VERBO debeamus: & exardesce in plenam tanti mysterij visionem in cœlis. Non vana curiositas, sed necessarium id desiderium est. Hic interim Te Deum Patrem ingenitum, Te Filium unigenitum, Te Spiritum S. Paraclitum, Sanctam & individuam Trinitatem, toto corde confitebimur, laudabimus & amabimus, donante Salvatore nostro Christo JESU.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam admirabili quodam modo totam Divinarum Personarum Triadem in se collegisse; & factam esse animatum Sanctissimæ Trinitatis Templum, ab eadem inhabitante consecratum sanctiùs, quàm Templum Salomonis. In ipsam enim specialissimo modo supervenit SPIRITUS SANCTUS; in ipsa PATER ineffabili mysterio genuit sibi & nobis FILIUM; in ipsa, stupendâ dignatione, VERBUM divinum factum est Caro. Felicior & sanctior uterus MARIÆ; quàm tabernaculum Abrahæ Gen. 18. quod tres Angelos recepit hospites, umbram scilicet & ministros divinæ TRIADIS. Suspicio & veneror Te animatum SS. TRINITATIS Templum, Virgo Mater. Fac me, obsecro, idoneum, ut ejusdem non indignum sim habitaculum.

Propositum *de repetendo sæpiùs per diem: Benedicta sit S. & Individua Trinitas,* &c. Vel: *Gloria Patri, & Filio* &c.

LECTIO PRACTICA.

De Cultu Sacro-Sanctæ Trinitatis.

TRibus SS. Personis Divinis, & simul, & sigillatim sumptis deberi Cultum Supremum Latriæ; cùm & simul & sigillatim sumptæ sint Verus DEUS: extra dubium est. Debetur insuper Cultus Infinitus, Honor & Amor summus atq; æternus, ex toto corde, tota anima, omnibus viribus: eò quòd sint Bonitatis, Dignitatis & Perfectionis omninò infinitæ & æternæ. Post designata certa tempora colendis Secundæ & Tertiæ Personæ divinæ, diem hunc Primæ unà cum reliquis duabus colendæ dedicavit S. Ecclesia. Si quid igitur in proprijs singularum festivitatibus præstamus devotionis, honoris & amoris: hodie longè cumulatiùs præstandum. Quid in hoc negotio egerint nonnulli, paucis accipe in exemplum.

Venerab. Beda in usu frequentissimo habebat finalem illum Psalmorum versiculum, *Gloria Patri & Filio & Spiritui S. Sicut erat in principio, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.* ejusq; pronunciationi, seu cantui, immortuus est. Hanc SS. Trinitatem glorificandi Formulam accepit ab Angelis S. Ignatius Episcopus Antiochenus & Martyr gloriosus. Intentus

enim

enim orationi audivit ab Angelis in duos choros distinctis, cani suavissimâ melodiâ Psalmos Davidicos, singulisq; adjici illam Clausulam: *Gloria Patri & Filio* &c. Quem morem in Ecclesiam deinde induxit S. Damasus Papa, teste *P. Barry in Anno suo Sancto*. Et meretur omninò Angelica hæc Clausula, ut singulari reflexione, alacritate, & fervore eam pronunciemus in S. Psalmodia.

S.P. N. Ignatius eximiè addictus fuit amori & cultui SS. Trinitatis, utpote quæ frequentibus eum dignata fuit apparitionibus & singularibus gratijs. In Manresana specu Mysterium SS. Trinitatis tam clarè ei revelatum est; ut homo adhuc literarum rudis, justum, nulliq; nævo obnoxium, de eo librum conscripserit. Eunti Romam cum Socijs, Pater æternus in quodam Sacello apparuit, Filioq; commendavit. Filius, in specie jam parvuli, jam Viri se spectabilem exhibuit, & in itinere Romano promisit: *Ego vobis Romæ propitius ero*. Cui promisso ad hæc usq; tempora cumulatè respondit, per singularem difficillimis temporibus Providentiam. Spiritus S. nunc in specie flammæ igneæ, ut olim Apostolis, nunc sub alijs figuris apparebat, dum Constitutiones Societatis conscriberet. *Lancic. in Gloria S. Ignatij c.* 4. &c.

P. Petrus Faber S. J. circa festum SS. Trinitatis renovabat animam suam, dicens: Omnia mysteriorum Christi festa in illo festo concludi: & servum DEI summopere niti debere; ut sit comptum splendidumq; SS. Trinitatis tabernaculum. P. Camillus Constantinus S. J. cùm in odium fidei Tabiræ in Japonia, palo alligatus, lento igne exureretur, totus constanter fuit in laudanda SS. Trinitate. Ad *Gloria Patri* &c. concidit, funibus jam combustis: Sed mox collectis viribus exurgens, iterum in laudem & glorificationem SS. Trinitatis effundebatur, donec in Trisagio illo Angelico *sanctus*, *sanctus*, *sanctus*, quod concinebat, occumberet. *Nadasi in Anno hebd. cælest.*

Eximius, & planè singularis in hoc genere cultûs fuit P. noster Franciscus Folianus, vir magnarum virtutum. Cultum quàm maximum SS. Trinitatis assiduè & verbo & exquisitis exemplis commendabat. DEI nomen & SS. TRINITATIS majusculis semper & elegantibus literis, nec nisi flexis genibus scribebat. Ubicunque ei occurreret imago SS. Trinitatis, etiam in publicis plateis, submisso genu eam venerabatur: actus virtutum semper per ternarios exercebat, atq; ita in gratiam Divinæ Triadis, addictus erat numero ternario, ut omnia, quæ poterat, vellet ternaria. Corolla precatoria de SS. Trinitate tribus constabat Decadibus, funiculus ejus tribus diversis coloribus, albo, cæruleo & rubro, lectulus tribus asseribus constabat,

constabat, cubiculum Romæ triangulum incolebat, trigono utebatur pectine, fuscinulâ tridente; ad mensam cultrum, fuscinulam & cochlear in formam triquetram disponebat, panem ter cruce signabat, nunquam pluribus quàm tribus ferculis vescebatur, terno haustu in quavis comestione contentus. Triangula æquilatera sæpe pingebat, habebatq; solemne effatum: *Tria sunt omnia.* Ad omnem SS Trinitatis commemorationem profundissimè corpus inclinabat. Novis ædificijs, ubi poterat, curabat ejus effigiem addi, eidem templa ac sacella dicari. Ad ejus Festivitatem toto octituduo se disponebat, geminato mortificationis & orationis consuetæ penso. Pridie Festi, vespere in sacello domestico sacerdotalem induebat apparatum, & sic totâ nocte ante aram pervigil stabat: summo manè inter inexplicabiles animi delicias Sacrum ad horam integram producebat; eâdemq; contentione pietatis diem octavam peragebat. In quotidianis sacrificijs ordinariæ Præfationi, ex Pontificis indulto, aliam de SS. Trinitate adjiciebat. Triduo æger decubuit: moriens tres digitos in modum trianguli dispositos cordi superimposuit, velut constantis suæ pietatis signaculum. In corde pijssimè mortui inventæ sunt tres flammulæ, quæ parte adversâ in unam coalescebant. *Sothvellus in Biblioth. soc. Nadasi, Barrij*, &c. Benedicta sit S. Trinitas, & Individua Unitas! Ipsi laus, & honor, & amor in sæcula.

FERIA II. Post Dom. I. Pentec.

MEDITATIO. *De Prima Divinitatis Persona, Patre æterno.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: primam Divinitatis Personam verè esse Patrem. *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam?* Isa: 66. Et Ephes. 13. dicit Apostolus: quòd *ab ipso omnis Paternitas in cælo & in terra nominatur.* Est enim primum principium & origo omnis processionis, productionis & generationis. Generat autem Filium ab æterno intra se, consubstantialem sibi, tribuendo ei naturam similem, ut in creatis fit generationibus, sed prorsus eandem cum omnibus perfectionibus suis absolutis: ut verè dicat Filius Joan. 10. *Ego & Pater unum sumus.* Et: *Pater in me est, & Ego in Patre.* Vide autem profusissimam bonitatem ejusdem æterni Patris: siquidem, præter Filium sibi naturalem & super omnia dilectum, qui solus Paterno cordi infinitâ voluptate implendo sufficit; placuit ipsi de misero genere Adæ plurimos adoptare Filios, & Unigeniti sui facere cohæredes. Quanta illius charitas! Quanta nostra felicitas! Credo, ô Pater æterne, æternam generationem tuam, adoro summam Majestatem, amo infinitam Bonitatem. Da, ut filiali corde ad te suspiremus: *Pater noster, qui es in cælis*; & non simus tibi degeneres.

2. ADora D. JESUM & considera ipsum, ut Unigenitum, & simul Primogenitum æterni Patris. Unigenitus est: quia alter naturalis DEI filius nec est, nec esse potest, nec ab istius continua generatione Pater unquam cessare potest. Primogenitus est respectu nostri, quos Pater adoptavit in filios, Unigenitus ipse admisit in fratres, per gratiam Spiritûs S. regeneratos. Unigenito DEI debemus summum cultum & amorem: quia id Pater requirit, & dignitas ejus meretur. Primogenito DEI, & Fratri nostro majori, debemus observantiam fraternam, & fiduciam in affectu ejus fraterno: quia caro nostra est, os de ossibus nostris. At, quis ego sum, Optime, Maxime JESU, quem fratris nomine & sorte digneris? Admitte in vernaculum tuum, & mancipiorum infimum.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam ut Filiam Patris æterni, Primogenitam ante omnem creaturam: quo elogio eam honorant S. Vincentius Fererius Serm. de Concept. B. V. & S. Antoninus in Summa p. 4. tit. 15. cap. 14. Ipsa enim in mente & corde Patris æterni, inter omnes puras creaturas, semper habuit & habet locum primum, cognita jucundiùs, amata teneriùs, adoptata liberaliùs, & vocata in hæreditatem cum Unigenito communem; ut sit Princeps totius Universi, & Domina in tota aula DEI. Gratulor tibi eam dignitatem, ô Domina. Fac & me dignum æterni Patris filium. Amem & amer ut filius!

Vide denique: an, & quæ habeas indicia: quòd sis filius Patris cœlestis. Non eris hæres, si non fueris filius. Filij indicia præcipua sunt sincerus Amor, & conformitas morum. Hæc procurare propone.

LECTIO PRACTICA.

Quibus affectibus in Patrem æternum ferri debemus.

NOn vulgaris argui possemus præsumptionis, passim appellantes DEUM Patrem nostrum: nisi Unigenitus, qui est in sinu Patris, nos ita instruxisset. Matt. 6. *Sic ergò orabitis: Pater noster, qui es in cœlis* &c. Sancti Veteris Testamenti rarissimè id audebant: quia adhuc erant in statu servorum, seu in servitute Legis. Nobis autem *misit Deus Spiritum Filij sui in corda nostra clamantem: Abba, Pater.* Gal. 4. *Itaq;* Christianus *jam non est servus, sed filius.* Magna felicitas & dignitas nostra: quòd cum Unigenito DEI, coævo & in omnibus æquali Patri, communem habeamus Patrem! Magna felicitas: sed quæ non parvam nobis imponit obligationem dispiciendi; quo affectu nobis pronunciandus & colendus sit Pater, qui tam gratiosè nos admittere dignatus est in sortem filiorum.

Inprimis

Inprimis dum DEUM appellamus *Patrem* noſtrum, magnâ id agendum reverentiâ, & profundâ humiliatione: exemplo Eccleſiæ Sanctæ; quæ, dum in Sacrificio Miſſæ recitanda eſt Oratio Dominica, ſemper præmitti vult præambulum iſtud: *Præceptis ſalutaribus moniti, & divinâ inſtitutione formati, audemus dicere:* Pater noſter &c. Qui enim ſumus nos? & quis ut DEUS? *Et nunc, Domine, Pater noſter es tu; nos autem lutum.* Iſa. 64.

Secundò magna cum fiducia ea vox, *Pater*, pronuncianda, exemplo Chriſti Joan. 11. *Pater, gratias tibi ago, quoniàm audiſti me: ego autem ſciebam, quia ſemper me audis.* Et Matt. 26. *An putas* (dixit Petro rem gladio agenti) *quia non poſſum rogare Patrem meum: & exhibebit mihi modò plus, quàm duodecim legiones Angelorum?* Nos ipſos experimur valde pronos ad benefaciendum, quando videmus, petentem multùm confidere benevolentiæ noſtræ, etiamſi extraneus ſit: quantò magis DEUS promptus erit ad implenda vota noſtra, ſi cum filiali fiducia recurrerimus, ut ad Patrem! *Erit tibi anima tua in ſalutem: quia in me habuiſti fiduciam.* Jerem. 39.

Tertiò ad pronunciationem vocis *Pater noſter*, revocandum nobis eſt in mentem quintuplex filiale debitum, quo DEO obligati ſumus; ſcilicet ut ipſum amemus, honoremus, imitemur, ei obediamus, & paternæ ejus correctioni nos plenè ſubjiciamus. *Primi* debiti admonet nos Eccleſiaſticus cap. 7. *In omni virtute dilige eum, qui te fecit.* Dilige autem, non ut mercenarius propter mercedem; ſed propter intrinſecam ejus perfectionem & bonitatem, cujus impulſu te voluit creare, & ad ſupernaturalem elevare hæreditatem. *Secundum* debitum requirit ipſemet diſertè Malach 1. *Si Pater ego ſum, ubi eſt honor meus?* Honor autem Patri noſtro cœleſti debitus non conſiſtit ſolùm in externis quibuſdam ceremonijs ſeu ritibus; ſed maximè in æſtimatione interna ipſius ſuper omnia. *Tertium* debitum exigit à nobis Jerem. 3. *Patrem vocabis me; & poſt me ingredi non ceſſabis,* per diligentem imitationem morum paternorum; alioqui ut degener repelli mereberis, & non agnoſcam te filium. *Quartum* debitum revocat nobis Eccleſiaſticus cap. 4. *Eris velut filius Altiſſimi Obediens: & miſerebitur tui magis, quàm mater.* Obediendum autem non ſolùm in exequendis mandatis, comminationem pœnarum annexam habentibus, quod ſervorum eſt: ſed in obſervando, & implendo etiam nutu paterno; quod filiorum. *Quinti* debiti admonet nos Apoſtolus Hebr. 12. *In diſciplina perſeverate: tanquam filijs offert ſe Deus. Quis enim filius, quem non corripit pater?* Omnia igitur, quæ nobis occurrunt, adverſa, paupertas, infirmitas, ignominiæ, tentationes &c. à Deo, ſicut de manu Patris amantiſſimi, ſuſcipienda, tanquam paterni affectûs teſſeræ, tanquam

profectûs nostri media, & futuræ felicitatis pignora. *Qui diligit filium, assiduat illi flagella: ut lætetur in novissimo suo.* Eccl. 30. Ad horum igitur debitorum exolutionem paratos promptosq; nos exhibeamus oportet, dum DEUM Opt. Max. Creatorem ac Dominum nostrum, compellamus ut Patrem.

His similibusq; affectibus instructæ invocationi nostræ non deerit benignissimus Pater: sed quorum dignatus est esse, & vocari Pater, ijs viscera paterna & opulentam hæreditatem libenter exhibebit.

FERIA III. Post Dom. I. à Pentecostes.

MEDITATIO. *De Secunda Divinitatis Persona, Filio Dei.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: secundam Divinitatis Personam verè & propriè esse Filium. Prima enim Persona plenè comprehensivè intelligendo se ipsam cum omnibus infinitis perfectionibus suis, producit in mente sua Verbum, seu vivam quandam Imaginem, perfectissimè exprimentem ipsammet, & omnes omnino perfectiones ipsius necessarias. Quod Verbum, cùm non possit esse accidens, seu quiddam contingens, ut in nobis; nec multiplicari possit Natura divina: necesse est, ut eandem participet naturam, quæ est in prima Persona, cum omnibus perfectionibus ejus, adeoq; sit consubstantiale Personæ primæ. Verè igitur & propriè *Filius* est id Verbum: quia est substantiale, vivum & vitale, vi processionis suæ simillimum principio suo. Admirare, & ama hunc divinum mentis partum, hanc admirabilem omnis perfectionis Imaginem, infinitam hanc æterni Patris Sapientiam: & vide; quas ipse soleas mente tuâ concipere & fovere Imagines, quæ formare verba & mentis & oris? Adoro te, Magna Magni Patris proles, Fili DEI vivi. Credo, quidquid de te, & Patre tuo revelâsti. Utinam aliquando revelata facie cernere liceat!

2. ADora D. JESUM, & considera: Sanctissimam ejus Humanitatem singularissimâ prærogativâ assumptam esse in Filium DEI naturalem ita; ut filius hominis proprijssimè sit Filius DEI, idemq; Unigenitus, qui ab æterno est in sinu mentis paternæ. Hanc ejus generationem quis enarrabit? Admirare & crede, quam non capis, mirabilem humanitatis assumptionem, & Filij DEI cum filio hominis identitatem. Suspice insperatam naturæ humanæ felicitatem & exaltationem. Cave autem, exaltatam in Christo ad dignitatem Filij DEI naturam humanam, redigere in te ipso ad vilitatem mancipij diaboli. Non te prostituam lectissima Filij DEI Sponsa.

3. VEnerare DEIparam V. & considera summam ejus felicitatem: quòd non solùm in sensu aliquo accommodo, sed verè & propriè facta sit

Mater

Mater DEI: siquidem communem habet cum Patre æterno filium, nec minùs, quàm aliæ mulieres, ad generationem prolis suæ, concurrit ad temporalem generationem Filij DEI. Imò magis concurrit: quia sine adminiculo seminis virilis; quod aliàs in generatione præcipuas obit partes. Quanta hæc felicitas Virginis, quanta dignitas Matris! Credo, glorifico, veneror Te, Maxima & Optima Matrum. Gratulor oppressas omnes hæreses pugnantes adversùs Maternitatem tuam divinam. O si & me admittas, imò formes in filium sincerum!

Vide denique: an in Filium Dei & Mariæ, Dominum Jesum, congruo feraris affectu? propone sinceriorem & ferventiorem.

LECTIO PRACTICA.

Alphabetum triplex piorum Affectuum erga Filium Dei.

SEcunda Divinitatis Persona, DEI Filius, singulariter nobis Amabilis & Venerabilis est propter inæstimabilem Charitatem, quâ dilexit nos, & tradidit semetipsum hostiam pro peccatis nostris, non homo tantùm factus, sed opprobrium hominum & abjectio plebis. Ut tam propenso in nos affectui aliquatenus respondeamus; pios, quos possumus, congeramus affectus erga ipsum. Juvat autem eos Alphabetico ordine disponere: ut memoriæ hæreant tenaciùs, & promi possint faciliùs. Primum Alphabetum, varietatis gratiâ, erit Verborum, Secundum Appellativorum, Tertium Adjectivorum.

I. *Adoro* te, Divinissime JESU, vilissimum mancipium tuum, non solùm ad dexteram Patris sedentem; sed etiam in patibulo crucis inter latrones pendentem, Dominum meum, ac DEUM meum. *Benedico* te benedictum Fructum uteri Virginei, in quo benedicuntur omnes tribus terræ, & gentium nationes. Benedicet tibi æternùm anima mea: Semper laus tua in ore meo. *Credo*: quòd tu sis Christus, Filius DEI vivi; & quidquid de te credendum proponit Ecclesia tua. O si hujus Fidei cruentus esse possem testis! *Diligo* te, Amor meus, infinitè & super omnia Amabilis. Diligo super omnia, quæ non sunt DEUS. O quantum *doleo*: quòd tam serò, tamq; parùm te amaverim; tam sæpe, tamq; graviter offenderim! *Exaltabo* te, Rex meus, & DEUS meus, & glorificabo nomen tuum super omnes reges terræ, & super omnes Principes cœli. *Fiat* nunc & in æternum Voluntas tua in me, de me, circa me, per me, & à me. *Glorificabo* te, Gloria mea, inter omnes & super omnes: Omnes motus mei, omnia bona mea, & tota substantia mea cedant ad majorem, &, si fieri potest, maximam gloriam tuam. *Habeo* tibi immortales & infinitas gratias pro infinitis maximisq; indignissimo col-

mo collatis beneficijs. *Ignosco* amore tui omnibus adversarijs, & inimicis meis: & in unione illius charitatis, quâ petijsti Crucifixoribus tuis ignosci, peto & ego inimicis meis ignosci. *Laudabit* usq; ad mortem & in æternum anima mea te, Domine: quoniam eruisti eam ex inferno inferiore. *Memor* ero nominis tui in diebus & lætitiæ & tribulationis meæ. A te principium omnis operis mei; tibi desinet. *Noverim* Te, noverim me, Pretiosissime JESU, ut dignè æstimem & amem te: oderim me. *Offero* tibi, quidquid habeo, quidquid possum, quidquid sum. Suscipe, & miserere. *Peccavi* in cœlum, & coram te! Nulla mihi spes esset veniæ; nisi scirem, te venisse, peccatores salvos facere. Cor contritum & humiliatum non despicies. *Quæram*, non meam, sed tuam gloriam in omnibus. *Resigno* me plenè in omnem voluntatem & dispositionem tuam, atque eorum, quos mihi præesse voluisti. *Spero* in misericordia tua infinita: etiamsi occideris me, in te sperabo, & non confundar. *Timet* judiciariam potestatem tuam, anima mea: Confige timore tuo etiam carnes meas. *Vivam* deinceps ego, non jam ego: vives verò tu in me, & ego in te. Quamdiu autem erit halitus in me, *zelabo* honorem tuum: zelus domûs tuæ comedet me; ô utinam consumat! Amen.

II. *Advocatum* te meum apud Patrem veneror, mi JESU Gratiosissime. Tu *Brachium* Altissimi, in quo fecit potentiam: tu *Caput* omnis Ecclesiæ cœlestis & terrestris: tu *Dominus* meus & *Deus* meus: Dilectus & *Electus* ex millibus *Emmanuel* noster: *Flos* generis humani, Flos campi & Lilium convallium: *Gemma* omnibus mundi thesauris pretiosior: *Homo Deus*, Humilis & mitis corde: *JESUS* meus & Omnia: *Lumen* oculorum meorum, Lumen ad revelationem gentium: Magister & Medicus mundi: *Nectar* in ore piorum, jubilum in corde: *Omnipotens* sermo Domini: *Princeps* regum terræ, *Pater* futuri sæculi: *Quies* suavissima strenuorum in vinea tua operariorum, & merces magna nimis: *Rex regum* & Dominus dominantium: *Sacerdos* in æternum secundùm ordinem Melchisedech: *Triumphator* mundi, carnis & diaboli gloriosissimus: *Via, Veritas & Vita* Beatissima! Zelator animarum nostrarum ardentissimus.

III. O Dilecte votorum meorum, DEUS cordis mei JESU Amabilissime, Benignissime, Beneficentissime, Clementissime, Divinissime, Excellentissime, Formosissime, Gratiosissime, Humillime, Jucundissime, Liberalissime, Mitissime, Nobilissime, Obedientissime, Pretiosissime, Quis similis tui? Rosis es pulchrior, Sole splendidior, Thure fragrantior, Vitâ mihi charior, Zelosissime paterni honoris & salutis meæ vindex.

Alpha-

Alphabeta hujusmodi si non festinanter decurrantur, sed aliquantisper affectibus vel elogijs singulis inhæreatur: suavissimum habent gustum, multumq; valent ad concipiendum, augendum & fovendum ardentissimum in D. JESUM amorem. Opportunissima sunt in itineribus, meditationibus aridis, nocturnis insomnijs, & diurnis minùs occupatis horis; sive tota percurrantur, sive partes aliquæ, prout tempus permiserit. Nec laborandum memoriâ. Potest enim substitui, quidquid occurrerit; si non occurrerit, quod debebat.

FERIA IV. Post Dom. I à Pentec.

MEDITATIO *de Tertia Divinitatis Persona, Spiritu Sancto.*

1. ADora Spiritum S. DEUM, & considera: ipsum esse substantialem, purissimum, vehementissimum, infinitum Amorem, quo Pater & Filius incessanter & summè sese invicem amant. *Deus Charitas est.* 1. Joan. 4. Vocatur is Amor *Spiritus*: vehementer enim amantes, ob æstum cordis crebriùs ac vehementiùs spirant & respirant. Dicitur Spiritus *Sanctus*; tum quia in se sanctissimus, imò ipsa sanctitas est, tum quia est Author omnis Sanctitatis in creaturis. Per eundem enim Spiritum diffunditur Charitas DEI in cordibus nostris, Rom. 5. quâ filialiter DEUM amamus & sanctificamur. Adoro Te, quàm possum, reverentissimè, Spiritus Sancte DEUS. Amo Te (utinam vehementer, vehementiùs, vehementissimè) ô Amor increate, Amor sanctissime. Veni, obsecro, veni: & tui Amoris in me ignem accende. Purifica, sanctifica amores meos.

2. ADora D. JESUM, & considera: unam ex præcipuis causis, ob quas in mundum venit, fuisse; ut in cordibus nostris per Spiritum S. excitaret & foveret ignem divini amoris. *Ignem veni mittere in terram: &, quid volo, nisi ut accendatur?* Luc. 12. Vult nimirum, ut corda nostra in pabulum perpetuum offeramus Igni illi divino. Vult, ut eum non foveamus velut sub cinere; sed ebulliat dilatato corde, & crescat in flammam charitatis, quâ non ipsi solùm ardeamus, sed alios quoq; longè lateq; illuminemus, & accendamus. Quantùm arserit hoc igne ipse; Amabilissimus JESUS; patet ex Nativitate, Vita, & Morte ipsius. At in nobis quantopere friget hic ignis! Mitte etiamnum, Gratiosissime JESU, Spiritum S. tuum, qui suscitet illum in cordibus nostris; ut ardeamus, & tibi ardendo consumamur.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut Altare aureum perpetuò ardens igne S. Spiritûs. Conceptam enim in instanti Conceptionis suæ divini amoris, non scintilam, sed flammam ingentem, non tan-

tùm extingui, vel intepeſcere aliquando, paſſa non eſt; ſed grandibus aſſiduò auxit incrementis. De hoc Altari, ut notavit S. Antonius Paduanus Serm. in Dom. 12. poſt Trin: ſumpſit divinus Seraphin, DEI Filius, ignitum Humanitatis carbonem ad purganda & ſanctificanda corda noſtra. Accedo & ego ſupplex, ô Domina: ut ignibus tuis inardeſcam, & exurantur in me omnes vitiorum fibræ, omnes pravorum habituum extremæ radices, omnes inordinati amoris carbones deſolatorij. Conſecret ſibi & meum cor in aram perpetuam Amor Deus, Spiritus S. Deus, Fons vivus, Ignis, Charitas.

Propoſitum, v. gr. *de eliminando è corde amore inordinato N.*

LECTIO PRACTICA.

De frequentanda affectuoſa Invocatione Spiritûs Sancti.

Cum conſtet de neceſſitate ſumma gratiarum Spiritûs S. manifeſtum quoq; eſt; eas nobis & frequentiſſimè & ferventiſſimè implorandas eſſe. Forma autem invocandi Divinam hanc Perſonam, ejuſque favorem nobis conciliandi, vix alia occurret commodior, quàm quâ utitur Eccleſia S. in Sacrificio Miſſæ per Octavam Feſtorum Pentecoſtalium: *Veni S. Spiritus, & emitte cœlitùs lucis tuæ radium* &c. quam, vel ut jacet, crebriùs iterare juvabit, vel cum ſuccincta paraphraſi ſequente.

Veni Sancte Spiritus, Sanctitatis omnis Author & Promotor: *& Emitte cœlitùs lucis tuæ radium*; quo illuſtratus, noverim Te, noverim me; Noverim mundi vanitatem, carnalium voluptatum fœditatem, malignorum ſpirituum calliditatem, & ſanctiſſimam tuam circa me voluntatem.

Veni Pater pauperum: tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adjutor. Quantæ ſunt divitiæ tuæ; tanta eſt paupertas animæ meæ. Quid enim habet, quod non acceperit? Et quid accepit; quod non cum prodigo turpiter prodegerit? Paupertas eſt extrema in memoria; quia rara de DEO cogitatio: Paupertas in Intellectu; quia multa divinorum & æternorum ignorantia: Paupertas in Voluntate; quia ſummus virtutum defectus: Paupertas in ipſa ſubſtantia Animæ; quia & Innocentiæ ſtolâ nudata eſt, & de aliqua mica ſanctificantis gratiæ tuæ certa non eſt. Tanta cùm ſit egeſtas mea: Veni Pater pauperum, *Veni Dator munerum.* Magnifica Liberalitatem tuam: ſiquidem nulla ſunt merita mea, quibus gratiam tuam merear; imò offenſæ plurimæ, quibus ea æternùm carere merui. Sed tantò ſpectabilius erit munus tuum: quantò major indignitas mea. Quam ut ſemper ante oculos habeam; & pauper meritis, etiam eſſe ſtudeam pauper ſpiritu, non opes, non honores mundi deſiderans: *Veni Lumen cordium.* Videam; quid appetam, quid contemnam.

Veni

Veni Consolator Optime. Multa mihi obtrudunt varij solatia, multa hinc inde mendico ipse: sed vel in fine pungunt ut coluber, vel ut fumus evanescunt, post inquinatam animam. Tu Consolator es Optimus, quia verus & solidus; qui etiam, dum contristas, faves; dum compungis, sanas; dum lacrymas cies, vinum Angelorum propinas; dum cordis intima ingrederis, ô quàm *Dulcis* es *Hospes animæ!* Quàm *dulce Refrigerium*, præsertim in æstu tentationum & pravarum cupiditatum laboranti! Non adjuvas solùm laborantem, & coronas post laborem, refrigeras post æstum, recreas post fletum: sed es ipso *in labore Requies, in æstu Temperies, in fletu Solatium.* Te juvante labor non fatigat, æstus non accendit, fletus est dulcis.

O Lux beatissima; in cujus lumine temporali ambulantes, videbimus olim lumen æternum, plenè illuminans, & omni ex parte beatificans: *Reple cordis intima tuorum fidelium,* Dispelle nebulas, fumos, vapores, & tenebras omnes, in quibus latitant latrones animarum nostrarum: ut sicut in die ambulemus honestè & securè.

Sine tuo Numine, quod est unum idemq; cum Patre & Filio, & Majestatis, & Sanctitatis, & Omnipotentiæ, & omnis infinitæ perfectionis communione; *Nihil est in homine*, quidquid habet boni: *Nihil est innoxium*: ipsum enim bonum vertitur in delictum; nisi tu confirmes, quod operatus es in ipso. Mundâsti conscientias? Sed rursus eas inquinamus ipsi. Virtutum germina & flores in deserto nostro vernare fecisti, Divinissime Auster: sed decoxit vernantes æstus concupiscentiarum nostrarum, & latam sterilitatem induxit. Sanâsti vulneratos? Sed nondum bene obductum vulnus refricuit temeritas nostra. Rursus igitur, ô Spiritus Gratiosissime

Lava, quod est sordidum, riga, quod est aridum, sana, quod est saucium: & ubi laveris, rigaveris, sanaveris; conserva inductam munditiem, fœcunditatem, sanitatem; ne redeamus ad volutabrum luti, in desertum antiquum, & vias Jerichuntinas, ubi novis acceptis plagis periculosiùs vulneremur. Insuper

Flecte, quod est rigidum: duram cervicem meam igneâ virtute tuâ emolli, & obstinatam voluntatem in omnem nutum tuum & Superiorum meorum flecte. *Fove, quod est rigidum:* ne ultima divini Amoris scintilla in corde meo extinguatur. *Rege, quod est devium:* exerrantem reduc in viam veritatis, justitiæ, perfectionis, & quamvis arduam, salutarem tamen, viam Sanctæ Crucis.

Da tuis fidelibus in te confidentibus Sacrum Septenarium, septem donorum tuorum specialium. Da Donum Sapientiæ Cœlestis, Scientiæ salutaris, Intelle-

tellectûs docilis, Consilij sani, Fortitudinis infractæ, Pietatis veræ, Timoris filialis.

Da virtutis meritum, ad obtinendam gloriam cœlestem: *Da salutis exitum*, ne incidamus in tormenta æterna: *Da perenne gaudium*, in Te, & de Te, Tecum, & cum Patre atq; Filio, in sæcula sæculorum. Amen.

In Festo SS. CORPORIS CHRISTI.

MEDITATIO *de Summa Charitate Dei ac Christi in Institutione, Deiparæ V. in susceptione Venerabilis Eucharistiæ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum in Ven. Eucharistiæ Sacramento non minoris charitatis exhibere nobis tesseram, quàm in Incarnatione Verbi, & morte Christi. Eundem enim Filium suum cum eodem corpore & anima & sanguine suo tradit nobis Pater. Eadem virtus Spiritûs Sancti, quæ operata est Incarnationem, operatur etiam Eucharisticam transsubstantiationem non minore Omnipotentiæ virtute. Eâdem dignatione, imò majore, ingreditur Unigenitus DEI viscera nostra, quâ olim descendit in uterum Virginis. Sic iterum dilexit DEUS mundum: sic me dilexit! O miram circa nos incomprehensibilis charitatis tuæ operationem, Optime DEUS! O stupendam ingratitudinis meæ magnitudinem! Vide tandem, anima mea: quid rependas sic amanti DEO. Monstrosa ingratitudo est, non redamare sic amantem; ne dicam, offendere graviter.

2. ADora D. JESUM, & considera stupendum ejus Amoris excessum in Ven. Eucharistia. Quis cogitari, ne dicam requiri, potest major affectus & actus amantis, quàm si non solùm bona sua profundat in amatum, sed etiam sanguinem & vitam suam; eamq; non hominis plebeji, sed Principis supremi, cui genua curvant Superi & inferi? At hoc non contentus supremo dilectionis argumento, DEUS, Homo, JESUS, insuper sese nobis totum tradidit in cibum quotidianum. Quis hic amoris excessivus excessus? Quàm turpis mutui amoris nostri defectus? Jacob Patriarcha in Mesopotamiam proficiscens, cùm ænigmaticâ DEI visione recreatus esset per somnum; *Si*, inquiebat, *Deus fuerit mecum, & custodierit me in via, per quam ambulo; & dederit mihi panem ad vescendum &c. erit mihi Dominus in Deum.* Numquid potiori infinities jure meretur D. JESUS, ut sit nobis in DEUM unicè dilectum; & non venter noster, ambitio nostra &c.? Facessant hujusmodi monstra. JESUS mihi semper & unicè erit in DEUM super omnia amandum.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quo in DEUM & JESUM suum arserit amore, quoties ad epulum Eucharisticum accessit.

Recolebat gratissimâ mente; quanta sibi fecerit DEUS in VERBI Incarnatione: at quòd liceret eundem, quem semel conceperat, quotidie intra viscera recipere, charitas videbatur omnem modum supergressa. Totis igitur viribus totam accendebat animam in mutuum amorem. Accende & me, ô Virgo plusquàm Seraphica.

Propositum, v. gr. *de frequentandis hodie potissimùm amoris actibus erga Deum & Jesum Eucharisticum: & assistendo diligenter per hanc Octavam Processionibus solitis.*

JUstissimis ex causis Ecclesia Catholica quotannis Eucharistico JESU triumphalem quandam toto octiduo adornat pompam, deducendo eum per templa & compita, insigni fidelis populi frequentiâ & reverentiâ. Facit id 1. in publicam fidei suæ, submissionis & amoris contestationem. 2. In tesseram aliquam Gratitudinis debitæ. 3. In quandam compensationem injuriarum, quas olim tulit à Judæis Christus, præsertim in deductione ab innumero populo ad montem Calvariæ; & nunc patitur ab hæreticis præsentiam ejus corporalem negantibus; & malis Catholicis indignè eum suscipientibus. 4. Ad oppida & urbes majore benedictione divinâ replendas, & præsidio muniendas. Quantum enim præsidij contra hostes adferat Ven. Eucharistia: docuit S. Clara, quæ cum illa ad portam civitatis, à Saracenis obsessæ, se deferri curavit; & hostes in fugam conjecit.

Porrò quantâ hominum frequentiâ solemnes hujusmodi actus celebrari deceat, docet inprimis Spiritus S. Proverb. 14. ubi dicit: *In multitudine populi dignitas regis: & in paucitate plebis ignominia Principis*, præsertim in publicum solemniter prodeuntis. Deinde si, Josuæ c. 6. Arca fœderis circa muros Jerichuntinos summâ populi totius frequentiâ & modestiâ deduci debuit diebus 3. universo exercitu armatorum præcedente, & reliquo populo omni sequente: Si ad eandem Arcam in civitatem David deducendam 2. Reg. 6. triginta millia electorum ex omni Israel, de viris autem Juda populus universus colligi debuerunt, plaudente & saliente ipso rege coram Arca; Eucharistiæ nostræ umbra: quanto piaculo DEO nostro per turpem incuriam negabimus obsequium longè minus, & longè nobis fructuosius?

Quanto commodo suo Augustissima Domus Austriaca exercuerit, & etiamnum exerceat Eucharisticæ pietatis officia, sive in Processionibus solemnibus, sive in deductione Sacerdotum cum Viatico divinò ad ægros: orbe toto celebratissimum est. Inter cæteros eminet Ferdinandus II. Imperator pijssimus, solitus quotannis triumphantem Christum Eucharisticum comitari, facem manu præferens, nudo capite, solâ floreâ redimitus corollâ.

Quoties in via ei Sacerdos occurrit SS. Eucharistiam deferens ad ægrotos; illicò curru desiliebat, & fixis etiam in lutulenta humo genibus, DEUM adorabat, atque ad ægrum comitabatur. Venationi aliquando intentus, cùm nolulæ sonum auribus acciperet, quæsivit: quid rei, aut indicij id esset? Ubi audivit; Divinum Viaticum viâ militari deferri ad rusticum moribundum; confestim per confertissima obstacula eluctatus, pedibus Dominum deduxit ad mapale: ut mirum non sit, huncin summis periculis Ferdinando semper præsentissimum fuisse, præsertim à rebellibus obsesso Viennæ.

Philippus II Rex Hispaniæ Austriacus, nudo capite Ven: Sacramentum per urbem deducens, cùm moneretur, ut ob valetudinem solis æstu lædendam caput operiret, respondit: *Hodie Sol non urit.* Dissimulanda sunt incommoda nostra, ubi solemne Domino exhibendum est officium. Ingeniosè expressit non nemo utilem hanc Austriacorum pietatem in emblemate Thesibus Theologicis præfixo: quando grandi pyramidi incidit stemmata regnorum Austriacis subjectorum, & numero, & terris amplissimorum, fastigium tenente Aquilâ Imperiali: basis autem loco posuit Religionem, dexterâ Calicem cum Hostia Sacra pyramidi subjicientem, cum Lemmate: *Hac tanta moles nititur.*

Hispaniam vicinam æmulata est Lusitania, cujus Rex Sebastianus cùm occurreret Sacerdotibus Ven: Eucharistiam ad Ægros deferentibus; semper solebat equo desilire, magnâq; reverentiâ usq; ad ædes decumbentis comitari: tum ad januam domûs foris, genibus flexis præstolari, ac Sacerdotem ad ædem sacram deducere. Theodosius II. Dux Brigantinus in Lusit: id officium noctu libentiùs præstabat, accitâ aulâ suâ facemq; manu præferens, ac dicens: Tunc maximè id officij convenire Principi & aulæ ejus: quando reliqui per indulgentiam somni deficerent. *Rho lib. 3. Virtut. c. 1.*

Excelluit eo genere pietatis in Hispania etiam Ducalis Domus Borgiarum, duorum summorum Pontificum dignitate, Callixti III. & Alexandri VI. honorata; è qua Joannes Dux, S. Francisci Borgiæ parens, etiam urbe egressus ad venationem, si quando signum daretur ære campano Sacri Viatici ad ægros deducendi; confestim advolabat, atq; ut in morem induxerat, longum Nobilium agmen, ardentes faces præferentium, ante Sacerdotem ducebat; vel hâc solâ pietate Filium meritus Sanctum. *Schottus in Vita S. Borgiæ lib. 1. c. 1.*

Excellunt & aliæ gentes hoc Divinissimi Sacramenti cultu, etiam in novalibus Indicis: nobis ô si quispiam se ducem præberet! Interim saltem

spiritu

spiritu comitatum præstemus; & fervente suspirio ægris multam salutem à vivifico hoc Viatico precemur. A Processionibus autem publicis, nulla sint tam urgentia negotia, quæ facilè nos avertant.

FERIA VI. Post Dom. I. à Pentec.

MEDITATIO. *De Dei, Christi & Deiparæ V. summa Liberalitate in V. Eucharistia.*

1. ADora DEUM O. M. & considera summam ejus Liberalitatem in Ven. Eucharistia. Nam non solùm nobis communicantur liberaliùs, quàm alibi, gratiæ Sacramentales, non solùm Humanitas Christi, vel ipsa ejus Persona divina: sed tota divinarum Personarum Trinitas communicatur & percipitur; non quidem vi verborum consecrationis; sed per naturalem concomitantiam, quâ Pater est in Filio, & Filius in Patre, Spiritus S. in utroque. Unde potiori jure, quàm Moyses Deuter. 4. gloriari possumus: *Non est alia natio tam grandis, quæ habeat deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest*, non solùm *obsecrationibus nostris*, sed etiam refectioni animarum nostrarum, per modum cibi sese communicans. Rectiùs de Divino hoc epulo, quàm de Cœna magna hominis illius Luc. 14. dici potest: quòd in eo *parata sunt omnia.* Benedicta sit sancta & individua Trinitas: confitebimur ei; quia fecit nobiscum misericordiam suam liberalissimam. Esurientes *implevit* bonis.

2. ADora D. JESUM & considera: quàm liberaliter sese nobis communicet in Ven. Eucharistia. Dat Corpus, Sanguinem, Animam & Divinitatem Suam, cum omnibus ejusdem & SS. Humanitatis suæ thesauris. Dat se sic totum omnibus, quod totum singulis. Dat diu noctuque, sumere volentibus: imò invitat humanissimè ad divinum hoc epulum; Proverb. 9. *Venite, comedite panem meum; & bibite vinum, quod miscui vobis.* Antea quibusdam credentibus in eum, JESUS *non se credebat eis:* nunc dat se omnibus sine discrimine: sumunt boni, sumunt mali. Permittit se etiam per summum scelus abuti volentibus ad nefanda facinora: ut non tam liberalis, quàm prodigus sui videatur Eucharisticus JESUS. Et quomodo jam mei, mearumq; recularum tenax ero, quin omnia ex asse possideat JESUS? Cùm omnia tua mea sint: quomodo non omnia mea, quæ vix distant à nihilo, tua erunt, ô Domine? Posside, omnia, & jure tuo & resignatione mea. Sed cave, obsecro; ne ipse ego eripiam me tibi.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm liberali charitatis affectu nobis communicet in hoc Amoris Sacramento divinizatam partem substantiæ suæ, os de ossibus suis, carnem de carne sua; eamq; vult cedere

in ſpiritualem, ſupernaturalem, divinam refectionem animarum noſtrarum. Optabat illa ſemper impendi & ſuperimpendi ſaluti atq; commodis noſtris; & tanquam vera Mater viventium omnium, alere nos non lacte ſolùm, ſed, ſi opus eſſet, ſanguine ſuo. Cùm igitur id aſſecuta ſit per inſtitutionem admirabilis hujus Sacramenti: non poteſt non liquidiſſimo perfundi ſolatio. Paſce, ah paſce nos, Gratioſiſſima Mater, hac carne tua, hoc ſanguine tuo; & fac: ut tam pretioſo nutriti alimento, creſcamus in viros, pares laboribus pro magna DEI & tua gloria, totiq; liberaliſſimum ſpiremus Amorem.

Propoſitum, v. gr. *de inviſendo ſæpiùs per diem Chriſto in tabernaculo Euchariſtico.*

LECTIO PRACTICA.

De crebra & devota Ven. Euchariſtiæ Viſitatione.

SUſpicit, & attonitus extollit admirandam DEI Liberalitatem in hoc Sacramento inſtituendo S. Auguſtinus tr. 84. in Joan: *Audeo dicere*, inquit: *quòd Deus, cùm ſit Omnipotens, plus dare non potuit: cùm ſit Sapientiſſimus, plus dare neſcivit: cùm ſit ditiſſimus, plus dare non habuit.* Cùm ergo in Tabernaculo Euchariſtico Divina Liberalitas depoſuerit omnes Bonitatis ſuæ divitias, infinitum gratiarum reſeravit theſaurum, indefectibilem ſolatiorum aperuerit fontem, inſtructiſſimum contra quorumvis hoſtium machinas exhibuerit armamentarium, univerſale contra infirmitates propoſuerit pharmacopæum, menſam deniq; paraverit in conſpectu noſtro adverſus omnes, qui tribulant nos: exiſtimo; non eſſe opus multâ adhortatione, ut recurramus in ſingulos dies crebriùs ad hanc menſam famelici, ad hoc pharmacopæum infirmi, ad hoc armamentarium oppugnati, ad hunc fontem ſitibundi, ad hunc theſaurum extremè egeni. Ubi enim neceſſitatibus noſtris præſentiora aut tam præſentia, & efficacia reperiemus remedia, auxilia & præſidia? Hìc cum Domino licet agere confidentiùs, & coram illo nunc per amoris blandimenta, nunc per compunctiones doloris, nunc per auxiliorum mendicationes &c. cor effundere funditùs: & viciſſim ipſum Dominum per ſpiritualem, ut vocant, Communionem ſuſcipere frequentiùs.

In morem igitur valde ſalutarem inductum eſt in Societate noſtra: ut à ſomno nocturno dimiſſi; confeſtim ad Euchariſticum tabernaculum recurramus, ipſumq; etiam poſt ſumptum prandium & cœnam; & dum tranſacto die ad ſomnum nos componimus, inviſamus. Alij minimùm quinquies in diem id officij erga JESUM Euchariſticum repetunt cum P. Thoma Sanchez, alij ſepties cum S. Franciſco Borgia, alij pluries cum B. Aloyſio Gonzaga;

zaga; qui cùm valetudinis causâ prohibitus esset in tali Visitatione diu immorari, (siquidem mente mox absorbebatur in DEUM) defectum prolixitatis compensabat frequentiâ, & cursim elicitis quibusdam affectibus sese avellebat à centro cordis sui; ut & Domino deferret obsequium, & obedientiæ non transgrederetur nutum. P. Jacobus Salesius fere singulis horis V. Eucharistiam adorabat, Martyrij gratiam petens, quam & impetravit cæsus Albenaci in Gallia ab hæreticis.

P. Leonardus Lessius etsi gravissimis tum perpetui calculi, tum alijs doloribus torqueretur, non omittebat sæpiùs adire Venerabile, cum magno incommodo corporis, sed majore solatio mentis. Unde dicebat: se non habere, quod quereretur de morborum infestatione, quamdiu liceret JESUM adire Medicum.

P. Petrus Faber, unus è primis S. Ignatij Socijs, & P. Jacobus Granadus, Theologus eximius, cùm itinerantes in conspectum alicujus civitatis vel oppidi venirent: illicò inter fastigia tectorum, & turrium apices, requirebant ædes sacras, & in ijs residentem DEUM Eucharisticum, aperto capite, pronoque poplite venerabantur. Granadus insuper nunquam Ecclesiam aliquam præteribat, nisi capite detecto. P. Antonius Rubinus tempus cœnæ, Joannes Divitia Coadjut. tempus recreationis ordinariæ coram Venerabili consumebant orando.

Eximius in hoc genere pietatis fuit S. Franciscus Borgia, eo discretionis dono ornatus à DEO: ut interno quodam lumine ac sensu illicò adverteret; an in tabernaculo Ecclesiæ adesset Hostia consecrata. Ubicunq; degeret: secretam sibi curabat cellam ad aræ maximæ latus, in quam velut in portum à negotiorum jactatione sese recipiebat frequentissimè. Ibi ante DEUM cor effundebat suum; ibi Divinitatis commercio & dulcedine fruebatur, beatæ vitæ prægustans suavitatem, & novas concipiens amoris flammas.

Certè ad concipiendos vel augendos Charitatis Divinæ ignes, & depellendum frigus teporemq; in divino obsequio, non alium reperiemus opportuniorem focum, ad quem recurramus. S. Catharina Senensis intuens sacram Hostiam, videbatur sibi intueri fornacem ardentem, ad inflammandos omnes, qui propiùs accessissent: ut de Tabernaculo Eucharistico dictum videatur illud Isa. 31. *Ignis Domini in Sion, & Caminus ejus in Jerusalem.* Ignis enim, quo ardent animæ devotæ, per civitatem David, Sion dictam, designatæ, ex tabernaculo Eucharistico, seu Hostia divina, tanquam camino desumitur. Ad hunc igitur sæpiùs recurramus, oportet, animæ te-

mæ tepentes & frigidæ: ut fiat nobis, quod P. Octavio Cajetano, S. J. cui sacrificanti apparens DEIpara V. visa est in pectore habere Tabernaculum, è quo pulcherrimus Puer JEJUS prodijt cum ardente face in manu, sub Communione Octavium tenerè arcteq; complectens, & incendens. *Nadasi in Anno Dier. Mem. 8. Martij.*

B. Hericus Suso Ord. Præd. quoties è cella prodeundum fuit, ad visitandam & adorandam in V. Eucharistia æternam Sapientiam, per eam occasionem se conferebat. Improbanti alicui eam moram scitè respondit: Peregrinos, qui in itinere advertunt propinquam amici domum, non posse se continere; quin ad eum divertant. Idem factitabat præter alios P. Valerius Reginaldus S J. ita decere asserens: ut servus injussu Domini sui nihil agat. Ad discendam igitur ejus voluntatem properabat ad tabernaculum Eucharisticum. Idem Oraculum consulebat & adorabat P. Bartholomæus Oleikiewicz, quoties domo exeundum erat. *Nadasi 16. Junij.*

Modo eam Visitationem peragendi utitur quisq; pro sua pietate. Commune est, humillimè Adorare, Actus Fidei, Spei, Charitatis, Contritionis, Oblationis sui & negotiorum suorum &c. elicere, vota & proposita DEO facta renovare, Gratias necessarias nobis & proximo ardenter implorare, Benefactores & Defunctos DEO commendare; pro beneficijs, ac specialiter Epulo Eucharistico, gratias agere &c. Specialiter quoq; communicare in ea Visitatione & licitum & fructuosum est: de qua Spirituali Comm: agetur infrà. Post cibum sumptum, utiliter petitur: ut nobis & socijs sit sanitati, & alacritatem viresque conferat ad obsequium divinum. Quidam visitant Christum die Dominico, ut DEUM ac Dominum suum, Fer. 2. ut Redemptorem: Fer. 3. ut Magistrum, 4. ut Medicum, 5. ut Captivum Amoris, 6. ut Vulneratum & Mortuum amore, Sabb: ut Glorificatorem suum & omnium Sanctorum: & his titulis congruos eliciunt affectus. Etiam de hac Visitatione dici potest illud Job. 10. *Visitatio tua custodivit Spiritum meum.*

SABBATO.

MEDITATIO. *De admiranda Dei Potentia in V. Eucharistia: Christi mirabili Existentia in ea: Deiparæ V. mira Reverentia erga eandem.*

1. ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus potentiam in conficiendo Ven. Eucharistiæ Sacramento. Post prolata enim consecrationis verba, momento Substantia panis convertitur in substantiam Corporis Christi ita; ut nihil remaneat de pane vel vino præter accidentia velantia Christi corpus & sanguinem. Deinde accidentia panis & vini, amisso subjecto suo, quo sustentabantur, non recidunt, ut solent, in nihilum; sed

lum; sed virtute divinâ conservantur, non minore miraculo, quàm si lapis molaris hæreret pendulus in aëre sine fulcro. Quæ fieri posse, quàmvis humana non capiat ratio, docet tamen virtus infinita Omnipotentiæ divinæ, & Veracitas summa affirmantis: *Hoc est corpus meum. Hic est calix sanguinis mei.* Vide, quanta operatur DEUS propter te: quid tu propter illum? Erubesco Domine. Parce.

2. ADora D. JESUM, & considera mirabilem, & aliàs inauditum ejus existendi modum in Ven: Sacramento Altaris. Existit totus in toto orbiculo panis consecrati, & totus in quavis ejusdem particula, quantumvis exigua: qui modus existendi spirituum proprius est. Unde necesse est; omnia ejus membra esse inter se penetrata; adeoq; non posse naturaliter exercere operationes proprias. Manet igitur Rex gloriæ in eo Sacramento quasi vinctus, & exiguâ sphærulâ conclusus. Delitescit diu noctuq; in tabernaculo altaris tanquam honesto carcere, (non uni obnoxius injuriæ) planè ut Captivus sui erga nos Amoris. Amat tamen hanc captivitatem suam, modò non desit, qui captivùm invisat, & Regem suum agnoscat colatq;. O factum bene: quòd jam per omnes fidelium Ecclesias, vicos, oppida & urbes triumphalem ducat pompam divinus hic Captivus amoris. Vince, regna & triumpha, mi JESU, potissimùm in anima mea.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quâ reverentiâ, exteriore & interiore, solita fuerit suscipere S. Eucharistiam. Firmissimâ, vivacissimâq; fide tenebat præsentissimam ibi Divinam Triadem, cujus Majestatem infinitam præ Cherubinis & Seraphinis æstimabat magis. Toto igitur pondere humilitatis suæ procumbebat in abyssum vilitatis creatæ, atq; inde venerabatur liberalissimam Majestatem. Non minuit illi, ut apud nos solet, reverentiam frequentia, sed quotidianus usus quotidianis eam augebat incrementis. Da, Domina, ut & ego, quò accedo frequentiùs, eò procedam reverentiùs.

Propositum, v. gr. *de speciali aliqua liberalitate, spirituali vel temporali, exercenda eo die, quo communicamus.*

LECTIO PRACTICA.

Quam Reverentiam debeamus Ven. Eucharistiæ.

FIdes de reali præsentia CHRISTI sub speciebus Eucharisticis, satis superq; indicat: quantam Divino huic Sacramento debeamus Reverentiam. Proinde opus solùm est; ut nos excitemus ad eam illi deferendam; quam cognoscimus deferri debere, & nobis possibilem esse. Porro Reverentia CHRISTO Eucharistico exhibenda, alia est omninò Necessaria, alia

Voluntaria. Illa est, quam nisi prætestemus, novam contrahimus culpam. Ad hanc principaliter pertinet Immunitas à culpa gravi, cujus nobis conscij simus; dum ad S. Communionem, vel Sacramenti hujus Consecrationem accedimus.

Immunitatem hanc à Communicantibus requirit disertè Apostolus 1. Cor. 11. dum dicit: *Quicunq; manducaverit panem hunc, vel biberit calicem Domini indignè: reus erit Corporis & Sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo*, per serium Conscientiæ examen; *& sic de pane illo edat*, si vel nihil mortiferum invenerit, vel per convenientem pœnitentiam eluerit; *& de Calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indignè: judicium sibi manducat & bibit*, (& quidem horrendum judicium) *non dijudicans corpus Domini*: discernendo illud à communi cibo, & exhibendo ei Reverentiam DEO debitam. Cadit in hos illa Domini querela per Prophetam: *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* Psal. 21. Facinus hoc deterius esse Proditione Judæ affirmat rectè Salmeron: quòd perfectiorem habeamus de Divinitate Christi fidem, quàm ille. Quòd etiam Sacerdotes Sacramentum hoc conficientes in statu peccati gravis, alterius gravissimi sceleris rei fiant, extra dubium est, & evincit sanctitas & summa dignitas Actionis nomine Christi ab ipsis exercendæ. Cæterùm Sacro Concilio Tridentino satis non est; si conscij gravis peccati, per Contritionem perfectam expiare conscientiam studeant; sed ad pœnitentiæ tribunal, quantum fieri potest, recurrant, oportet; extenditq; hanc obligationem etiam ad Sacerdotes sacrificaturos, ita; ut si quando urgente necessitate, absq; prævia Confessione celebraverint, postea *quàm primùm confiteantur*. Sess. 23. cap. 7.

Ad Reverentiam etiam Necessariam pertinet: ut Panis ille vivus & Divinus non sumatur nisi à jejunis, extra articulum mortis: ut non ministretur indignis: ut Loco decente asservetur: Calices, Corporalia, Purificaioria sint munda: Hostiæ consecratæ non serventur, donec putrescant: Lampas diu noctuq; ardens servetur in templis ante Venerabile, ex præscripto Pauli V. in suo Rituali &c. Timeant, ad quos pertinet, acerbam illam exprobrationem Malach. 1. *Filius honorat patrem, & servus Dominum suum. Si ergo Pater ego sum; ubi est honor meus? Et si Dominus ego sum: ubi est timor meus? dicit Dominus exercituum, ad vos ô Sacerdotes, qui despicitis nomen meum.* Et Rom. 1. *Quia cùm cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt.-- Propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam.*

Voluntaria Reverentia est, quam non Lex aliqua imperat; sed Amor & observantia filialis commendat, vel fervor pœnitentiæ indicit. Hinc ille splendor

splendor Tabernaculorum, in quibus V. Eucharistia asservatur; illa pompa triumphalis, quâ per compita vel Ecclesias deducitur; illa submissio, quâ etiam coronata capita in scabellum sternuntur JESU Eucharistico; ille zelus promovendi ejus honorem & gloriam super Omnia; illa confessio indignitatis suæ infinitæ; illa abjectio sui ad infima, ut exaltetur JESUS. Ferdinandus Magnus Castellæ Rex cùm se morti vicinum sentiret, Sacrum fieri jussit in Ecclesia S. Isidori Hispalensis, atq; in eo Sacrâ Communione se refecit. Die sequenti vocatis Episcopis, Abbatibus & viris religiosis ad Ecclesiam jussit se deportari diademate & regali cultu fulgentem. Tum altâ voce clamans ad Dominum in ara præsentem: Tua est potentia, tuum regnum, Domine, tu es super omnes reges, tuo imperio omnia subjecta sunt. Quod te donante accepi, restituo tibi regnum: tantùm animam in æterna jubeas luce collocari. His dictis regalia deposita substravit Christo; & receptâ ab Episcopis pœnitentiâ, atq; Unctione extremâ, indutus cilicio, & cinere conspersus, biduum in pœnitentiâ supervivens, ad eum, quem submisso diademate honoravit, abscessit. *Blanck: in Psal.* 2.

Fuerunt, qui, ut cultum convenientem deferrent occurrenti Venerabili, ad ægros à Sacerdotibus delato, non dubitârunt in lutum profundiùs submittere genua. Quàm verò gratum fuerit officiosum id obsequium Domino, manifestum fecit: quando vestimenta minimè inquinata apparuerunt. Contigit id P. Sylvestro Landino S. J. & militi cuidam in *Spec. Exempl. d.* 6. Et quidni homines submittant genua, quando sua flexit grex asinorum coram V. Eucharistia delata ad ægrotum? Pulchrâ enim serie dispositi steterunt ex utroq; latere viæ; & tam diu substiterunt: donec rediret Sacerdos, & benedictione datâ eos dimitteret. *Hist. Societ. p.* 1. *libr.* 2. *n.* 27. Quid obstat: quominùs genua flectentes coram Venerabili, dicamus cum S. Thom. Aquin: *Adoro te devotè latens Deitas.* Vel: *Adoramus te, Christe, & benedicimus tibi: quia Te nobis in cibum reliquisti.* Vel cum Patriarcha Antiocheno Joanne Riberâ: *Laudetur SS. Sacramentum?*

DOMINICA II. post Pentec.

MEDITATIO *de Magnificentia Dei & Christi in Ven. Eucharistia: Deipara V. quomodo inde magnificaverit Deum.*

1. ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus Magnificentiam in Ven. Eucharistia. Semper, & ubiq; magnificus est DEUS noster: magnificus in se ipso, magnificus in gloria majestatis suæ, magnificus in omnibus operibus suis: singularem tamen magnificentiam ejus suspicit sacer Psaltes in nubibus. *Date gloriam*, inquit, *Deo super Israël: Magnificentia*

ejus & virtus ejus in nubibus. Psal. 67. Si autem in aliqua nubium magnificus est; magnificentissimus sit, oportet, in candida specierum Eucharisticarum nubecula. Hanc enim illustravit splendore charitatis suæ, in hanc collegit infinitas divitias Bonitatis suæ, ex hac vibrat tela amoris sui, per hanc depluit largissimè imbres gratiarum suarum, ipsam posuit nobis umbraculum in æstu tentationum, illuminationem in nocte tribulationis, in ipsa erexit thronum clementiæ suæ, aram propitiationis, arcum fœderis sui. Demus igitur magnificentiam DEO nostro, Magno in parvis!

2. ADora DOMINUM JESUM, & considera magnificentiam ejus inauditam in epulo Eucharistico. Ipse est *Homo* ille, ditissimus, liberalissimus, magnificentissimus, qui Luc. 14. *fecit cœnam magnam* in Ecclesia sua; magnam dapum præstantiâ, invitatorum multitudine, temporis diuturnitate. Apposuit Panem habentem in se omne delectamentum saporis, propinavit calicem præclarum, sobriè inebriantem, virgines germinantem; *vocavit multos* ex omni orbe terrarum, omnis sexûs & conditionis; tractat assiduò affluentes convivas jam à mille septingentis annis, non sua tantùm apponens in cibum, sed *se*; nec sumptus consumitur. O verè *multiplicâsti magnificentiam tuam*, Domine JESU, super nos; magnificus in sanctitate, magnificus in regno gloriæ tuæ, magnificus in hac terrestri Cœna magna: sed quanta est magnificentia tua, tanta vecordia nostra; qui vel non accedimus ad eam, vel non ut decet!

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quomodo magnificaverit anima ejus Dominum, & exultaverit Spiritus ejus in DEO JESU, salutari suo; quando hoc epulo divino pascebatur. Advertebat in hoc Sacramento renovari quodammodo mysterium Incarnationis, quoties conficitur & suscipitur; hominemq; assumi in mirabilem quandam unionem cum DEO. Gaudebat hominem sic magnificari à DEO, & sic erga illum apponi cor divinum: proinde suum *Magnificat* millies iterabat. Et tu igitur, Anima mea, hujus honoris non expers, magnifica totis viribus Dominum. Quantum potes, tantum aude: quia major omni laude.

Propositum, v. g. *de excellenti aliquo actu virtutis exercendo hodie in vim gratitudinis pro Ven. Eucharistia.*

LECTIO PRACTICA.

De mira Virtute & Operatione Ven. Eucharistiæ.

EPulæ, quas dant homines, communiter nihil magis & certiùs operantur in convivis, quàm detrimenta sanitatis, & non rarò mortem: idque tantò faciliùs, quanto majore apparatu & luxu instructæ sunt. Nec mirum,

eum, quòd animalium cadavera operentur corruptionem & interitum (effectum scilicet suæ causæ proportionatum) accedente matre mortis, intemperie Gulæ. At Cœna, quam magnificentissimam proponit Christus, non aliud nata est operari in nobis, quàm vitam, gratiam & virtutes: siquidem non constat morticinijs bestiarum, sed dapibus vivis, scilicet DEO vivo & vero, Animâ Christi vivâ, & Corpore vivo. Unde rectè appellatur *Eucharistia*; id est *Bona Gratia*. Gratiam non vulgarem præstare videntur magnates & principes mundi, dum mensæ suæ adhibent inferiores: sed sæpe, licèt sit magna, est tamen mala gratia; quia malum operatur effectum, dum convivarum dicta, imò nutus, politicâ crisi observantur, potus immodicus violenter ingeritur, lites seminantur, factiones conflantur &c. &c. Unde fit: ut epulæ hujusmodi non tam geniales, quàm mortuales, seu exequiales sint dicendæ: cùm in illis non pauca efferantur funera vel hominum vel animarum.

At Gratia, quam operatur Virtus Sacramenti Eucharistici, & Maxima est, & Optima: ut meritò oret devotus Kempensis lib. 4. de Imit. c. 4. Domine DEUS meus præveni servum tuum benedictionibus dulcedinis tuæ: ut ad tuum *Magnificum Sacramentum* dignè ac devotè merear accedere. – Est enim hoc Altissimum & Dignissimum Sacramentum Salus animæ & corporis, Medicina spiritualis languoris: in quo vita mea curatur, passiones frenantur, tentationes vincuntur aut minuuntur, gratia major infunditur, virtus incæpta augetur, firmatur fides, spes roboratur, ac charitas ignescit, ac dilatatur. Duplicem valde æstimabilem effectum Divini hujus cibi observat & extollit S. Bernardus Serm. de Cœna Dom: *Duo*, inquit, *præcipuè in nobis operatur hoc Sacramentum: ut & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrûm non tam sæpe modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum hujusmodi: gratias agat Corpori & Sanguini Domini; quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Idem testatur S. Franciscus Salesiûs, Antistes Apostolicus, lib. 2. epist. 41. *Per experientiam 23 annorum, quos in servitium animarum collocavi, manibus quasi palpare potui, quàm potens sit virtus hujus Divini Sacramenti ad confirmandum animas in bono, & liberandas à malo, easq; spiritualiter consolandas; & ut uno verbo dicam, in hoc mundo Deificandas; dummodo vivâ fide, convenientiq; puritate, & devotione frequentetur.*

Neq; ex Sumptione tantùm ejus Sacramenti tantus percipitur fructus: sed etiam ex solo aspectu ejus devoto. Luculentum est, quod scribit Discipulus in Prompt. lit. E. Exem. 39. In Thuringia meretrix quædam è lu-

 lupana-

lupanari suo conspexit Sacerdotem transeuntem cum V. Eucharistia infirmo porrigenda. Vidit: & mirari cœpit Domini charitatem; quòd non semel duntaxat cœlo descenderit propter homines, sed promptus accurrat etiamnum ad quemvis suscipere volentem. Per oculos igitur, mortis & cupidinis fenestras, telum ignitum jaciente in cor ejus Amore divino, eâ vitæ præteritæ incensa est detestatione: ut impar incendio, per hominum agmen & viam valde lutosam accurrerit rectâ ad Sacerdotem, dicens: *State domine Sacerdos.* Hoc subsistente, prostravit se illa in luto ante Corpus Christi, & ait: *Domine Jesu Christe, tu es ille, qui pro nostra redemptione natus, passus es & sepultus, nunc sedes ad dexteram Patris, venturus Judex vivorum & mortuorum. Et sic te talem iste Sacerdos portat in pyxide. Rogo te per tuam ineffabilem misericordiam: ignosce mihi peccata mea.* Et ecce JESUS è pyxide respondit linguâ Latinâ: *Et ego ignosco tibi peccata tua.* At illa audiens vocem, nec intelligens, reponit: Domine non intelligo Latinum: rogo te, loquere Germanicè. Et statim Dominus Germanicâ linguâ inquit: *Et ego te recipio in gratiam meam.* Hoc audiens meretrix: Et tu, Domine, ait, me suscepisti in gratiam tuam, quæ tam luxuriosè vivendo tantopere te offendi? Gratias tibi immortales: dabo operam, ne unquam illâ excidam. Dictis vita respondit insigniter emendata.

Plurimi alij per defixos attentiùs oculos in sacras species, aut tabernaculum Eucharisticum, experti sunt magnos animorum motus, & stimulos ad corrigendos mores, vitamq; perfectiorem. Multi in malo obstinati, ubi ex aliorum consilio breves preces coram Venerabili fuderunt, quasi in momento domiti, se faciles ad omnia exhibuerunt. Idem quippe ibi est Christus cum omni virtute & benignitate sua, de quo olim *Virtus exibat & sanabat omnes.* Luc. 6. Nihil ergo utilius, quàm in rebus dubijs & afflictis, recurrere ad tabernaculum Eucharisticum; & alios ope indigentes illuc amandare.

FERIA II.

MEDITATIO *de Sapientia summa Dei, Christi & Deiparæ V. circa Ven. Euchastiam.*

1. ADora DEUM O.M. & considera summam ejus sapientiam in instituendo, & nobis communicando Ven. Sacramento Eucharistico: quâ 1. disposuit; ut, infirmitates, quas in anima contraxeramus per esum cibi vetiti, curarentur cibo. 2. Ut & comederemus panem terrestrem in sudore vultûs, & reficeremur pane cœlesti cum exultatione Spiritûs. 3. Per symbolicas species panis & vini elegantissimè expressit virtutem & operatio-

rationem Corporis & Sanguinis Christi in animabus nostris, præservativam à morte spirituali, roborativam virium, refectivam animi, cum incremento in virtutibus & gratia. 4. In admirabile compendium coëgit omnes Bonitatis suæ divitias, omnes amandi artes. Benedictus Pater cœlestis, qui tali sapientiâ providet familiæ suæ! *Omnia in Sapientia fecisti*, Domine: at hoc Sacramentum in Sapientia sapientissima.

2. ADora D. JESUM & considera singularem ejus sapientiam, quâ 1. invenit modum; ut post abitum in cœlos, nihilominus nobis maneret corporaliter præsens in terris ad solatium simul & auxilium. 2. Invenit modum, novum, quo sese nobis uniret intimè; scilicet per modum alimenti, & spiritualem quandam conversionem nostri in se. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus: qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Qui manducat me, & ipse vivet propter me.* Joan. 6. Insuper modum invenit opportunissimum, quo sine horrore, imò cum maxima animi voluptate, verum & vivum ejus Corpus manducaremus & corporaliter & spiritualiter. O verè sapientia tua divina, Amabilissime JESU, hanc nobis posuit mensam, & miscuit mirabile hoc vinum! Quàm ingeniosus es in commoda & delicias nostras? Quàm hebes ego in promovenda gloria tua!

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut instructissimam Sapientiâ Eucharisticâ: quam scilicet ejus Filius sub speciebus Eucharisticis exemplo suo docet. Ea est; Totum sese impendere animarum bono; Omnibus omnia fieri: Amare vitam absconditam: Non spargere, sed velare splendores suos: Propter malos non subtrahere se bonis, &c. Impetra & mihi, ô Domina, divinam hanc Sapientiam, quam non capit mundus. Compone me ad exemplum Eucharistici JESU: ut, quem toties sumo mente & ore, exprimam moribus. Qui mei amore convertit panem in corpus suum: convertat & mores meos in suos; ut vivam ego jam non ego; vivat autem in me Christus.

Propositum, v. gr. *ut sæpiùs fixis in expositum Venerabile, vel tabernaculum ejus oculis, ab hoc Sole petas lumen veræ Christianæ Sapientiæ.*

LECTIO PRACTICA.

Cur tam parum fructûs referimus ex Ven. Eucharistia?

EST sanè mirandum non leviter: quòd media ad salutem & perfectionem nostram sapientissimè à Divina Bonitate ordinata, tam parum operentur in nobis: ut nihilo meliores evadamus, aut etiam in deterius labamur. Ignem fovemus in sinu, & non calefimus; Fontem haurimus aquæ salientis

in vi-

in vitam æternam, quam qui bibit, non sitiet in æternum. *Joan.* 4. & tamen ad cisternas mundi anhelamus; Cibum fortium sumimus, & tam infirmi sumus; Pane cœlesti nutrimur, & terram sapimus. Quid est, quòd tanta Virtus Divinissimi Sacramenti tam parum operetur in plerisq;? Causa certè ex ipsa esse non potest, sed in nobis esse debet.

Variæ sunt in varijs hujus defectûs causæ. 1. Quidam nihil proficiunt, licèt non raro communicent, & non sine devotione aliqua: quia obnoxij sunt occultis peccatis mortalibus, quæ propter neglectum debiti examinis conscientiæ non advertunt. Et sic licèt quodammodo bonâ fide accedant; ob latentem reverà culpam gravem, & culpabilem ejus ignorantiam privari merentur gratijs Sacramentalibus: ut observat Georgius de Rhodes Disp. 1. Theol. q. 3. s. 1. §. 3. de Euchar.

2. Quidam non proficiunt defectu convenientis dispositionis seu præparationis. Quia non ex studio profectûs spiritualis, aut divini cultûs accedunt ad S. Communionem; sed ex mera consuetudine, &, ut alijs se conforment, nec videantur minùs probi. Unde nec de seria præparatione soliciti sunt, nec per aliquos insignes pietatis actus se disponunt; sed satis habent: si non sentiant conscientiam ipsos arguentem peccati gravis. Et sic mirum non est, quòd non proficiant. Nam ut cum communi Theologorum docet S. Bonaventura: *Effectus sacramentorum solet esse secundùm dispositionem & præparationem suscipientium.* Et S. Laurentius Justin: *Juxta mensuram charitatis effectus percipitur hujus Sacramenti.* Confirmatur causa allata ex illo circa Agnum Paschalem præcepto divino: *Nec comedetis ex eo crudum quid.* Exod. 12. Cur enim speciali præcepto id vetitum fuit: cum absq; eo carnes crudas non comederint Judæi, horrente naturâ? Abulensis q. 18. in 26. Matt. scitè respondet: Dicitur; quòd non sumatur agnus crudus. Crudum enim cibum manducat, qui nullam circa illum dispositionem, aut præparationem præmittit. Et sic etiam cibum crudum sumit, qui Corpus Domini ab alijs cibis non discernit: sed sic impurus & illotus ad illud accedit, sicut ad cibos communes. Ut igitur Agnus ille Paschalis, non crudus, nec leviter aut superficietenus tostus, sumi debebat, sed probè assus: sic Corpus Christi non nisi inter charitatis flammas nobis cedit in nutrimentum conveniens.

3. Alij non proficiunt propter frequentes lapsus in peccata venialia, deliberatè ea committendo. Hæc enim ut in nobis fervorem charitatis, ita in DEO minuunt fervorem benevolentiæ erga nos, & specialibus atq; efficacibus gratijs, quibus egemus, indignos nos reddunt. Solent enim inter ho-

mines,

mines, subtrahere parentes filijs speciales favores; qui quàmvis ipsos graviter non vulnerant, tamen, quod illis valde molestum esse sciunt, non cavent, sed perfrictè in eorum conspectu committunt.

4. Profectum quorundam impediunt Habitus vitiosi contracti. Quàmvis enim subinde rite dispositi, & cum singulari devotione accedamus ad S. Communionem; adeoq; non paucas consequamur Gratias Sacramentales: quia tamen propter neglectum mortificationis passionum, contracti pravi habitus nimiùm invaluerunt; facilè nos abripiunt, occasione datâ, in veteres lapsus, & opprimunt vim gratiarum. Imò, nisi maturè advertimus & occurrimus, trahunt nos in ruinam gravem.

5. Alij non proficiunt ob Teporem & torporem inveteratum in servitio divino. Satis enim habent, si non sint inimici DEI. Unde nec infernum metuunt, nec ad sublimem in cœlo locum aspirant, nec de singulari gratia apud DEUM sibi concilianda sunt soliciti: consequenter nec curant, ex Sacra Communione speciales reportare gratias; ultrò autem oblatis negligunt cooperari. Unde fit: ut non solùm non proficiant ex frequentata S. Communione, sed processu temporis in grave aliquod peccatum deficiant.

Si quæratur ulteriùs: Quid causæ sit, quòd quidam in S. Communione miram quandam sentiunt dulcedinem, patiuntur extases, & admirandis illustrationibus mentis circumfunduntur? Hujus ratio cœlitùs data est Antonio Romero Coadjutori Societatis nostræ, magnæ virtutis. Dum enim ante Sacram Communionem cogitaret: Eccur non videret bona thesaurosq;, quos species Eucharisticæ tegunt? Audijt: *Non aspicies, nisi lacerato amoris tui velo.* Cogitanti: quòd non sentiret ea, quæ alios isthic sensisse audisset: responsum: *Non senties, nisi sensus collegeris.* Paruit: & per annos 7 inter communicandum Divina vidit, & passus est. *Nadasi 3. Decemb.*

Deniq: Advertendum est: valde æstimabilem esse effectum V. Eucharistiæ; si non proficientes in virtutibus, tamen nec deteriores fiamus, & in grave aliquod peccatum non labamur. Insensibiliter enim operatur virtus Sacramenti in plerisq; non improbis: & sæpe DEUS apparentes effectus non præstat, ad nos in humilitate continendos: prout notant Ascetæ. Ideoq; non tristari, sed humiliari nos oportet: si facientes quod à nobis requiritur, non sentiamus ejus effectus speciales.

FERIA III. Post Dom. II. à Pentecostes.

MEDITATIO: *De mira Providentia Dei & Christi in Institutione Ven. Eucharistiæ: Deipara V. nos ad eam humanissimè invitat.*

1. ADora DEUM O. M. & considera miram & planè paternam ejus circa nos Providentiam in institutione Ven. Eucharistiæ. Prævidit varias, nec leves, indigentias nostrarum animarum: quibus sublevandis varia variè instituit remedia: ac tandem omnia mirabili compendio in Sacramento Altaris conclusit. Si enim indigemus remedio contra morbos & vulnera animæ: Christus Eucharisticus medicina est & medicus. Si æstu pravorum affectuum laboramus: ipse Fons vivus est. Si fame premamur aut siti: ipse potus est & cibus. Si egestate laboremus: ipse thesaurus est indeficiens. Si metu mortis angamur: ipse Vita est. Et quo tandem egere possumus: quod non cumulatissimè & eminentissimè inveniamus in Christo Eucharistico? Infinitas Tibi ago gratias, ô Pater misericordiarum, pro tam liberali Providentia. Da: ut illâ utar, ut decet, pro gloria tua & salute mea.

2. ADora D. JESUM & considera: quàm liberalem & ipse nobis fecerit provisionem in Ven. Eucharistia; quando eam instituit, nobisq; proposuit in Sacramentum, Sacrificium & Viaticum. Ut Sacramentum est: varias nobis offert gratias & auxilia, quibus in virtutum exercitio proficiamus, & contra tentationes muniamur. Ut Sacrificium est: habemus medium optimum, quo nobis offensum DEUM reddamus propitium, eidemq; pro acceptis beneficijs gratos nos exhibeamus, offerendo ei hostiam sanctam, sanctissimam, in odorem suavitatis. Deniq; ingressuris iter æternitatis, longissimum & periculosissimum, obtulit se nobis Benignissimus JESUS in Viaticum: ut in fortitudine cibi istius ambulare intrepidi possimus usq; ad montem DEI, regnantis in gloria Sanctorum. Quid offeremus Gratiosissimo JESU pro tanto dono? Nihil gratius illi accidere potest; quàm ut eo rectè utamur.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm suaviter & blandè nos invitet ad Mensam Eucharisticam. Ipsa est prima dignitate & humilitate (*Ancilla Domini*) ex illis Ancillis, quas Sapientia Divina Proverb. 9. dicitur misisse, ut convocarent populos ad mensam propositam. *Venite*, inquit & ipsa, *comedite panem meum*: quem unà cum Spiritu S. in visceribus meis pro mundi salute confeci, nihil admiscendo veteris fermenti. Comedite Panem mundissimum, sacerrimum, sanissimum, Panem vitæ æternæ; & vivite vitam divinam. *Bibite Vinum, quod miscui vobis*, tum Filio meo lac virgineum propinando, tum sanguini ejus largissimas lacrymas sub Cruce affundendo. Audio, ô Domina, dulcissimam vocem tuam; accurro. Sed tu, ô Suavissima, quicquid est amaritudinis in corde & animo meo, ejice, expurga.

Propo-

Propositum, v. g. *Non accedendi ad S. Communionem amaro in aliquem corde; & quòd eo die se solitô suaviorem sis præstiturus omnibus.*

LECTIO PRACTICA.

De Effectibus Ven. Sacramenti Eucharistiæ.

MEnsam nobis paravit Divina Providentia, in qua parata habemus Omnia: Ut eam pro dignitate æstimemus, atq; ad eam tantò ardentiùs anhelemus: juvat Effectus ejus proponere distinctiùs.

Primus Divini hujus Sacramenti effectus est Augmentum Gratiæ sanctificantis: quæ hìc confertur, quatenus est Unio cum DEO. Sacramentum Confirmationis confert gratiam ut roborativam animæ ad fortiter testandam fidem: Extrema Unctio in ordine ad luctam supremam feliciter sustinendam; & sic de cæteris Sacramentis. Gratia autem justificans, prout confertur per Sacramentum Eucharistiæ, ordinatur ad sustentandam vitam spiritualem, quæ consistit in Unione seu conjunctione speciali cum DEO. Ut enim Anima est vita corporis, ita DEUS animæ. Unde etiam hoc Sacramentum institutum est sub symbolo cibi & potûs, quibus vita humana sustentatur.

Secundus effectus est Fervor seu Perfectio Charitatis: quatenus vi hujus Sacramenti conferuntur ex opere operato copiosiora auxilia Gratiæ actualis, ad eliciendos ferventiùs & frequentiùs actus Charitatis Divinæ; & ut, quæ agit, agat amore DEI. Et hoc est, quod promisit Christus: *Qui manducat me, vivet propter me.* Unde Tertullianus c. 19. Apolog. Eucharistiam vocat *Convivium Charitatis.*

Tertius effectus est Perseverantia in bono, seu Præservatio à peccatis mortalibus. Confortat enim hominem per auxilia specialia adversus ingruentes tentationes, juxta illud Psal. 22. *Parâsti in conspectu meo mensam adversùs omnes, qui tribulant me.* Unde etiam Ecclesia morituros fideles instruit hoc epulo contra latrones iter æternitatis insidentes. Nam ut ait S. Hieronymus in cap. 15. Matt: *Periclitatur, qui sine cœlesti pane ad optatam mansionem pervenire festinat.*

Quartus est Lætitia quædam, dulcedo & suavitas quædam spiritualis, quâ diffluunt animæ bene dispositæ, & cum Psalte S. exclamant: *Calix tuus inebrians, quàm præclarus est!* S. Cyprianus Serm. de Cœna Domin. *Mira sunt, ait, quæ sentit, magna, quæ videt, inaudita, quæ loquitur, quem Agnus iste Paschalis inhabitat.*

Quintus est Sublatio peccatorum Venialium: prout indicat Concilium Trident. Sess. 13. c. 2. dicens: *Hoc Sacramentum esse antidotum, quo liberamur à*

mur à peccatis quotidianis, & à peccatis mortalibus præservamur. Et Ambros. l. 5. de Sacramentis cap. 4. *Iste panis quotidianus sumitur in remedium quotidianæ infirmitatis.* Porrò Venialia antecedenter commissa tollit non tantùm mediantibus actibus charitatis & pœnitentiæ, ad quos per specialia auxilia excitat: sed etiam per se, directè, & ex opere operato: ut ex D. Thoma, Bonavent. Concilijs & PP. probat Suarez disp 63. S. 10. dummodo Communicans non habeat actualem affectum ad illa. An tollat omnia Venialia Commissa, incertum est. Suario in 3. p. tom. 4. disp. 12. S. 1. verosimilius videtur: quòd, sicut ex institutione divina definitus est certus gradus gratiæ, qui augetur in meliùs disposito; ita definita sit certa remissio aliquorum venialium; quæ erit major in meliùs disposito, & poterit esse totalis in perfectè disposito.

Sextus est Remissio pœnæ temporalis debitæ peccatis, si non ex toto, saltem ex parte. Quem effectum præstat Eucharistia non solùm ut Sacrificium, sed etiam ut Sacramentum est; quatenus excitat ad actus Charitatis, quorum virtute remittitur non solùm culpa, sed etiam magna pars pœnæ temporalis: ideoq; indirectè & concomitanter tollit aliquam pœnam juxta quantitatem seu fervorem ipsius charitatis, ut ait S. Thom. 3. p. q. 79. a. 5.

Septimus est Mitigatio seu Diminutio Fomitis peccati. Quia, ut docet S. Thom. q. cit. a. 6. ad 3. Licèt hoc Sacramentum non ordinetur directè ad diminutionem fomitis; diminuit tamen illum ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem. Quia, sicut dicit S. Augustinus, Augmentum charitatis est diminutio Cupiditatis. Unde Zach. 9. hoc Sacramentum dicitur Vinum germinans Virgines.

Octavus est Immortalitas, seu Resurrectio corporum in beatam Immortalitatem. Corpora enim tam arctè conjunctorum cum vivificante Corpore & Sanguine Christi, non decet perpetuâ corruptione interire: sed ut promisit Christus Joan. 6. vivere æternùm. *Qui manducat meam carnem, habet vitam æternam, & ego resuscitabo eum in novissimo die.* Dicere jam licet saniore sensu cum Divite Evangelico Luc. 12. *Anima mea, habes multa bona*, in Epulo Eucharistico, *posita in annos plurimos, requiesce, comede, bibe, epulare.*

FERIA IV. Post Dom. II. Pentec.

MEDITATIO: *De mira Suavitate Dei & Christi in Ven. Eucharistia: Deiparæ V. maximè communicatâ.*

1 ADora DEUM O. M. & considera miram, & nusquam alibi deprehendendam, Suavitatem ejus in Ven. Eucharistia. Semper ille quidem

quidem ut attingit à fine ad finem fortiter, intentiones suas ad effectum deducendo ifallibiliter? ita disponit omnia suaviter, voluptate magis, quàm necessitate, nos trahendo. Quæ suavitas vel maximè elucet in Ven. Eucharistia: in quâ non jam vinculis legum, aut rigore præceptorum, vel comminatione pœnarum; sed epulo sumptuosissimo, sanissimo, jucundissimo nos captat homunciones in amorem sui & observantiam debitam. O quàm suavis est, Domine, Spiritus tuus (miratur Ecclesia in officio hujus festi) qui, ut dulcedinem tuam in filios (imò & in servos nequam, hostesq; tuos) demonstrares, pane suavissimo de cœlo præstito, esurientes reples bonis! Diligam te, Domine, fortitudo mea: diligam te, Suavitas mea. Ibo, curram in viam mandatorum tuorum, & vincula amoris tui.

2. ADora D. JESUM, & considera ipsius quoque admirandam in Ven. Eucharistia Suavitatem. Non inclamat hìc Væ! etiam Pharisæis. Non texit flagellum de funiculis ad castigandos violatores divinissimi templi Corporis sui. Permittit etiam canibus Sanctum: ut aliquando, positâ feritate, sapiant ea, quæ hominis, imò DEI sunt. Visus est non rarò in throno Eucharistico Infantuli gratiosissimi specie residere, imò ora & viscera sumentium ingredi. Hìc vel maximè testatur: delicias suas esse, cum filijs hominum esse. Hìc, post requiem in omnibus quæsitam, morari decrevit, & epulari nobiscum, suavissimè invitans: *Comedite, amici, & bibite; & inebriamini charissimi.* Cant. 5. O quàm potens est, Domine, suavitas tua! Quàm barbara inhumanitas nostra, si te negligimus, & tyranno, hosti tuo nostroq;, mancipamur!

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm grati animi contestationem solita fuerit exhibere DEO & Filio suo pro tam sumptuosa & liberali provisione. Quomodo omnes colligebat vires animæ in gratiarum actionem, omnes cogitationes, verba & opera sua offerebat in quandam remunerationem, omnes creaturas convocabat ad benedicendum DEUM &c. Gaudeo, ô Domina, quòd inter filios & filias Adæ sola inventa sis, quæ DEO, pro tanto beneficio, meritas rependeres grates. Offer easdem & meo nomine.

Propositum, v. gr. *de gratiarum actione prolixiore post sumptam Venerabilem Eucharistiam.*

LECTIO PRACTICA.

De Præparatione ad S. Communionem, & Gratiarum Actione post illam.

SVavissimus JESUS ut homines efficaciùs ad se alliceret, seipsum nobis obtulit sub speciebus Panis, habentis in se omne delectamentum sapo-

ris longè abundantiùs, quàm manna Israëliticum. Unicum requisivit necessariò ex parte nostra: ut scilicet non indigni accederemus; cætera commisit discretioni nostræ. Non requisivit: ut omnino digni accederem9: id enim fieri nunquam potest. Nam, ut ait S. Bonaventura in Fascic. c. 7. *licèt mille millibus annorum te ad hoc Sacramentum per puras orationes, sacratissimasq; præparationes præparaveris: nihil esset ad condignam susceptionem.* Nam, ut dixit David 1. Paral. 29. *Neq; enim homini præparatur habitatio, sed Deo:* cujus Majestas & Excellentia est omnino infinita. Non indignos accedere voluit: ne judicium nobis manducaremus. Panis enim iste mors est malis, vita bonis.

Ut non accedamus indigni: requiruntur necessariò Puritas Conscientiæ, seu Immunitas à peccato gravi, non expiato. Puritatem hanc explicat Hugo de S. Victore, dicens: *Pura conscientia est, quæ non habet de præterito justam accusationem, de præsenti injustam delectationem, de futuro injustam voluntatem.* Si enim Dominus mortuum, & nondum gloriosum Corpus suum deponi voluit in monumento novo, & sindone mundâ involvi: longè magis requiret vivus & gloriosus conscientiam mundam. Hinc visus est sæpiùs, sub specie Parvuli, manibus pedibusq; reluctantis, ingredi in os indignè communicantium: prout vidit Witichindus Dux Saxoniæ in castris Caroli M. dum milites ejus Paschalem sumerent communionem. Horrescimus, & pili assurgunt, dum legimus, vel audimus, Hostiam consecratam à nefarijs concisam, vel in sterquilinium missam, vel pedibus protritam, vel, quod horribilius, bufoni prægrandi in os insertam: at scelus simile committit, quisquis indignus præsumit suscipere Christum faucibus adhuc scelus exhalantibus, ut ait S. Cyprianus.

Qui saniore sunt mente, & degustare volunt; quàm suavis sit JESUS Eucharisticus, quàm profusus bonorum suorum: etiam à minimis noxis sibi notis purgant animam. Quàmvis enim peccata venialia non obstent, quò minùs in S. Communione acquiratur augmentum gratiæ sanctificantis, & quædam auxilia gratiæ actualis: impediunt tamen, ut ait Rodriquez p. 2. tr. 8. c. 4. copiosum & abundantem illum gratiarum, & virtutum, & aliorum admirabilium effectuum fructum, quem in mundioribus & devotis animabus operari solet hoc Sacramentum. Hinc S. Dionysius Areop. dicit exigi *Extremam munditiem.* Et Christus D. ut observat S. Bernardus Serm. de Cœna Dom: quàmvis sciverit & asseruerit, discipulos suos, præter Judam, mundos esse, & immunes à peccatis lethalibus; præmitti tamen voluit lotionem pedum S. Communioni, ut doceret: etiam venialium culparum pulverem abstergendum esse. Ideo utile omnino est, & consultum: ut etiam fa-

am factâ Confessione Sacramentali, accedentes ad mensam Divinam sæpiùs & immediatè ante sumptionem eliciant actus ferventes Charitatis & Contritionis: quibus residuæ, aut proximè contractæ, labeculæ expurgentur.

Insuper ut commodior & convenientior tanto hospiti præparetur habitatio, & magis provocetur ejus liberalitas: solent devotiores accurati esse & diligentes tum in exercendis quibusdam mortificationibus externis internisve, tum in eliciendis variarum virtutum actibus, præsertim profundissimâ Humilitate & Reverentiâ, ardenti amore & amplâ fiduciâ, intenso desiderio & fame quâdam cœlestis ejus cibi. Ad quos affectus faciliùs & ferventiùs eliciendos juvat paulisper præmeditari. Quis, Ad quem, & In quem finem veniat? Vel, Quis, Ad quem, & In quem finem accedat? Deinde invitandi & orandi sunt Sancti, præsertim DEIpara V. ut nos juvent, & idoneos reddant ad suscipiendum Dominum: in quem finem eidem offerre juvabit eam præparationem, quam ipsi præmiserunt S. Communioni.

Post susceptam V. Eucharistiam commodissimum tempus habemus agendi & conferendi cum Domino, ad eum amplectendum, & quasdam amoris tenerioris delicias ei exhibendas. Proinde studiosè cavendum: ne nimis citò nos ad se abripiant alia negotia, vel importuna quædam abstrahat levitas. Tunc vel maximè locum habet monitum illud Eccl. 14. *Non defrauderis à die bono: & particula boni doni non te prætereat.* O quantam patimur inæstimabilium gratiarum jacturam per inurbanam levitatem nostram, quâ suscepto Domino terga vertimus, & ad alia importunissimè convertimur! Nec precibus vocalibus ad præsentem actum non pertinentibus, tunc convenit vacare: sed toti esse debemus in laudibus & gratijs Christo deferendis pro tanto beneficio in exponendis ei particularibus necessitatibus nostris, in offerendis ei quàm pretiosissimis actibus, & muneribus pro tenuitate nostra. Felices se existimant, & prolixè gloriantur; quibus datum est cum Principe suo horâ unâ, aut quadrante unius, agere confidenter: nos quanto tædio laboramus? quàm citò avellimur ab ipso: quasi non haberemus, quod cum ipso tractemus; quasi gratiâ ejus non indigeremus? Non est hic probi filij, aut sinceri amici, aut veræ sponsæ affectus. *Inveni, quem diligit anima mea:* inquit illa Cant. 3. *tenui eum, nec dimittam.*

FERIA V. post Dom. II. post Pentec.

MEDITATIO: *Dei, Jesu & Mariæ zelus erga salutem nostram, relucens in V. Eucharistia.*

1. Ado-

1. ADora DEUM O. M. & considera: quo zelo feratur in salutem & profectum animarum nostrarum. Ut enim servandæ & provehendæ vitæ corporali dedit olim protoparentibus in escam, præter innumeras fructuum species, Lignum vitæ: ita tuendæ & augendæ vitæ animarum nostrarum spirituali obtulit nobis in escam Panem vivum & vitalem, Panem fortium, Panem Angelorum, Panem divinum, Panem, qui verus est DEUS. Stupet ad hanc beneficentiam & salutis nostræ curam non solùm natura tota, sed etiam gratia. Nihil enim simile vel hominibus, vel Angelis unquam concessum fuit. Potest iterum, & potiori jure, nobiscum expostulare amanter beneficentissimus DEUS: *Quare moriemini domus Israël?* Quare moriemini Ecclesia Christi, tali Pane pasti & saginati? *Qui manducat hunc Panem*, ut decet, *vivet in æternum.* Joan. 6. Gratias tibi immortales O. M. DEus pro hoc Pane. O desipiant jam nobis lethiferæ cupediæ mundi & carnis!

2. ADora D. JESUM & considera: quibus & quantis impensis, non semel exhibitis, sed quotidie repetitis, procuret, promoveat & urgeat salutem & profectum nostrum spiritualem in Ven. Eucharistia. Per ipsam enim purgantur peccatorum, id est, mortis, fomenta & reliquiæ; per ipsam anima omnium spiritualium charismatum abundantiâ impinguatur; ut vitam habeat, & abundantiùs habeat: per ipsam efficimur viva membra Corporis Christi, & à divino Capite divinos participamus influxus; ut terrestrem supergressi hominem; in DEUM quodammodo transformemur, vitamq; ducamus non modò Angelicam, sed Divinam. Audi jam, anima mea, aureum Chrysostomum Hom. 61. ad pop. Antioch. *Hei mihi! quot ad salutem nobis viæ! Nos Corpus suum effecit: nobis suum communicavit Corpus: & horum nos nihil à malis avertit!* Stupendus amor interitûs: stupenda prodigalitas salutis! Da meliorem mentem, Eucharistice JESU.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quo zelo feratur & ipsa erga salutem nostram æternam. In hunc finem, in mortali vita sua direxit omnes actiones suas, obtulit omnia merita, sanguinem, vitam & mortem Filij; offertq; etiamnum, ardentissimè optans; ne pereat anima tam carò empta, tam sumptuosè & delicatè nutrita, ad summam felicitatem & dignitatem evecta. Accende & me eodem zelo, ô Domina: ut charior mihi deinceps sit salus, & gloria Eucharistici JESU. Et quomodo desidiosi esse poterimus in promovenda ejus gloria, qui talibus medijs promovet salutem nostram æternam?

Propositum, v. g. *de majore zelo in proponendo honore, & avertendis injuriis Ven. Sacramenti Euch.*

LECTIO

LECTIO PRACTICA.

Qualis in nobis esse debet zelus honoris Ven. Eucharistiæ.

ZElus hic inprimis se prodere debet in studio suscipiendi V. Eucharistiam: ne scilicet aliquid ipsâ indignum committamus, aut aliquid honoris, quod facilè præstare possumus, negligamus; sed dignitati Hospitis apud nos DEI pro posse consulamus. Accurati fuerunt & sunt Sancti in hoc honoris Eucharistici puncto, memoriq; mente recolunt, quod in primitiva Ecclesia Diaconus populo præbiturus S. Communionem altâ voce inclamabat: *Sancta Sanctis.*

Hinc non pauci labeculas etiam minimas conscientiæ suæ non solùm elicito privatim dolore, sed confessione Sacramentali quotidie expiant. S. Franciscus Borgia id bis in singulos dies faciebat, manè ante auroram, dum se Sacrificio divino accingeret, & vespere post conscientiæ Examen. In Tractatu, quem scripsit de S. Communione, ab ijs, qui quotidie non sacrificant, requirit triduum præparationis, & aliud triduum gratiarum actionis. Observabat id sanctè B. Aloysius Gonzaga. Pridie autem diei Communionis id unum mysterium in ejus sermonibus versabatur: cum hac cogitatione ibat cubitum, & surgebat: dein unâ horâ de V. Eucharistiâ meditabatur, & totum matutinum tempus in spiritualibus exercitijs insumebat. Antè, quàm ad Scholam iret; & cùm reverteretur, semper Eucharisticum tabernaculum visitabat. Optabat in Octava Festi Corporis Christi vitâ defungi: & obtinuit. *Vita lib. 2. c. c.*

Maria Maximiliani II Imperatoris relicta vidua, postquam è Germania in Hispaniam revertit, incredibili quâdam pietate emicuit, præsertim erga mysterium Eucharisticum. S. Communioni, quam frequenter sumebat, semper solidos duos dies, seclusis omnibus alijs negotijs, impendebat tam sanctè; ut nec filium salutandi gratiâ accedentem admiserit. Cùm enim Maximilianus filius, dissimulatâ personâ, S. Jacobi Apost. tumulum veneraturus in Hispaniam venisset: Legato Cæsareo secretò se aperuit; qui curriculo ad Mariam defert, adesse Maximilianum, ac manum maternam osculari per: cupere. Ad hæc Maria: Ego perendie Eum videbo; hodierna enim dies expiandis culpis destinata est; crastina Eucharistiæ sumendæ dicata. Qui dies cùm DEO solidi debeantur: non est, quòd in Maximiliani gratiam eos diminuam. *Rho de Virtut. lib. 3. c.* 1 Digna mperio cœlesti vox Imperatricis terrestris, quæ tantillum detrahi de solito cultu DEI Eucharistici passa non est.

Ut Martyrum fortitudo, ita zelus Confessorum erga Christi cultum & honorem eximiè resulsit in Thoma Moro, Anglorum regum Cancellario.

Ministrabat Sacerdoti Sacris operanti Morus, veste linea, superpelliceum vocant mystæ, indutus: quum properè à rege per Nortfalciæ Ducem accersitus, respondit; se tum minimè ire posse, quòd potentioris Domini obsequio operam navaret. Indignanti Nortfalcio, iramq; regis denuncianti, nisi actutum iret, rursum Thomas: Atqui irasci regem mihi non arbitror debere: quum suo ego Regi hìc publicè deserviam. Et perseveravit constans in obsequio, Martyrum laureâ olim donandus. *Idem ibid.*

Theodosius II Dux Brigantinus cùm audîsset; nefarios homines immani sacrilegio SS. Eucharistiam è templo abstulisse, quo zelo pietatis ferretur erga illam, luculenter testatus est: quando nec cœnare voluit, nec rebus gerendis vacare, sed atratus ac mœrens dies aliquot mœstissimus domi transegit. *Ibid.* Simili zelo motus P. Quintinus Charlartus, Belga, è S. J. ubi inaudijt, SS. Eucharistiam à quodam sacrilegè conculcatam, voluntariam unius anni abstinentiam à carnibus sibi indixit, & servavit. *Nadasi in Anno Dier. Mem. 28. Julij.* Cùm Antverpiâ exturbarentur Nostri ab hæreticis, atque in templo omnia ab ijsdem diriperentur, aut confringerentur, Joannem Bocacium subijt recordatio: SS. Eucharistiam non esse furori debacchantium subductam in illa trepidatione. Ergo per densos satellitum globos intrepidus ad altare pervolat, adoratumq; de genu Numen in argentea pyxide ante oculos & ora Sacrilegorum effert, perstringente tenebriones illos insolito fulgore zeli religiosi. *Rho cit.*

Sumptum ægro stomacho Panem cœlestem, ejecerat non nemo, integrum adhuc. Dum, quid facto opus sit, consulitur, jamq; imperitis quibusdam viderentur igne absumendæ sacræ species: advolat P. Julius Mancinellus, & divinam hostiam, licèt malè conditam, abligurit, multo lucro suo. Exinde enim miram percipiebat in Communione S. dulcedinem. *Rho ibid.* PP. Christophorus Mendez, & Jacobus de Guzman, Ferijs quintis, honori SS. Eucharistiæ dicatis, non contenti diurnis horis, noctes quoq; totas pervigiles in ejus cultu transigebant. *Nadasi in An. Dier. Mem.* Utinam omnium corda animosq; corriperet immensum illud incendium charitatis, quo ardet erga nos Eucharisticus JESUS: ut & nos, tanquam leones ignem spirantes, zelo zelemur honorem Amoris nostri!

FER. VI. Post Dom. II. post Pentec.

MEDITATIO: *DEUS in Ven. Eucharistia fecit memoriam mirabilium suorum: CHRISTUS Passionis & Mortis suæ: DEIPARA VIRGO semper ea in memoria recenti habuit.*

1. Ado-

1. **A**Dora DEUM O. M. & considera: eum verè in V. Sacramento Eucharistiæ fecisse, seu renovâsse *Memoriam suorum mirabilium*, quæ aliàs operatus fuit, dando *escam timentibus se*. Psal. 110. Ut quando in medio Paradisi plantavit Lignum vitæ, cujus fructus mortem arceret; In deserto Israëlitas Angelorum esca nutrivit, & panem de cœlo præstitit eis, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suavitatem. Sap. 16. Eliam unico subcinericio pane ita roboravit; ut in fortitudine cibi illius ambularet 40 diebus, & 40 noctibus usq; ad montem DEI Horeb. 3. Reg. 19. Horum & similium mirabilium suorum renovavit memoriam, ac insuper longè mirabiliora operatus est in institutione divinissimi hujus Sacramenti Misericors & miserator Dominus in gratiam nostri. Confitebor ergo tibi, Domine, in toto corde meo: narrabo omnia mirabilia tua. Lætabor & exultabo in te: quia tam mirabilem escam dedisti timentibus te, præsertim mihi indignissimo.

2. **A**Dora D. JESUM & considera: ipsum quoq; fecisse memoriam mirabilium suorum in Ven. Eucharistia: quæ scilicet in terris versando operatus fuit; 1. morbos miraculosè curando, mortuos excitando, cœcos illuminando, &c. 2. Inaudita & planè stupenda præbendo summarum virtutum exempla, Humilitatis, Obedientiæ, Patientiæ, Mansuetudinis, Charitatis, Perseverantiæ &c. quæ omnia etiamnum in Ven. Eucharistia mirabili modo repræsentat; tegendo se vilibus panis speciebus, sistendo se præsentem corporaliter ad vocem cujusvis Sacerdotis, etiam improbi, delitescendo in tabernaculo altaris velut honesto carcere, tolerando ab impijs varias maximasq; injurias, communicando se bonis & malis usq; ad finem mundi &c. 3. Repræsentando mirabilissimè Passionem & Mortem suam, per exhibitionem Corporis sui sub speciebus panis, & effusi Sanguinis sub speciebus vini. Cujus mysterij specialiter præcepit vivam memoriam: *Hoc facite in meā commemorationē*. Luc. 22. *Mortē Domini annunciabitis, donec veniat*. 1. Cor. 11. Memoriâ memor ero, Amab. JESU; da, ut gratum me exhibeam.

3. **V**Enerare DEIparam V. & considera: quomodo ejus Memoria amplissimum fuerit gazophylacium mirabilium divinorum, præsertim in hoc amabilissimo & mirabilissimo Sacramento patratorum nostrâ causâ. Nunquam consenuit ejus memoria: semper recens & viva, ampliùs & ampliùs inflammabat amorem, excitabat laudem, &c. O si & in me præstet idem?

Propositum, v. g. *de recolenda distinctiùs Morte Christi, tempore Sacrificij Missæ & S. Communionis.*

LECTIO PRACTICA: *De Ven. Eucharistia ut est Sacrificium.*

O Quàm solicitus & ingeniosus est Amor DEI & Domini nostri circa salutem & profectum nostrum: qui non contentus semel dedisse nobis Unigenitum suum in hostiam propitiatoriam, insuper in Sacramentum & Panem quotidianum, quo nutriremur in vitam æternam: eundem præterea concessit nobis in Hostiam, quotidie à tot millibus Sacerdotum, per orbem universum offerendam Sacrificio incruento; vero tamen, & cruentum in cruce peractum repræsentante. Et hæc quidem illa munda oblatio est, inquit Trident. Sess. 22. c. 1. quæ nullâ indignitate, aut malitiâ offerentium inquinari potest: quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod *magnum* futurum esset in gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit. Hæc deniq; illa est, quæ per varias sacrificiorum, naturæ & legis tempore, similitudines figurabatur; utpote quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur.

Ut verò tantò magis æstimetur, & diligentiùs, atq; frequentiùs celebretur Divinum hoc Sacrificium: advertere oportet ad quadruplicem ejus virtutem seu proprietatem; quòd scilicet sit Latreuticum, Propitiatorium, Eucharisticum & Impetratorium, juxta comm. Theol. & Conciliorum doctrinam. *Latreuticum* est: quia per illud redditur DEO summus cultus & honor infinitus: cùm in contestationem & venerationem summæ ejus Excellentiæ & supremi Dominij, offeratur ipsi munus infiniti valoris, quo majus dari non potest. *Eucharisticum* est: quia per illud deferimus DEO Gratitudinem debitam pro beneficijs ab ipso acceptis, offerendo ipsi munus gratissimum, & omni acceptione dignum. *Propitiatorium* est & *Impetratorium*. Quia cùm in divino hoc Sacrificio offeratur DEO idem ille Christus, qui seipsum obtulit propitiationem pro peccatis nostris, & per quem donatur omnis gratia: Sequitur, Sacrificium hoc habere vim, & placandi atq; propitiandi nobis DEUM per peccata offensum, & impetrandi omnigenas gratias & auxilia in tempore opportuno: prout latiùs exponit Trident cit. c. 2.

Ex his patet: quantâ reverentiâ & diligentiâ peragendum sit, & offerendum divinum hoc Sacrificium. Christus quidem ipse ad id muneris non omnes assumpsit fideles, sed illud commisit Apostolis suis, & alijs per ipsos eorumq; Successores seligendis: Ecclesia autem certos ordinavit ritus, *variasq; adhibet ceremonias, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaq; id genus multa ex Apostolica disciplina & traditione; quò & Majestas tanti Sacrificij commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia religionis & pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc Sacrificio latent, contemplationem ex-*

nem ex-

nem excitarentur; ut loquitur cit. Trident. c. 5. quorum rituum & ceremoniarum collectio, unà cum actione Consecrativa, *Missa* dicta est.

Quanta jam cura incumbat Sacerdotibus; ut Sacrosanctum Missæ Sacrificium omni religionis cultu ac veneratione celebretur; quivis facilè existimare poterit, qui cogitârit: Maledictum in Sacris Literis vocari eum, qui facit opus DEI negligenter; *inquit Trid. Sess. cit. in Decreto de Observandis &c. & pergit*: Quodsi necessariò fatemur; nullum aliud opus adeò sanctum ac divinum à Christi fidelibus tractari posse, quàm hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, quâ DEO Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidiè immolatur: satis etiam apparet, omnem operam & diligentiam in eo ponendam esse; ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditiâ, puritate, atq; exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur.

Porrò ut diligentia debita adhibeatur à Sacerdote, tria potissimùm sunt præstanda. 1. Ut convenientem præmittat Præparationem; ad quam requiritur inprimìs: ut mundam adferat animam. *Nonne accedentem ad altare Sacerdotem, luminis instar orbem illustrantis, animum splendescentem habere oportet; sicq; purum esse, acsi in ipsis cœlis collocatus, inter cœlestes illas virtutes medius staret?* inquit Chrysost. lib. 6. c. 4. de Sacerdotio. Corpus quoq; jejunum juxta præceptum Ecclesiæ adferat oportet. Deinde Intentionem debitam eliciat, sive communem illam formulam: *Ego volo celebrare Missam &c.* sive juxta privatam devotionem suam, v. g. distinctè offerendo DEO divinum hoc Sacrificium, ut est Latreuticum, Eucharisticum, Propitiatorium & Impetratorium; seu in Contestationem summæ ejus Excellentiæ, & supremi Dominij, in Gratiarum actionem pro communibus & privatis beneficijs, in Propitiationem pro peccatis & suis & totius mundi, in Imptrationem gratiarum & auxiliorum pro se & N. N. 2. Inter sacrificandum adhibeatur conveniens Attentio, Reverentia, & Devotio: caveatur autem Scandalum populi ob joculares gestus, & tumultuariam verborum præcipitantiam. 3. Congrua sequatur Actio gratiarum, cum deprecatione defectuum, & petitione uberioris gratiæ ad celebrandum deinceps digniùs.

SABBATO post Dom. II. post Pentec.

MEDITATIO: *De Ven. Eucharistia à Deo data in Pignus futuræ gloriæ: à Christo in pignus finalis gratiæ: Deipara V. imploranda ad ejus congruam susceptionem.*

α. ADora DEUM O. M. & considera: eum nobis Vener. Eucharistiam dedisse in Pignus futuræ gloriæ, infallibilissimè & pro tota æternitate conferendæ manentibus in gratia ipsius. Vide, quò se demittit essen-

tialis & summa Veritas ac Veracitas. Quasi infallibilitati promissorum suorum non sufficeret verbum ejus dictum, infinitâ authoritate munitum, adjecit Scriptum in Sacris libris: & huic insuper addidit Corpus & Sanguinem, imò totam Personam divinam Filij sui; ut ipsum teneremus in pignus præstandorum promissorum, haberemus obsidem servandæ pacis & amicitiæ. Quanta nobis securitas ex parte DEI? sed quàm parum fidei & fidelitatis ex parte nostra? Quàm multa & eximia DEO promittimus: quàm pauca præstamus? Erubesce, & vide, quid illi in pignus solidius fidelitatis tuæ offeras.

2. ADora D. JESUM, & considera: eum nobis reliquisse Corpus & Sanguinem suum in pignus finalis gratiæ. Hæc quàm necessaria ad obtinendam cœlestem gloriam, tam incerta nobis est. Nihilominus ne nimiùm de illa anxij, dejiceremus animos; erexit nos in spem firmam ejus conferendæ, Gratiosissimus JESUS, exhibitione Corporis & Sanguinis sui. Quomodo enim desperemus de dono longè minore, tenentes, quod est infinities majus? *Qui etiam proprio Filio non pepercit; sed pro nobis omnibus tradidit illum*, tam in mortem, quàm in cibum: *quomodo non etiam cum illo nobis omnia donavit*? argumentatur validissimè Apostolus Rom. 8. Et notandum; quòd non dicit; Donabit; sed *Donavit*. Non solùm promissa nobis reliquorum charismatum ad salutem necessariorum donatio facienda; sed jam facta est. Unicum ex parte nostra requiritur; ne actuali finalis gratiæ exhibitioni obicem ponamus per voluntariam à DEO defectionem, vel in malo obstinationem. Amor Eucharistice, JESU, qui nos sic dilexisti in finem: da, ut non deficiamus à te in fine.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam plurimum nobis conferre posse ad obtinendam finalem gratiam & futuram gloriam; si nobis impetret erga Ven. Eucharistiam constantem devotionem, diligentem præparationem, amore ferventem susceptionem. Nihil enim est in tota Ecclesiæ œconomia, unde tantum subsidij habere possimus. O Domina Gratiosissima, tu es illa Heroina, non solùm fortissima, sed de familia tua solicitissima, quæ de nocte surrexit, deditq; prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis. Prov. 31. dignare me mensæ Eucharisticæ ritè accommodare; ut mihi non judicium, sed gratiam & gloriam manducem æternam.

Propositum, v. gr. *de ardenter petendo in quavis S. Communione: ut Divini hujus Pignoris habeamus copiam in extremo agone, & illud dignè suscipiamus.*

[His consideratis de Vita Christi, ex occasione occurrentium Festorum, redibimus ad considerandas Perfectiones Divinas, & Excellentias Christi D, atq; Matris ejus.]

LECTIO

LECTIO PRACTICA.

De Vener. Eucharistia in Viaticum suscipienda à Moribundis: & de Communione spirituali.

LOngum, arduum & periculosum instat Moribundis iter; utpote in domum æternitatis suæ profecturis. Ne ergo deficiant in via, vel latronibus iter illud insidentibus, non sint resistendo: providit Divina Bonitas Viaticum fidelibus, æquè lautum ac roborativum, Corpus & Sanguinem DEI ac Salvatoris nostri.

Necessitatem ejus non solùm probat periculi magnitudo, & conscientia infirmitatis nostræ: verùm etiam obligatio præcepti gravis. Nam ex communi Theologorum sententia apud Vasq. tom. 3. in 3. part. disp. 214. omnes Christiani Ecclesiastico, imò etiam divino præcepto adstringuntur sub mortali culpa ad sumendum in articulo mortis Viatico Eucharistico. Expressè enim cavet Concilium Nicænum Can. 13. relato cap. Iis qui 26. q. 6. ne ij, qui vitâ creduntur discessuri, ultimo ac *Necessario Viatico* priventur. Additq; ibi Concilium: Eam esse antiquæ Legis regulam: id est, Faciendum id esse, ex antiquissima ipsorum Apostolorum traditione. Ipsa continua Ecclesiæ praxis, quæ sine gravi fidelium offensione omitti non potest, arguit obligationem gravem, teste Lessio de Sacr. Euchar. q. 80. art. 11. Proinde & infirmi ipsi, seu Periclitantes de Vita, diligentem hujus S. Viatici curam habere tenentur; & illi, qui pro ratione officij sui de eorum salute soliciti esse debent.

Ardenti semper desiderio divinum hoc Viaticum appetierunt, & summâ reverentiâ ac devotione acceperunt; quicunq; salutis suæ studiosiores, & probi æstimatores V. Eucharistiæ fuerunt. S. Hieronymus viaticum sumpturus, de lectulo humi se prosterni, saccoq; operiri jussit: tunc genibus provolutus lacrymas uberes fundens, pugnoq; pectus tundens, S. Oblationem accepit. S. Lucianus Episcopus & Martyr, cùm aliter ob carcerem & vincula non posset, ne solatio & præsidio illo privaretur, supinus in terra decubuit, & pectore proprio loco aræ adhibito, sacrificavit, sibiq; & socijs M. M. Viaticum ministravit. S. Nicolaus Tolentinas in ultimo morbo viaticum sibi ministrari petens, hanc facti sui rationem dedit: ut tanto viatico munitus non deficiam in via ad cœlestem patriam profecturus; & si ob demerita mea improbus Belial, hostis meus mihi occurrat: possim fidenter dicere: Dominus mihi adjutor: & ego despiciam inimicos meos. Tam solemni absolutione acceptâ, Viaticum sumens dixit: Benedictus, qui venit in nomine Domini. Alij cum Simeone & Maria Ægyptiaca dicunt; Nunc dimittis

dimittis servum tuum, Domine, in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum.

S. Augustinus, *apud Nadasi in Anno Euchar. hebd.* 45. moribundus, sic Christum pro Viatico sumpturus, allocutus fertur: Ave Principium nostræ creationis & reparationis; Ave Sacrificium nostræ reconciliationis; Ave antidotum nostræ curationis; Ave Viaticum nostræ peregrinationis; Ave solatium nostri laboris; Ave Refugium nostræ tribulationis; Ave Præmium nostræ expectationis.

Cæterùm moribundorum plurimi, etiam magni principes & reges, præ reverentia non sustinuerunt, Venerabile ad se deferri; aut in lectulo suo suscipere: sed collectis viribus ultimis prosilierunt in occursum Domini; aut quàmvis morbis vel ætate fracti, ad Ecclesiam adrepserunt, vel deportari se curârunt: ut Joannes Hunniades rex Hungariæ, David rex Scotiæ, Laurentius Mediceus Dux Florentiæ &c. Ne verò contingat, casu aliquo privari sacro hoc Viatico: consultissimum est, dum aliàs communicamus, illud à Christo petere, & intercessores adhibere Sanctos, præsertim V. DEIparam, S. Josephum, S. Mariam Magdalenam, S. Barbaram &c.

Communio, quæ Spiritualis dicitur, valde utiliter exercetur sive in defectu Sacramentalis, sive dum S. Missæ Sacrificio intersumus, & Sacerdotem communicantem videmus, sive dum Ven. Sacramentum visitamus, aut quovis alio tempore. Consistit autem in ipso desiderio Communionis Sacramentalis, & Unionis intimæ cum Christo; quem affectuosissimè invitamus, ut se egenti & famenti animæ communicet optimo, quem novit ipse, modo. Valde gratum sibi esse hunc communicandi modum testatus est Christus ipse, quando non uni, inter pia hujusmodi desideria miraculosè hostiam obtulit consecratam, ut S. Catharinæ Senensi, Michaëli Bonfil Coadjutori S. J. & pluribus alijs. B. Joanna de Cruce affirmabat: Se in Spirituali Communione ijsdem gratijs cumulari solitam esse, quibus in reali seu Sacramentali fruebatur. O præclaram, addebat, communicandi methodum; ubi neq; Confessario, neq; Superioris facultate, neq; ullius alloquio opus est, præterquam tuo, ô DEUS meus! *Barry in Solitud. die* 10. *Med.* 2. Etiam non jejunis, imò in ipso prandio & cœna, dum corpus materiali cibo reficitur, licet communicare spiritualiter; & dum nos ad quietem nocturnam componimus, juvat animam spiritualiter divino munire Viatico. Denique si Beati, qui esuriunt & sitiunt justitiam; quoniam ipsi saturabuntur: Matt. 5. quomodo non Beati, quomodo non saturabuntur, qui omnis Justitiæ Authorem & ideam esuriunt & sitiunt?

DOMI-

DOMINICA III. post Pentecosten.

MEDITATIO: *Deus infinita Mens est: In Christo & Deipara V. summa Intellectûs perfectio.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum totum esse purissimam & clarissimam quandam Mentem, absolutè infinitam in omni genere perfectionis intellectualis. Est Oculus infinitus, quem nihil latet. Est Lux infinita, cui nihil impervium, cujus velut tenuissimæ scintillæ sunt omnes intellectus creati, etiam Angelici. Cognoscit omnia ab æterno sine fatigatione, in æternum absq; oblivione, continuò sine intermissione, certissimè absq; errore, evidentissimè absq; opinione. Cognoscit distinctissimè omnia & singula, præsentia, præterita & futura, possibilia & impossibilia, bona & mala, & quidquid aliquo modo cognoscibile est, cognoscitur ab ipso modo perfectissimo. *Si multitudinem Scientiæ desiderat quis: scit præterita, & de futuris æstimat; scit versutias sermonum & dissolutiones argumentorum; signa & monstra scit, antequam fiant, & eventus temporum & sæculorum.* Sap 8. Admiror, adoro, magnifico & superexalto Te super omnia, ô Mens increata, æterna & infinita. Illumina, instrue, dirige mentem meam, scintillam tuam, præsertim ut noverim Te, noverim me.

2. ADora D. JESUM & considera admirandam perfectionem Intellectûs SS. Animæ ipsius; Ob naturales ejus dotes longè superavit omnia etiam ingeniosissimorum hominum ingenia, ut Salomonis, Adæ, &c. at ob supernaturales, etiam ipsas Angelicas mentes. Requirebat eam perfectionem tum dignitas Personæ, creatam omnem excellentiam transscendens, tum altissimus finis, ad quem Anima Christi fuit creata & assumpta. Scilicet ad erudiendum mundum universum, ad confutanda principia humanæ carnalis sapientiæ, ad detegendas fraudes antiqui serpentis, ad instruendos homines oraculis sapientiæ æternæ. Unde humanum ipsius intellectum oportebat divino Spiritûs S. lumine præ omnibus illustrari copiosiùs. *Requiescet*, (prædixit Isaias c. 11.) *super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectûs, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & Spiritus timoris Domini.* Gaudeo tantâ perfectione humani intellectûs tui, Perfectissime JESU. Da mihi intellectum, non inania, sed æternas veritates meditantem; & quomodo placeam tibi.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm vasto, perspicaci, illuminato, & naturalibus, supernaturalibusq; principijs instructo, fuerit intellectu. Non obscurabant illum originalis culpæ tenebræ, non

confundebat effrenium passionum tumultus, non distrahebant temporalium curarum turbæ. Acuebant ipsum organa perfectissima rationi servientia, humorum defæcatissimorum mira temperies, habituum acquisitorum & infusorum copia, assidua divinorum contemplatio, & profusissima increati Luminis communicatio. Quàm longè alia sunt in mente mea? Subveni, ô Domina, cœcutienti, erudi rudem, corrige non nisi terrena sapientem.

Propositum, v. g. *de accuratiùs exercenda mente divinorum contemplatione.*

LECTIO PRACTICA.

Maxima mentis humanæ perfectio est Summi Boni Contemplatio.

EA est amplitudo Mentis humanæ: ut juxta oraculum S. Augustini libr. 14. de Trin. cap. 8. *Nihil majus sit mente humanâ, nisi Deus.* Imò nihil præter DEUM ipsam adæquare & implere potest. Extendit enim se ad cognoscendum, quidquid est cognoscibile, & ultra quarumvis creaturarum cognitionem, sese attollit ad Primi Veri, Summiq; Boni investigationem & complexum, non temerariâ curiositate, sed amplissimâ intelligendi acie. Inde fit: ut quorumvis objectorum, quæ DEUS non sunt, cognitione, quantumvis clarâ & evidente, perfici ultimò non possit: sed in solius Summi Boni, quatenus est primum, summum & infinitum Verum, contemplatione conquiescat, eò, quòd ab eodem, tanquam dignâ se coronâ, ultimò perficiatur.

Hoc ut clariùs pleniusq; percipiatur: recolendum est, quod dixit Philosophus: Intellectum agendo seu cognoscendo, fieri Omnia: in quantum in se exprimit vivam imaginem rerum, quas cognoscit, quæ *verbum mentis* dicitur. Quò perfectius ergo est objectum, circa quod versatur, eò perfectior est secundùm speciem suam imago objecti, quam in se exprimit & recipit: ideoq; magis eâ exornatur intellectus & perficitur. Cùm igitur nihil DEO sit aut esse possit perfectius, imò nec par in perfectione; sequitur: ut mens nostra DEUM cognoscendo penitiùs, quantumvis modo valde imperfecto, qualis huic vitæ competit, magis, quàm per quævis alia objecta, perficiatur, & quodammodo deificetur: ut loquuntur Ascetæ.

Porrò inter modos cognoscendi DEUM in hac vita, perfectior est ille, qui *Contemplatio* dicitur. Contemplatio scilicet strictiùs sumpta: id est, non solùm pro attenta Divinorum consideratione seu meditatione: sed pro speciali & supernaturali elevatione mentis ad cognoscenda divina, non per ambages discursuum, sed quasi simplici intuitu (qui tamen non est visio intuitiva) extraordinariâ perspicacitate, promptitudine & suavitate, ita; ut animus cæterarum rerum oblitus, sit quodammodo absorptus in DEum.

Unde S.

Unde S. Thomas 2. 2. q. 180. art. 3. C. ex Richardo à S. Vict. differentiam assignat inter simplicem Cogitationem, Meditationem & Contemplationem: quòd *Contemplatio pertinet ad ipsum simplicem intuitum Veritatis*: seu, ut ait Richardus, est Perspicax, & liber contuitus animi in res perspiciendas. Meditatio animi est intuitus animi in Veritatis inquisitione (per varios scilicet discursus) occupatus. Cogitatio autem est animi respectus, ad evagationem pronus. Nimirùm Cogitatio est levis & erratica quædam mentis applicatio ad hæc & illa objecta, prout occurrunt. Meditatio dicit applicationem firmam ad certam aliquam veritatem inquirendam, & ejus proprietates atq; circumstantias investigandas & considerandas: Contemplatio est immediatus quidam intuitus seu conspectus rei, & quædam defixio mentis in illam: ut cùm oculos in præsens pulchrum objectum defigimus. In Cogitatione est levitas, in Meditatione labor, in Contemplatione quies & gaudium: sed ad eam non pervenitur ordinariè, nisi à diu multumq; exercitatis in Meditationis studio.

Ut autem meliùs intelligatur natura Contemplationis divinorum aliorumque objectorum à sensibus abstractorum: advertenda est differentia, quam declarat Lessius lib. 2. de Summo Bono cap. 1. inter Contemplationem, de qua agimus, & inter Visionem Beatificam, atq; Cognitionem Supernaturalium per Fidem, & conjunctionem per Spem & Charitatem. Nam hæc Cognitio & Conjunctio fit per ordinaria supernaturalia auxilia, & est satis obscura & laboriosa; Visio verò Beatifica fit per infusum Lumen gloriæ & clarum immediatumq; intuitum ipsius Essentiæ Divinæ: at Contemplatio ascetarum perfectorum propria fit per influxum & lumen divinum extraordinarium & specialissimum, perfectius quidem, quàm sit Ordinarium Lumen Fidei, imperfectius autem, quàm sit Lumen gloriæ. Deinde actus Contemplationis istius excitantur & formantur immediatè ab ipso DEO in anima, ipsâ se passivè habente; id est, non liberè cooperante (etsi revera vitaliter activè concurrat) sicut in motibus gratiæ prævenientibus. Unde tunc homo dicitur *Divina pati* potiùs, quàm agere. Non est autem opus: ut DEUS contemplanti objiciat quasdam ideas vel simulacra rerum cognoscendarum, distincta ab actibus intellectûs: sed per hos ipsos, divinâ virtute suâ formatos, repræsentat animæ, quidquid voluerit; cùm ex Philosophia constet: Cognitionem Intellectualem esse Speciem expressam, & Vitalem Imaginem objecti sui, etiamsi absq; ullo simulacro distincto à specie impressa & objecto, sit elicita. Per ipsos ergo actus vitales non liberos repræsentat DEUS animæ mirabilia & ineffabilia, lucem immensam, pulchri-

 tudinem

tudinem admirandam, mysteria abstrusissima: qualiter ipsos quoq; Prophetas de arcanis varijs, & futuris eventibus edocuit.

Ex his patet Summa Excellentia Contemplationis, quæ inde plurimùm augetur: quòd non sit tantùm quidam mentis stupor; sed causet in anima ferventissimum DEI amorem, & ex ipso liquidissimum gaudium, extases & raptus: quæ solus novit, qui percipit. O si experiri liceret! Quàm citò nobis desiperent illecebræ carnis, deficerent vanitates mundi; mens & cor figeretur in DEO, solusq; placeret DEUS, & quæ placent DEO?

FERIA II. post Domin. III. post Pentec.

MEDITATIO: *De Veritate & Veracitate DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum esse Primam & Summam Veritatem tam Objectivam, quàm Formalem, tam in essendo & cognoscendo, quàm loquendo. Est Prima Veritas Objectiva: quia est primum Intelligibile tum ab Intellectu suo Divino, tum ab intellectu creato, supernaturali lumine perfuso. Est Prima Veritas Formalis: quia ipsius Scientia præcedit tum dignitate, tum infallibilitate, tum tempore, imò totâ æternitate omnes alias scientias & quasvis cognitiones veras; estq; omnium harum fons & origo. Est quoq; DEUS *Summa* Veritas Objectiva: quia est Summum Intelligibile; in quo quivis intellectus, quantumvis capax & avidus, semper per omnem æternitatem reperiet novum aliquid, quod cognoscat, quo erudiatur, pascatur, & delectetur, absq; satietate & fastidio. Est *Summa* Veritas formalis: quia non accidentali quâdam cognitione, sed ipsâ entitate substantiæ suæ infallibilissimè exprimit omne cognoscibile, prout est in se, & esse potest. Est prima & summa Veracitas: quia nec falli, nec fallere potest; idq; ex ipsius Essentiæ suæ perfectione. Unde promissa ejus firmissima. O Veritas & Veracitas tam antiqua, tam solida, Prima & Summa, te adoro: tibi subordino omnem intellectûs mei vim, aviditatem & capacitatem: conforma illum tibi, imple te ipso: dirige mentem & linguam meam, erroris & doli capacissimas & profusissimas.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum non solùm secundùm Divinitatem suam fuisse infallibilem in cognoscendo & loquendo, adeoq; Primam & Summam Veritatem: *Ego sum Via, Veritas & Vita.* Joann. 14. sed etiam humanum ejus intellectum fuisse omnino infallibilem, nulliq; errori obnoxium; adeoq; omnem ejus cognitionem & sermonem fuisse verum, imò verissimum. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Joan. 1. Si Angelorum hominumq; beatorum intellectus & lingua ab omni errore & dolo immunis est: quantò magis Christi? qui non solùm beatus, sed DEUS erat; cujus nisi singula verba,

divina essent oracula, non essent omnino firma fidei & spei nostræ fundamenta. Suspicio, Sapientissime JESU, sanctissimæ Animæ tuæ intellectum ut Primæ & essentialis Veritatis Sacrarium, ut infallibilem judiciorum, fidei & scientiarum nostrarum normam. Adstringe huic intellectum meum, & detege illi mundi & satanæ fallacias.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsius quoq; intellectum singulari DEI munere fuisse infallibilem in cognoscendo, linguam infallibilem in loquendo ita; ut nullum formaret judicium vel verbum falsum, adeoq; ab omni errore & deceptione esset immunis. Error enim & deceptio appendices sunt peccati originalis; & non leviter dedecent dignitatem Matris DEI, ac Sedem Sapientiæ increatæ, undiq; immaculatam. Gratulor tibi, ô Domina, rarissimam hanc immunitatem. Arce ab intellectu & lingua mea, præsertim in materia fidei, errorem omnem: instrue principijs æternæ Veritatis & Veracitatis.

Propositum, v. g. *de majore studio Veritatis & Veracitatis.*

LECTIO PRACTICA.

De fugiendis vitijs veritati oppositis.

VItia Veritati opposita, secundùm S. Thomam 2. 2. q. 110. & seqq. sunt, Mendacium, Hypocrisis seu Simulatio, Jactantia & Ironia, pestes socialis hominum vitæ. *Mendacium* est Enunciatio discrepans à mente, seu judicio externo. Mentiri enim est contra mentem ire: id est, dum quis sciens volens aliter enunciat rem, quàm in mente habet; ut scilicet alium fallat. Dividi solet in *Jocosum*, quod scilicet tantùm joci gratiâ, seu ex levitate committitur; *Officiosum*; quod ad evitandum aliquod *incommodum*, vel percipiendum commodum profertur: & *Perniciosum*, quod in alicujus alterius perniciem, seu incommodum tendit.

Omne Mendacium esse peccatum, communis est Catholicorum DD. sententia cum D. Thoma cit. q. art. 3. Nam Eccle: 7. monet Spiritus S. *Noli velle mentiri omne mendacium.* Et Proverb. 12. *Abominatio Domino labia mendacia.* Et Psal. 5. *Perdes omnes, qui loquuntur mendacium.* Apocal. 21. *Omnibus mendacibus pars illorum in stagno ardente, igne & sulphure.* Quæ duo posteriora loca, quàmvis de mendacijs gravibus procedant; ut quæ in materia Religionis, vel cum gravi proximi damno committuntur: quia tamen frequentata levia mendacia disponunt ad grave; etiam illa illicita esse produntur. Rationem universalem dat S. Thomas cit: Quòd mendacium sit malum ex genere suo. Semper enim deficit à Veritate, quæ est bonum agentis rationalis unum ex primarijs. Unde etiam Philosophus 4. Ethic. c. 7. dicit: quòd Mendacium sit *per se* pravum & fugiendum: verum autem

 est bo-

est bonum & laudabile. Et S. Augustinus lib. contra Mendacium c. 1. dicat, Omne mendacium esse peccatum. Et c. 6. *Si quis ad te confugiat, qui mendacio tuo possit à morte liberari; tibi non est mentiendum.* Mendacium enim non solùm habet rationem peccati ex damno, quod infertur proximo; sed ex sua intrinseca inordinatione. Non licet autem aliquâ illicitâ inordinatione uti ad impediendum nocumenta, & defectus aliorum: sicut non licet furari, ad hoc, quòd homo eleemosynam faciat: inquit S. Thomas cit: Addit tamen art. 3. ad 4. *Licet tamen veritatem occultare prudenter sub aliqua dissimulatione; ut August. dicit lib. contr. Mend. c.* 10. scilicet rationabili causâ urgente.

Mirum sanè est, Christianos quosdam Politicos non advertere fœditatem & inconvenientiam mendacij, probè agnitam etiam ab Ethnicis. Guevara in Horol. princip. lib. 2. c. 45. adfert duorum insignium Imperatorum exempla. Trajanus Imp. filium Decebali regis Dacorum à se devicti, ob eam solam causam noluit restituere patrio regno; quòd mendacem reprehendisset adolescentem: nec ullis aut Senatorum, aut exterorum principum intercessionibus à sententia dimoveri potuit. *Maximo quippe*, inquiebat, *tum mihi, tum genitrici nostræ Romæ dedecori foret; si cùm Roma veritatis sit mater, mendaciorum filijs regna daret.* Aurelianꝰ Imp: ob eandē causā Commodū filiū privavit jure successionis in imperio, transtulitq; in minorem natu. Deprecanti Senatori cuidam familiari respondit: Deos hac inre testor immortales: me facere, quod nollem facere, & dare, quod nollem dare, & adimere, quod nollem adimere. Nam Antoninus, idem Dominus & Socer meus, non aliam ob causam mihi dedit imperium, quàm quòd nunquam in me invenit mendacium. Et ego idcirco filium meum imperio privo, quia nunquam in illo veritatem inveni. Neq; enim æquum est, ut Imperij, quod mihi datum est, quoniam verax eram, hæreditatem adire mendacem patiar. Nimirum *humilis, parviq; animi & servile vitium est mendacium*, ut notavit Mamertinus. Deinde Tullio teste lib. 2. de Divin: Id lucri habet mendax: *quòd etiam verum dicenti non credatur.*

Hypocrisis, seu Simulatio juxta S. Thom. 2. 2. q. 111. art. 1. *est propriè mendacium quoddam in exterioribus signis factorum consistens:* ut cùm quis dolis & alijs vitijs plenus, simulat proditq; exteriùs mores probos, vel sanctitatem. Non enim refert; an aliquis verbo mentiatur vel facto. Imò hoc pejus est; majorem enim habet vim decipiendi. Unde gravissimæ sunt Christi invectiones Matt. 23. in Phrisæos hypocritas.

Jactantia est vitium, quo homo verbis aut alijs signis se extollit supra id, quod est. Unde etiam eam opponi Veritati notat Philosophus 4. Eth. c. 7.

Plerumq;

Plerumq; proficiscitur ex superbia & ambitione, seu affectatione honoris & gloriæ indebitæ. *Ironia* est etiam species Mendacij, opposita Veritati: ut cùm quis negat de se, quod re verâ in ipso est, & in se agnoscit. De quo dicit August. lib. de Verbis Apostoli: *Cùm humilitatis causâ mentiris; Si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris.* Jactantia recedit à Veritate per excessum, Ironia per defectum. Licet occultare seu dissimulare dotes suas, quas quis in se agnoscit; non tamen negare. *Sit ergo*, secundùm præceptum Christi Matt. 5. *sermo noster: Est, Est; Non, Non*: ut ascendere mereamur in montem Domini, & stare in loco sancto ejus. *Psal.* 14.

FERIA III. post Dominic. III. post Pentec.

Meditatio: *Deus Scientiarum Dominus est: In Christo & Deipara V. quàm varia Scientia?*

1. ADora DEUM O. M. & considera ipsum ut *Supremum Scientiarum Dominum*, qualis celebratur 1. Reg. 2. Quia 1. non solùm cognoscit omnia cognoscibilia; sed etiam cognoscit illa omni possibili cognoscendi modo, nullam perfectionem involvente. Cognoscit omnia possibilia per Scientiam Visionis, clariùs quàm nos videmus sensibilia oculis nostris objecta. Cognoscit omnia etiam conditionatè futura, per Scientiam Conditionatam: quæ scilicet futura essent vel fuissent, si conditio aliqua poneretur, aut posita fuisset. Cognoscit illa omnia tum in se ipsis, tum in Decretis suis, tum in essentia & sapientia sua: prout scilicet cognoscibilia sunt ab intellectu perfectissimo. 2. DEUS *Scientiarum Dominus est*: in quantum in manu ejus distributio est omnium Scientiarum. Per ipsum Salomon donatur omnigenâ scientiâ, per ipsum relinquitur Nabal in stultitia sua. O DEUS, Scientiarum Domine, fac me, quantum oportet, sapere. Scire meum nihil est, imò perniciosum est; si me non ducit ad amorem tui.

2. ADora D. JESUM, & considera: in ipso reconditos fuisse, & esse, *omnes thesauros Sapientiæ & Scientiæ Dei.* Coloss. 2. Nam, ut DEUS, instructus fuit omni divinâ suprà memoratâ scientiâ: ut HOMINI nihil ipsi defuit, quidquid unquam ulli vel hominum, vel Angelorum aut per naturam, aut per gratiam concessum fuit. Imò habuit, quod nemini concessum fuit; nimirum in statu viæ visionem beatificam constantem, scientiamq; beatorum tam claram & amplam, ut comparata cum scientia aliorum beatorum, sol sit inter scintillas volitantes. Habuit insuper adhuc in mortali vita aliam per se infusam supernaturalem scientiam, quâ res cognoscebat non in Verbo vel Essentia divina, ut per visionem beatificam,

ficam, sed in seipsis per proprias earum species. Ut enim currus gloriæ Domini, Ezech. 1. plenus fuit oculis: ita Dominum gloriæ instrui decebat omnigenâ scientiarum varietate. Instrue, Sapientissime JESU, etiam inanem hanc mentem meam eo scientiarum apparatu, quem requirit ratio status ac muneris mei pro gloria tua. Quantillū est, quod scio: quantū, quod nescio.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; adhuc in mortali vita instructam fuisse liberalissimè infusâ scientiarum varietate. Omnem habuit cognitionem rerum naturalium, moralium & supernaturalium, quæcunque requiritur ad perfectam S. Scripturarum & totius Theologiæ intelligentiam, ad penetranda explicandaq; fidei mysteria, atq; ad consummatam prudentiam dignitati & muneri talis tantæq; Personæ convenientem. Accessit multitudo & magnitudo divinarum revelationum, & mirabilis eruditio comparata per diuturnam cum Sapientia incarnata conversationem. O Virgo prudentissima, eruditissima, sapientissima, fac me docilem æternæ sapientiæ discipulum.

Propositum, v. g. *de indefesso studio ad comparandas scientias statum & munus nostrum concernentes.*

LECTIO PRACTICA:

Scientiæ ubi quærendæ?

NOn ducam per ambages, sed porrecto digito auri hujus fodinas monstro. Apud DEUM O. M. JESUM Crucifixum, DEIparam V. Angelum Custodem & in musci proprij penetralibus utiliter quæruntur, & feliciter inveniuntur Scientiæ.

De DEO testatur Ecclesiasticus cap. 1. *Omnis Sapientia à Domino Deo est.* Et S. Jacobus Apostolus c. 1. *Si quis autem vestrûm indiget Sapientiâ, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat; & dabitur ei.* Postulavit Salomon juris dicendi populo numerosissimo scientiam: & data est ei tam affluenter; ut abundaret omni genere scientiarum, simulque adjectæ sunt divitiæ tantæ & gloria; ut nullus regum nec antè nec pòst fuerit similis ei. Paral. 2. c. 1. Postulavit Thomas de Aquino, & in Solem Theologorum evasit, atq; abditissima divinarum literarum sibi reserata habuit. Contigit aliquando: ut in difficillimum Isaiæ textum incideret; è quo cùm totius ingenij nisu eluctari non posset, solitò ferventiùs orationi instabat. Apparuerunt tandem ei in Oratione pernoctanti, divino jussu, Apostoli SS. Petrus & Paulus, & difficultatem omnem planissimè enodârunt. Socius ejus F. Reginaldus distinctè audivit voces loquentium, sed quinam invisissent Thomam, scire non potuit. Advocat ergò Sanctus post abitum Apostolorum Re-

tum Reginaldum, jubetq; resumi paginas, in quas proximis diebus textum Prophetæ conjecerat: cœpitq; illius interpretationem satis prolixam tam expeditè & clarè dictare; ac si eam ex libro legeret. Tum ut ad quietem rediret, monuit: siquidem adhuc multum noctis supererat. Reginaldus autem summa cum instantia, imò & lacrymis S. Doctorem rogavit: quinam illi fuissent, qui paulò antè discursus cum ipso miscuissent? Ægrè, & non nisi post altissimum promissum silentium, quamdiu viveret Sanctus, impetravit responsum. Vidisti me, inquiebat, hisce diebus, valde anxium super difficultate textûs Prophetici, quem jam exposui? Cùm ea res mirificè me angeret, non priùs à precibus & lacrymis destiti, quàm à DEO impetravi declarationem. Quare pijssimus Dominus servi sui misertus, Petrum & Paulum Apostolos hâc nocte misit, qui mihi, sicut vides, rem planam & apertam fecêre. *Lohner. in Biblioth. v. Oratio. n.* 48.

Christo Crucifixo convenit illud Eccl. 1. 5. *Fons Sapientiæ Verbum Dei in excelsis* Est enim Christus fons Sapientiæ non solùm secundùm Divinitatem suam, & quatenus est Verbum increatum & Sapientia Patris æterni; sed etiam secundùm Humanitatem suam exaltatam in cruce. Unde solemnissimum est viris doctrinâ eminentibus, ad Christum Crucifixum in difficultatibus confugere: imò studia non inchoare, nisi lumine ab ipso humiliter petito. S Bonaventura rogatus à S. Thoma Aquin. ut sibi bibliothecam, è qua tantum eruditionis sumeret, monstraret: Christi Crucifixi simulacrum monstravit dicens: En bibliothecam meam. Ex eadem bibliotheca amplissimas scientiæ suæ Theologicæ divitias deprompsit noster Franciscus Suarez, in dubijs præsentissimum solitus habere refugium ad JESUM Crucifixum. Unde etiam aliquoties visus est ante Crucifixi effigiem orans alienato à sensibus animo. Adijt ipsum aliquando Conimbricæ Hieronymus de Sylva Janitor, vir ad sanctitatis usq; famam religiosus; ut ad externorum quempiam evocaret. Cùm dato de more adventûs sui signo nihil responderet, ingressus conclave vidit eum ante Salvatoris Crucifixi imaginem genibus flexis, nudo capite, manibus in altum elevatis, toto corpore quinos ferè palmos à terra sublato, animo verò ita in DEUM abstracto, ut nihil eorum, quæ circa ipsum agebantur, perciperet. Ex Imagine autem Crucifixi tanti fulgoris radij in pectus & faciem Suarij vibrabantur: ut ab Hieronymo citra cæcitatis periculum tolerari non potuerint. Regressus igitur extra cubiculum, sacro quodam horrore perfusus, ad horæ quadrantem & ampliùs expectare debuit, donec Pater ad officia humana rediret. *Massejus in Vita Suarij c.* 21.

DEIparam V. avidis Scientiarum commendant inter plurimos alios Beat. Albertus Magnus, Rupertus Abbas Tuitiensis, Hermanus Contractus &c. quos natura ad scientias parùm idoneos formaverat; sed illa ad miraculum usq; doctos momento fecit.

Angeli Custodis opem præter alios expertus est è Nostris Ludovicus Freredoux Burgundus, Angelo suo specialiter devotus. In Examine enim Philosophico tam promptè commodeq; respondit: ut ingenij sui metas visus sit longè supergressus. Rogatus, unde ei tanta respondendi felicitas? candidè respondit: se sensisse quempiam, lateri suo hærentem, atq; ad singula distinctè responsum suggerentem. *Nadasi 23. Febr.*

Deniq; musei sui, seu cubiculi, amantem esse oportet, qui Musas, præsertim diviniores, vult habere amicas, & contubernales. Hinc tritum illud: *Anima sedendo fit sapientior.* Ut olim missus Apostolis Spiritus Veritatis non sedit, nisi super sedentes, & orationi vacantes: ita nunc animas requirit sedentes & orantes, quas repleat.

FERIA IV. post Domin. III. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Longitudine Scientiæ DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera Longitudinem divinæ ipsius Scientiæ. Cùm non sit acquisita in tempore, vel per instructionem alterius, sed coæva DEO & essentialis; mensura Longitudinis ejus non alia esse potest, quàm æternitas tota. Quidquid scit DEUS, scit ab æterno, & sciet in æternum. *A sæculo usq; in sæculum respicit, & nihil est mirabile in conspectu ejus,* Eccl. 30. quia nihil novum ipsi. Ab æterno omnia & singula vidit, digessit, ordinavitq;: quæ in massa possibilium essent relinquenda, & quæ per causas scitè dispositas essent producenda, continuata per totam æternitatem indefectibili serie. Ut ignorantia nulla, sic nec oblivio ulla infinitam illam Mentem afficere potest. Vidit proinde ab æterno & me cum omnibus actibus meis, bonis & malis; videt etiamnum, & videbit in æternum. Proh! quale monstrum vidit! Vide anima mea, & cave: ne te in æternum videat titionem inferni. In potestate tua est, tollere è conspectu DEI tam fœdum objectum. Misericordissime DEUS, da: ut in æternum gratiosus appaream oculis tuis.

2. ADora D. JESUM, & considera Longitudinem Scientiæ ipsius creatæ. Præter Experimentalem notitiam, quam successu temporis ex rebus & actionibus sibi occurrentibus acquisivit, reliquas omnes scientias naturales & supernaturales, ipsamq; visionem beatificam, habuit sibi

congenitas, seu in momento conceptionis infusas. Jam enim tunc vir erat maturitate judicij (*Fœmina circumdabit virum.* Jerem. 31.) & Patris sui voluntatem finemq; Incarnationis eum cognovisse, docet Apostolus Hebr. 10. *Ingrediens mundum dicit: Hostiam & oblationem noluisti, corpus autem adaptâsti mihi &c. tunc dixi: Ecce venio.* Quodsi Angelis in primo instanti creationis infusa est scientia ipsis connaturalis; potiori jure infundi debebat Animæ Christi, exigente Unione hypostaticâ, & infinitâ dignitate Personæ Christi, quantumvis Infantis unius momenti. Acceptas tunc Scientias amisit nunquam: nec ætas illis incrementum dedit; siquidem ab initio plenus erat gratiæ & veritatis. Nos quàm rudes nascimur, quanto tempore, quàm improbo labore modicum aliquid comparamus scientiæ? Causa non rarò est: quòd non ex fonte proprio, sed ex cisternis illas haurire nitamur, contra monitum Apostoli Jacobi c. 1. *Si quis autem vestrûm indiget sapientiâ: postulet à Deo.* Indigeo maximè: da liberalissime JESU: tempus est, ut tandem sapere incipiam.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoque in Conceptionis suæ immaculatæ momento non solùm rationis usum perfectum habuisse; sed etiam incomparabili sapientiâ donatam fuisse. *In prima Sanctificatione*, inquit S. Bernardinus Tr. de B. V. Ser. 4. a. 1. cap. 4. *tanta ei Sapientiæ claritas à Deo superinfusa est; quòd perfectè intelligebat creaturas, & Creatorem, & Spiritus, & omnia bona amplectenda, & mala fugienda.* O Virgo prudentissima, doce me saltem nunc: ut sciam & faciam voluntatem DEI; sciam & velim reprobare malum, & eligere bonum.

Propositum *de studio comparandi Scientiam indefectibilem.*

LECTIO PRACTICA:

In Scientijs comparandis cavendus tam Excessus, quàm Defectus.

UT Virtus, ita donum Scientiarum, quod venit à Patre luminum, consistit in medio, atq; ita moderatum requirit studium: ut nec deficiamur per ignaviam aut animi levitatem; nec modum acquirendi scientias excedamus per contentionem nimiam, & aviditatem indiscretam. Attendendum igitur inprimìs: quantum doctrinæ & studij requirat cujusvis status, & ratio Officij; deinde quantum permittant valetudo, & alia necessaria negotia, vel pietatis exercitia, præsertim ea, quæ non sunt merè voluntariæ devotionis, sed lege aliquâ præscripta.

Scientia cum detrimento pietatis & virtutis quæsita, vel non acquiritur (invito nimirum DEO Scientiarum Domino) vel acquisita non prodest, imò nocet plerumq;. Novit serpens antiquus rationalibus creaturis congeni-

tam aviditatem sciendi. Unde sicut ipsos protoparentes nostros ut induceret ad esum pomi vetiti, ad quem aliàs, præsertim Adamus, ægrè se resolvissent, fucum acquirendi scientiam omnino divinam; illi induxit Gen. 3. *In quocunq; die comederitis ex hoc ligno, eritis sicut Dij, scientes bonum & malum :* Sic etiamnum, in plurimis, præsertim DEO & Virtuti sacris, ingentem incendit sciendi æstum, ut eos abstrahat à fine & munere suo, & per præcipitia arrogantis ingenij deducat in perniciem.

Sic cepit, duxit, ac ferè perdidit B. Ægidium, juvenem loco nobilissimo natum in Lusitania; *de quo Cochem lib. 3. Histor. p. 1. hist.* 12. Parens ejus Præfecturam aulæ Hispananicæ gerebat, ideoq; filium, à natura liberalissimè dotatum, facilè honoratis officijs extollere poterat: verùm Ægidius mediocritate non contentus, ut erat ingenio insigni, & inter æquales eminente, viâ literarum & scientiarum ad summa eluctari destinabat; ut non solùm à consilijs esset Regi, sed oraculi locô. Humanioribus igitur literis excultissimus, ad emporium scientiarum sublimiorum, Academiam Parisiensem, iter suscepit, numeroso famulitio & opibus instructus à patre. In via assequitur ipsum quidam, non è postrema nobilitate, ut videbatur, insinuatq; se omnibus humanitatis officijs in familiaritatem, & itineris comitem tam feliciter: ut Ægidius ipsum assumpserit in currum suum. Inter varios discursus, cùm intentionem suam, & scientiarum, specialiter medicinæ, ardentissimum studium aperuisset: prolixè eam Ægidij mentem laudavit dæmon, viri nobilis personam indutus; nihil enim magis decere altiore loco natos, quàm ut Solis instar inter cætera sidera fulgeant scientijs, & prosint consilijs. Cæterùm ad obtinendum hunc scopum opus non esse viâ Parisiensi, multis sumptibus & laboribus: posse hæc omnia, & plura, ut arcanorum & futurorum cognitionem, atq; mirabilium operationem, compendio obtineri. Ad hæc reposuit Ægidius: talia non posse aliter, quàm per Magiam obtineri, quæ maximè dedeceret nobilitatem generis sui. Hic dæmon: Non omni magiæ posse hanc labem aspergi; dari Magiam naturalem, plurimi æstimatam à Nobilitate Hispana, solisq; plebejis & rudibus suspectam. Proinde, si placeret, se peritissimum hujus magistrum monstraturum Toleti in ipsa Hispania: siquidem Magia naturalis non minore jure inter Artes liberales censeri meretur, quàm Geometria. Deniq; ita circumvenit incautum: ut Parisiensi relicto itinere, Toletum cum comite suo concesserit. De nocte ex diversorio, in quo hospitabantur, deduxit veterator Ægidium in obscurum quoddam antrum, ubi complures nec minimæ notæ, magi & veneficæ convenerant. Exceptus est ab omnibus humanissimâ salutatione & gratu-

latione: mox tamen ubi à dæmone inductus est ad ejurandum Christum & fidem ejus, totis artubus cohorruit. Sed animatus à magis promittentibus præter mirabiles scientias perpetuam in hac & altera vita voluptatem, annuit, atque ejurationem sanguine suo consignavit. Egit deinde septennio toto navissimum in Schola Satanica discipulum, proficiens in dies ut in notitia herbarum, lapidum, mineralium, infirmitatum & remediorum earundem; ita in omni genere artium magicarum & necromanticarum, atq; omni impietate. Tum renunciatus Doctor & laureâ donatus, profectus est Parisios; ut in eo orbis compendio se suaq; scientiæ admiranda ostentaret. Exercuit ibi artem medicam & magicam cum omnium stupore & summo plausu, non sine miraculorum specie, cum veris autem & enormibus, occultis tamen, sceleribus: donec placuit Divinæ Bonitati, erroni huic suos detegere errores & periculum: prout dicetur infrà.

Per Defectum in comparandis scientijs peccatur: dum vel per ignaviam, vel per nimiam ad alia negotia effusionem, vel abrepti studio profanarum scientiarum, negligimus pleniorem DEI & rerum Salutarium notitiam, easq; scientias, quas Officij nostri ratio requirit. Unde evenit: ut multis conveniat, quod 1. Reg. 2. dictum est de filijs Heli; *quòd essent filij Belial, nescientes Dominum, neq; officium Sacerdotum ad populum.* Et illud Oseæ cap. 4. *Quia tu scientiam repulisti: repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Quodsi te nihilominus intruseris: portabis peccata tua & populi: nec evitabis maledictum 1. Cor. 14. *Si quis ignorat; ignorabitur.*

FERIA V. post Dominic. III post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Latitudine Scientiæ DEI, JESV & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera Latitudinem Scientiæ ejus: quomodo scilicet se extendat ad cognoscenda clarissimè & distinctissimè non solùm existentia actu, præterita & futura aliquando; sed etiam ad omnia possibilia, & sub quavis hypothesi, seu conditione, futura; quæ sunt omninò infinita, imò infinities infinita. *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus: omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Hebr. 4. O quales, & quanti sunt oculi DEI! Imò quantus Oculus est DEUS! Si malè egero: quò fugiam à facie ejus, & ubi abscondar à conspectu ejus? Si callidè circumventus fuero; si calumnijs oppressus; est, qui videt in abscondito, qui eripiat & vindicet. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos & malos.* Proverb 15. Dabo operam per gratiam tuam, Omniscie DEUS: ut cum gustu & delectatione cordis contempleris me, & opera mea.

2. ADora D. JESUM, & considera: quòd, quàmvis creata ejus Scientia se non extendat ad omnia omnino possibilia, quæ per Scientiam divinam cognoscuntur; extendit se tamen ad omnia, quæ unquam fuerunt, sunt, vel erunt per omnem æternitatem, adeoq; ad infinita. Omnia enim hæc, juxta S. Thom. & Comm. Theol. videt Anima Christi in VERBO clarè & distinctè. Cùm enim Christo tum propter dignitatem Personæ ejus, tum propter excellentiam meritorum, subordinata & subjecta sint omnia, quæ sunt, fuerunt, vel erunt: perfectam eorum cognitionem habeat, oportet, tum ut Supremus Princeps, tum ut Judex Universalis. O quanto perfunditur gaudio beatissima illa Anima, videns omnes actus laudis, amoris, aliarumq; virtutum, quas Justi eliciunt, & elicient erga ipsam per totam æternitatem! At quanto etiam cruciabatur dolore in mortali vita, videns omnia peccata commissa ab origine mundi, & committenda ad diem Judicij; insuper blasphemias jactandas in DEUM à damnatis per infinita sæcula! Pœnitet, ah pœnitet me, mi JESU, quòd tot tantaq; & ego ipse tibi præbuerim doloris argumenta. Parce: & corrige.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: Scientiæ ejus minorem quidem amplitudinem fuisse & esse, quàm Scientiæ Christi; longè tamen ampliorem esse, quàm quorumvis beatorum, hominum vel Angelorum, non solùm sigillatim, sed etiam collectim sumptorum. Videre enim illam plura in VERBO, quàm alij omnes Beati, probat tum dignitas Maternitatis ejus, tum eminentia meritorum, tum quòd constituta sit Domina & Regina totius Mundi. Unde S. Germanus Serm. de Assumpt. V. *Spiritus tuus*, inquit, *ô MARIA, vivit in æternum: Omnia observas, omnia intueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit.* O quanto Clientibus tuis est solatio, videri à te, & observari minima suspiria eorum ad te! Respice & in me, ô Domina; & radijs amplissimæ scientiæ tuæ discute tenebras meas.

Propositum, v. g. *de compescenda curiositate sciendi multa. Non quàm multa, sed quàm perfectè scias scienda, refert.*

LECTIO PRACTICA.

Non tam ampla, quàm ordinata Scientia quærenda.

UT in magnatum construendis palatijs non tam attenditur & procuratur; ut multa comportentur materialia, multa sit lapidum strues, columnarum magna varietas, conclavium multitudo: quàm ut omnia apto loco & ordine ponantur, atq; inhabitantium commoditati deserviant: ita in animo scientijs & artibus liberalibus instruendo, primam convenit esse cu-

ram; ut

rum; ut ordine debito comparentur, nec plures, quàm ratio statûs requirat & compatiatur; atq; ut omnes ad finem debitum dirigantur. Et hoc est, cujus nos admonet Apostolus Rom. 12. *Dico autem per gratiam, quæ data est mihi, omnibus, qui sunt inter vos: non plus sapere, quàm oportet: sed sapere ad sobrietatem.*

Quem locum, & intentum hujus Lectionis egregiè declarat S. Bernardus Serm. 36. in Cant. Quid est autem, inquit, sapere ad sobrietatem? Vigilantissimè observare; quid scire magis, priusq; oporteat. Tempus enim breve est. Est autem, quod in se est, omnis scientia bona, quæ tamen veritate subnixa sit: sed tu, qui cum timore & tremore tuam ipsius operari salutem pro temporis brevitate festinas, ea scire priùs ampliusq; curato, quæ senseris viciniora saluti. Nonne medici corporum, medicinæ portionem diffiniunt, eligere in sumendis cibis, quid priùs, quid posteriùs, & quemadmodum, quidve sumi oporteat? Nam etsi bonos constat esse cibos, quos DEUS creavit: tu tamen ipsos tibi, si in sumendo modum & ordinem non observes, reddis planè non bonos. Ergo quod dico de cibis, hoc sentite & de scientijs. -- *Ostendit deinde, quo ordine, studio & fine quæri debent.* Quo ordine? ut id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio? ut id ardentius, quod vehementius ad amorem? Quo fine? ut non ad inanem gloriam, aut curiositatem, aut aliquid simile, sed tantùm ad ædificationem tui vel proximi. Sunt namq;, qui scire volunt, eo fine tantùm, ut sciant: & turpis curiositas est. Et sunt, qui scire volunt, ut sciantur ipsi; & turpis vanitas est. Qui profectò non evadent subsannantem Satyricum, & ei, qui hujusmodi est, decantantem: Scire tuum nihil est, nisi, te scire hoc, sciat alter. Et sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant; & turpis quæstus est. Sed sunt quoq;, qui scire volunt, ut ædificent, & charitas est. Et item, qui scire volunt, ut ædificentur: & prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiæ: quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut benefaciant. *Deniq; intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Reliqui omnes audiant: *Scienti bonum, & non facienti, peccatum est ei.* Ac si per similitudinem dicat: Sumenti cibum & non digerenti, perniciosum est ei. Cibus siquidem indigestus, & qui bonam non habet decoctionem, malos generat humores, corrumpit corpus, & non nutrit. Ita & multa scientia ingesta stomacho animæ, quæ est Memoria, si decocta igne charitatis non fuerit, & sic per quosdam artus animæ, mores scilicet atq; actus, transfusa atq; digesta, quatenus ipsa de bonis, quæ noverit, vitâ attestante & moribus, bona efficiatur: non-

tur: nonne illa Scientia reputabitur in peccatum, tanquam cibus conversus in pravos noxiosq; humores? An non malus humor peccatum? An non mali humores pravi mores? An non inflationes & torsiones in conscientia sustinebit, qui hujusmodi est, sciens videlicet bonum & non faciens? Advertisne jam, quàm verum senserit Apostolus: quia scientia inflat? Volo proinde animam primò omnium scire se ipsam: quòd id postulet ratio & utilitatis & ordinis. Et ordinis quidem; quoniam quòd nos sumus, primum est nobis: utilitatis verò; quia talis scientia non inflat, sed humiliat; & est quædam præparatio ad ædificandum. Nisi enim super humilitatis stabile fundamentum, spirituale ædificium stare minimè potest. *Hæc Bernardus.*

Recolendum quoq;: quod dicit Ecclesiastes cap. 1. *Ecce magnus effectus sum, & præcessi omnes sapientiâ, qui fuerunt ante me in Jerusalem: & mens mea contemplata est multa sapienter, & didici. Dediq; cor meum, ut scirem prudentiam atq; doctrinam, erroresq; & stultitiam: & agnovi; quòd in his quoq; esset labor, & afflictio Spiritûs; eò quòd in multa sapientia multa sit indignatio: &, qui addit scientiam, addit & laborem*; & quidem laborem non minùs inutilem, quàm gravem, nisi ad DEI gloriam, & propriam proximiq; salutem dirigatur. Opportunè Kempensis lib. 1. de Imit. cap. 3. *Grandis insipientia: quòd neglectis utilibus & necessarijs, ultrò intendimus curiosis & damnosis*: quasi nesciremus, expedire; cum uno oculo, hoc est, paucissimis aut nullis scientijs intrare in vitam æternam, quàm duos oculos, sacrarum & profanarum scientiarum, habentem mitti in gehennam ignis. Deniq; ad ordinatam scientiam spectat illud monitum S. Augustini Serm. 23. de Verb. Dom. *Amate scientiam; sed anteponite charitatem.*

FERIA VI. post Domin. III. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Altitudine Scientiæ DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera Altitudinem Scientiæ ipsius 1. ex eo: quòd sine discursu, sine speciebus acceptis ab objectis, unico intuitu penetret & comprehendat omnia, entia & non entia, & quidquid aliquo modo cognoscibile est. 2. Quòd Scientia ejus sit Libera simul & Necessaria: Libera respectu objectorum contingentium, Necessaria respectu necessariorum. Hæc ita est in DEO, ut non potuerit non esse; & tamen utraq; est ipse DEUS, utraq; est unus actus, & ipsa Essentia divina. O ænigma sacrum incomprehensibile, uni DEO notum, nobis adorandum! 3. Quòd Scientia DEI omnia, creata & increata attingat & repræsentet comprehensivè, scrutando omnes latebras objectorum, exprimendo clarissimè & distin-

distinctissime omnes formalitates, habitudines & respectus eorum, possibiles & impossibiles, præsertim Essentiæ & Omnipotentiæ suæ simpliciter infinitæ. O altitudo divitiarum Sapientiæ & Scientiæ DEI! O abyssum insipientiæ & ruditatis nostræ! Et tamen inflamur.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm sublimis fuerit & ipsius non solùm divina, sed creata etiam Scientia. Nam præterquam, quòd Visionem beatificam etiam in mortali vita habuerit perfectissimam, instructa fuit à momento Conceptionis, & est, Anima illius aliâ supernaturali scientiâ infusâ, independente à phantasmatibus, quâ res creatas cognoscit intuitivè & comprehensivè cum omnibus earum perfectionibus & formalitatibus. In cujus scientiæ, sicut & visionis beatificæ, actuali usu, seu actu secundo, semper & sine interruptione fuit Christus, etiam in mortali corpore: siquidem non dependebat à phantasmatibus; sed Angelico cognoscendi modo similis erat, imò multò perfectior illo, quoad intensionem & extensionem. Gaudeo tam eminente Scientiâ tuâ, Sapientissime JESU; & miror, quòd eam tam scitè & sedulò absconderis, non jactando, non venditando, sed multa inquirendo, quasi nescîsses. Quam parum scio, & quàm multum vendito scientiæ meæ? Parce imprudentiæ & impudentiæ.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; instructam fuisse sublimi illo intelligendi modo, independente à sensibus & phantasmatibus, consequenter non obnoxio fatigationi, nec procedentem per varias operationes & discursum, sed simplici intuitu. Unde etiam in somno actus meritorios elicere poterat, & eliciebat; applicaturq; illi à SS. PP. illud Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Insuper revelationes habebat de altissimis mysterijs divinis, frequentiores & clariores, quàm ullus alius homo. Imò subinde donatam fuisse clarâ & intuitivâ visione Essentiæ & Personarum divinarum, sensus est magnorum Doctorum & PP. Nunc autem quàm sublimi gaudeat Visione beatificâ: quis capiat? Gratulor tibi, ô Beatissima, tantam scientiæ altitudinem: mihi, obsecro, impetra quàm humillimam.

Propositum, v.g. *de non jactanda scientia propria.*

LECTIO PRACTICA.

Scientia quò altior, eò humilior.

SCientia, ad cujus fastigium connituntur homines, non levem contraxit infamiam tum ex illo 1. Cor. 8. *Scientia inflat*; tum ex arrogantia plerorumq; ingeniorum, quæ sibi videntur, supra alios aliquantum profecisse. Scientia enim, præsertim quæ circa sublimius versatur objectum; & remo-

tiorem facit hominem à brutis, & propinquiorem primæ summæq; Menti DEO. Quodsi ad excellentem doctrinam famæ quoq; celebritas & plausus publicus, ut solet, accedat: tum profectò magna virtus, & rarissima gemma est Scientia humilis.

Cæterùm quisquis comparandis scientijs incumbit diligentiùs, vel jam non modicas earum opes comparavit: nisi pari diligentiâ studeat solidæ profundæq; humilitati: in tam graves facillimè impingit errores fastu animi, contemptu aliorum, intolerabili jactantiâ, justâ DEI depressione: ut inter eos, quorum Eccle: 1. dicitur *infinitus numerus*, primatum omnino mereantur. Ludovicus de Ponte tom. 4. de Christ. Perfect. tr. 6. c. 4. Scientiâ inflatos & tumentes rectè similes dicit ranis illis, quas vidit S. Joannes Apocal. 16. 13. procedentes de ore draconis. *Et vidi de ore draconis, & de ore bestiæ, & de ore pseudo-prophetæ, spiritus tres immundos in modum Ranarum.* Ita enim inflantur & distenduntur; ita intolerabili jactantiâ crepant eruditionem suam; ut toti videantur esse pulmo: dumq; volunt toti videri mens, passim contingit; ut potiùs inter spiritus immundos & ranas palustres censeri mereantur, DEO ad depressionem ipsorum permittente graves in vitia carnalia lapsus; prout exempla plurima docent.

At qui fastigium scientiæ atque eruditionis suæ super solidæ humilitatis fundamentum erexerunt; nec populari aurâ evanescunt, nec tentationum tempestati succumbunt, nec contemptu deprimuntur, nec se attollunt eò, unde lapsu graviore ruant, nec se aliquando puerorum sibilis propinant: sed sui, & thesauri sui securi, tanquam imbres mittunt eloquia sapientiæ suæ, & in oratione confitentur Domino, imò & coram hominibus in communi plausu: se nihil aut parum scire; doctrinam suam non esse suam, & infinitâ adhuc ignorantiâ se laborare.

Sic Noster Franciscus Suarez, ab ingenio, virtute, & 24 grandibus Tomis sublimioris solidissimæq; doctrinæ editis, notissimus; cùm quidam Conimbricensis Academiæ Doctor ex ipso quæsivisset: Uter DEO plus deberet? Philippusne Rex Hispan: cui sceptrum & tot regnorum diadema; an ipse, cui Sapientiæ claves DEUS concesserat? modestè sapienterq; respondit: *Illum maximè omnium Divinæ obstrictum esse liberalitati, qui ab ea pleniorem sui nihili notitiam acceperit.* Et sanè tam abjectam de se rebusq; suis opinionem hauserat, & datâ opportunitate prodebat: ut Conimbricensis Episcopus dictitaret: neminem se alium novisse; qui adeò communi æstimatione conspicuus, suo se judicio tantopere deprimeret. Non nemini amicorum candidè aperuit: tot inter honores & plausus, quibus affectus fuerat, nunquam

quam ad animum suum penetrâsse vel tenuissimam inanis gloriolæ dulcedinem. Suspiciebatur & consulebatur passim ut oraculum; adventanti Salmanticam, ad Theologicam ibi occupandam cathedram, Academia tota cum Professoribus & discipulis ordinata serie se usq; ad urbis portas obviam effuderat, honore nemini aliàs concesso: Philippus Rex, ut in Lusitania Conimbricensem Academiam illustraret, ornaretq;: Suario licèt multùm reluctanti primariam Theologiæ cathedram demandavit; summi Pontifices, præsertìm Gregorius XIII, qui primæ ejus Lectioni Romæ adesse voluit, & Paulus V. quantum Suario tribuerent; & humanissimis honorificentissimisq; literis, & sacræ purpuræ repetitâ oblatione sunt testati. At Suarius non tantùm se honoribus hujusmodi parem non agnovit: sed coætaneos sibi Doctores, Gabrielem Vasquium aliosq;, disertè sincereq; sibi præferre solebat: imò ajebat; rusticorum complures, si par vacandi literis otium, pariaq; subsidia habuissent, longè ampliores in literis progressus facturos fuisse. In quàm profunda humilitate altitudinem scientiæ suæ fundâsset, non obscurè prodidit tum alibi, tum Conimbricæ: quando vix occupatâ ibidem Cathedrâ, à Doctore quodam lacessitus & ad disputationem provocatus, ubi adversarium in eas compegisset angustias, ut nullis conatibus evadere, sed unico Dialecticæ ictu jugulari posset: Suarius tam leniter & dissimulanter rem egit; ut quibusdam visus sit nescire uti victoriâ. Quin ipsi Conimbricensis Collegij & suo Rectori, plus vigoris in coërcenda adversarij insolentia requirenti, præsertim in primo congressu, è quo specimen ingenij & doctrinæ sumi solet; responsum summo in Schola Christi Theologo dignum dedit: *Malo confundi, quàm confundere.* Maffejus cap. 11. Vitæ.

Opportunè monet S. Augustinus lib. 4. de Trinit. *Scientiam terrestrium cœlestiumq; rerum magni æstimare solet genus humanum. In quo profectò meliores sunt, qui huic scientiæ præponunt, nôsse semetipsos. Laudabilior est animus, cui nota est infirmitas sua, quàm qui, eâ non respectâ, vias siderum scrutatur.*

SABBATO post Dom III. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Profunditate Scientiæ DEI, JESV & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera Profunditatem Scientiæ & Sapientiæ ejus: quæ vel maximè patet, tum ex admirandis ejus judicijs, quibus supra omnem captum nostrum disponit de rebus creatis; *Judicia tua abyssus multa.* Psal. 37. tum ex intima perlustratione, & infallibili cognitione omnium cordis humani Secretorum, ad quæ nullius creatæ mentis aci-

tis acies naturalis pertingere potest. *Pravum est cor omnium, & inscrutabile: quis cognoscet illud? Ego Dominus scrutans cor, & probans renes: qui do unicuiq; juxta viam suam, & juxta fructum adinventionum suarum*; quantumvis ex se sint secretæ, ac insuper omni arte tegantur & occultentur. Jerem. 17. *Major est DEUS corde nostro, & novit omnia.* 1. Joan. 3. *Abyssum & cor hominis investigat, & in astutia eorum excogitavit*: quomodo scilicet astutum caperet in astutia sua. *Non præterit eum omnis cogitatus, & non abscondit se ab illo ullus sermo.* Eccli. 42. O DEUS omniscie, mirabilis facta est scientia tua ex me. Vide anima mea, quid cogites, dicas, aut moliaris, quantumvis tibi sine teste videaris. Inspector, arbiter, & Judex omnium, videt DEUS, cujus oculus nec clauditur, nec fallitur unquam.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsi quoq; plenè cognita fuisse, & esse, profunda & secreta cordis humani. Testimonium huic Scientiæ ejus perhibet dilectus ipsi discipulus Joan. 2. *Ipse autem JESUS non credebat semetipsum eis* (qui Jerosolymis crediderant in ipsum videntes signa ejus) *eò quòd ipse nosset omnes; & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine: ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Ipse quoq; Dominus Apoc. 2. pronunciat: *Et scient omnes Ecclesiæ: quia sum scrutans renes & corda; & dabo unicuiq; vestrûm secundùm opera sua.* Hanc Secretorum cordis scientiam exigunt in ipso dignitas Capitis in tota liberarum creaturarum rep. & Potestas judiciaria universalis suprema & perfectissima. Non enim judicat solùm secundùm allegata & probata, ut homines; sed simul ut testis de visu infallibilis & incorruptus. Notandum autem: quòd ad exprimendam magis profunditatem & perfectionem DEI & CHRISTI scientiæ, sæpiùs Scriptura S. distinctè dicat: eos scrutari *Renes* & *Corda*. Vide ergo quid in his secretis duabus officinis cudas. Scrutator adstat renum & cordium.

3. VEnerare DEIparam V. & considera Profunditatem Scientiæ ipsius tum ex penetratione perfectiore mysteriorum fidei super omnes Apostolos: tum ex communicata ipsi pleniore Essentiæ & Sapientiæ divinæ, atq; occultissimorum DEI judiciorum cognitione; Unde S. Augustinus lib. 4. de Symbolo ad Catechumenos cap. 1. *Jure*, inquit, *sole perhibentur amicta, quæ profundissimam divinæ Sapientiæ, ultra, quàm dici potest, penetravit abyssum: ut, quantum creaturæ conditio patitur, Luci illi inaccessibili videatur unita.* At nos nec superficiem rerum creatarum, ne dicam mysteriorum divinorum satis capimus. Et tamen profundi Philosophi aut Theologi audire amamus. Ostende mihi, ô Domina, inanitatem scientiæ meæ: & doce me, timere oculum scrutantem corda & renes.

Propo-

Propositum, v. gr. *de strictiore examine cogitationum nostrarum & intimorum affectuum.*

LECTIO PRACTICA.

Profunda non alieni, sed proprij cordis scrutanda.

TAm prompti prosilimus pleriq; ad judicandum, imò condemnandum proximum: acsi congenitam, vel infusam haberemus scientiam arcanorum cordis alieni. Sed eam scientiam ipsis Angelis, qui intima nostra permeant, negavit DEUS, sibiq; soli reservavit. Nobis autem eam judicandi, imò suspicandi, facultatem & potestatem non solùm non concessit: sed sub interminatione rigidissimi judicij sui prohibuit Matt. 7. *Nolite judicare, ut non judicemini. Jn quo enim judicio judicaveritis, judicabimini.* Et Isaiæ cap. 5. *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras.* Quod plerumq; faciunt hujusmodi alienorum cordium inspectores, & intentionum interpretes; dum optimè gesta pro vitijs habent, & sua vitia fuco virtutum induunt; dum ipsi ambulant in tenebris, & in alieno sole maculas arguunt.

Sunt aliqui, inquit S. Gregorius in Moral. (utinam pauci essent!) qui de omnibus malè judicant. Dicunt enim, si quis studet humilitati, hypocrita est; si refectioni, gulosus est; si patientiæ, timidus est; si justitiæ, impatiens est; si simplicitati, fatuus est; si prudentiæ, malitiosus est; si maturitati, phlegmaticus est; si jucunditati, dissolutus est; si religioni, singularis est; si societati, sæcularis est; si silentio & paci, dissimulator est; si aliorum correptioni, præsumptuosus est; si instat vigilijs & orationibus, indiscretus est; si dormitioni, somnolentus est; si prædicationi, & aliorum saluti, appetitor laudis est; si desistat, negligens est; si habet gratiam hominum, adulator est; si adulari renuit, superbus est. *Ita Gregorius.* En, ut vix aliquid, aut planè nihil, nobis agendum restat, quod non veniat sub censuram, & passim in partem deteriorem sumatur.

Advertendum autem perdiligenter: longè majorem externarum actionum humanarum partem ejus esse conditionis: ut & bene & malè fieri possint juxta intentionem, modum, & finem operantis bonum malumve; nec rarò eximiæ virtutes sint, quæ nobis non vulgaria vitia videntur. Unde, qui & naturâ, & habitu proni sumus ad taxanda gesta aut gerenda aliorum, facillimè graviter impingere possumus tum contra charitatem proximo debitam; tum contra judiciariam potestatem propriam Christi, & cui ipse delegaverit; tum contra dominium DEI, familiam ejus iniquè taxando & arguendo, contra expostulationem Apostoli Rom. 14. *Tu quis es, qui alienum judicas servum? Domino suo stat, aut cadit?*

Illustre in hac materia exemplum dedit Alexandria: ubi quidam è veteribus Patribus, nomine Vitalius, eremo egressus in senectute sua, hoc tenuit institutum. Conscripsit catalogum celebriorum in ea urbe meretricum: & alias post alias conveniendo, dabat illis, quidquid labore manuum acquirebat; ut per noctem eas ad suum haberet arbitrium. Sub noctem recipiebat se in angulum cellæ, in qua habitabat muliercula, totamq; transigebat orando pro ea, psallendo, & crebris genuflexionibus venerando DEUM usq; ad auroram: cum ipsis autem meretricibus pactum inierat: ut neminem alium ipso præsente admitterent, nec cuiquam institutum suum revelarent. Interea spargebatur per urbem fama pessima de Vitalio; calumniabantur alij, alij scandalizabantur, alij totum monachorum nomen pessimè traducebant; nonnulli ipsum Vitalium monebant, arguebantque mali exempli: quibus ipse non aliud reponebat; quàm *Unum esse Judicem, & unum Judicij diem, quo singulis reddetur secundùm opera eorum.* Tandem delatus est ad S. Joannem Eleemosynarium Patriarcham: sed is cautior, & artium atq; scientiæ Sanctorum peritior, condemnare aut in malam partem acta senis accipere non præsumebat, sed in melius interpretabatur, vel judicium suspendebat. Nam re verâ multas meretrices eo modo convertebat senex. Accidit verò, quòd, dum matutino tempore domo cujusdam meretricis egrederetur; vir quidam fornicarius eandem ingrediens, validam illi impegerit alapam dicens: Usquequò pessimè illusor Christi, non emendas te ab his nequitijs tuis? Cui humiliter Vitalius: Crede mihi; recipies à me suo tempore, ut tota Alexandria colligatur ad clamores tuos. Paulò pòst vir sanctus in cella sua mortuus est, nemine conscio: dæmon autem in specie nigerrimi Æthiopis, tam gravem infregit colaphum impuro illi detractori, ut in terram corruerit, ac fœdè spumere cœperit. Adjecit autem hæc verba: *Suscipe alapam, quam tibi misit Vitalius Abbas.* Fuit autem tam vehemens fragor alapæ, & ejulatus cæsi, quem simul spiritus malignus insedit, graviterq; torquebat: ut longè lateq; sparsus clamor totum orbem concitârit. Miser autem conviciator fassus injuriam Sancto illatam, pœnitens ad ejus cellam pro liberatione properabat cum infinita hominum multitudine. Ad contactum cellæ mox spiritus malus excessit: Vitalius autem flexis genibus, orantis specie, inventus est exanimis; in pavimento autem legebantur hæc verba digito inscripta: Viri Alexandrini, nolite ante tempus aliquid judicare, quoad usq; veniat Dominus. *In Vitis PP. c. 23. apud Rosweid. lib. 1.*

Ad nos igitur ipsos potiùs convertamur, & profunda cordis nostri lustremus

stremus curiosiùs. Multa ibi sunt, quæ nos latent; non pauca, quæ bona putamus, & pessima sunt. Meminerimus sententiæ Apostolicæ Rom. 2. In quo judicas alterum, teipsum condemnas.

DOMINICA IV. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De DEO ut Sapientia increata, CHRISTO ut Sapientia incarnata, DEIpara V. ut Cathedra viva utriusq; Sapientiæ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum non solùm esse Sapientem, quàm ipsam Sapientiam; eamq; increatam & infinitam. Sapientia propriè est Cognitio Veritatum per causas supremas, seu prima principia. DEUS autem novit omnia per Causam primam omnium, universalissimam, & supremam, id est, per ipsam essentiam suam, quæ est omnium possibilium & cognoscibilium primum principium. In illa enim tanquam in radice comprehenduntur omnia: ac proinde plena & comprehensiva cognitio Essentiæ divinæ, est simul vitalis expressio & distinctissima, perfectissimaq; repræsentatio omnium cognoscibilium. Quæ expressio & repræsentatio est ipsa Sapientia increata, infinita & divina, imò DEUS. Hæc Sapientia dirigit Omnipotentiam in productione rerum tanquam *Idea* seu Exemplar rerum quarumvis producibilium. De hac Sapientia dicitur Prov. 8. quòd ab æterno ordinata sit, Dominus eam possederit in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret; quòd fuerit *cum eo cuncta componens* &c. Hæc ibidem clamat ad nos: *Nunc ergo filij audite me: Beati, qui custodiunt vias meas!* Audio: Custodiam per gratiam tuam, ô Sapientia, DEUS! Parce: quòd mundo & carni aliquando aures dederim.

2. ADora D. JESUM, & considera ipsum, ut Sapientiam Incarnatam. Cùm enim homines obbrutescerent, jumentis similes facti, adeoq; maligni Spiritus illis ut jumentis suis insultarent, & abuterentur: ut eos Sapientia divina ad primævam formam & saniorem mentem reduceret, atq; ad dignitatem amicorum & filiorum DEI elevaret per proximam consanguinitatem; carnem assumpsit ipsa, & increatum infinitumque Patris æterni *VERBUM factum est Caro.* Inauditum prodigium, VERBUM caro! Sapientia divina Homo! Ut sapiat homo, quæ DEI sunt, & non, quæ super terram, Sapientia DEI facta est homo. In hujus igitur Hominis divini oracula, mandata & consilia intentissimi simus, oportet. *Verba vitæ æternæ habet.* Joan. 6. Sileant ergo jam mihi mundus & sirenes ejus. Loquere tu mihi, ô Sapientia incarnata: quia audit servus tuus.

3. Vene-

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut vivam & eminentissimam Cathedram Increatæ & Incarnatæ Sapientiæ. Olim Moysen & populum suum instructurus Legislator DEUS, pro cathedra sua elegit fumantem Sinai montem, & inter tonitrua, fulgura, ignem atq; horrificum buccinæ clangorem, docebat Moysen verba Legis, seu Legem timoris. At ubi in hanc Marianam Cathedram ebore Virginitatis candicantem, & auro charitatis fulgentissimam, descendit Sapientia increata; mox assumptâ carne apparuit humanior, & captui nostro accommodatior: nec aliam nobis, quàm amoris legem proposuit. O quàm decora facies ejus, quàm dulcis vox, docentis in utero, in sinu, in ulnis Virginis Matris! Da Domina; ut capiam, & faciam vocem ejus.

Propositum, v. g. *de fugienda carnali sapientia mundi.*

LECTIO PRACTICA.

Quomodo Sapientia Divina comparari possit.

DUplex venditatur Sapientia; scilicet Divina, seu Cœlestis, & Mundana, seu Terrestris. *Divina* est, tum illa, quâ DEUS cognoscit & disponit omnia, infallibiliter & modo perfectissimo, atq; ad finem altissimum: tum ea, quam docuit CHRISTUS, Prophetæ, Apostoli, alijq; DEI homines divinitùs inspirati. *Mundana* est, quam docent Amor proprius, & princeps hujus mundi, pater mendacij; venditantq; filij hujus sæculi, pseudo-politici, alijq; secundùm desideria cordis sui viventes. Prima vera est Sapientia: quia Authores habet infallibiles sapientissimos & sanctissimos; Altera nihil præter nomen habet Sapientiæ, & priori comparata, mera est stultitia. Nam authores habet alterum fallacissimum, & malitiosissimum, alterum cœcum, & carni mancipatum. Unde Jac. 3. vocatur *terrena, animalis & diabolica.* In priore veritas & vita est, vitaq; æternùm beata: in posteriore dolus, mors & tormenta æterna. Vera igitur Sapientia, quæ nobis cœlitùs commendatur, & omnino comparanda est, nihil aliud est; quàm *Ratio agendi secundùm regulas, seu dictamina, Primæ Summæq; Veritatis & honestatis.* Hanc qui assecutus est, & secundùm eam operatur; verè sapiens est, & sapienter agit; sive multis paucisve literis sit tinctus, sive nullis. Beatus est; sive dives sit, sive pauper; princeps aut colonus. Quis enim modus agendi cogitari potest rectior, magisq; decens hominem; quàm qui proximè imitatur & sequitur modum agendi divinum; qui nititur principijs seu regulis, nulli obnoxijs falsitati & fraudi; qui pacem parit in conscientia, decorem in actione, honorem inter prudentes, gloriam apud DEUM & homines?

De hac

De hac Sapientia procedunt, quæcunq; in Libris Sacris, præsertim Sapientiæ, Proverbiorum, Ecclesiastæ & Ecclesiastici, atque alibi, traduntur non minùs verè, quàm magnificè de Sapientia & fructibus ejus. Ut Proverb. 8. *Melior est Sapientia cunctis pretiosissimis, & omne desiderabile ei non potest comparari.* Et Sapient. 9. *Per Sapientiam sanati sunt, quicunq; placuerunt sibi, Domine, ab initio.* Et cap. 7. *Lætatus sum in omnibus, quoniam antecedebat me ista Sapientia -- Optavi, & datus est mihi sensus; & invocavi: & venit in me Spiritus Sapientiæ: & præposui illam regnis & sedibus, & divitias nihil esse duxi in comparatione illius. Nec comparavi illi lapidem pretiosum: quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua; & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius. Super salutem & speciem dilexi illam, & præposui pro luce habere illam, quoniam inextinguibile lumen illius.* Et c. 8. *Intrans in domum meam conquiescam cum illa: non enim habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.* De instructo hâc Sapientiâ dicitur Eccl. 37. *Vir sapiens implebitur benedictionibus, & videntes illum, laudabunt. Sapiens in populo hæreditabit honorem; & nomen illius erit vivens in æternum.*

Hæc & similia non convenire alteri sapientiæ, quàm quæ desursum est, à Patre luminum, & à Filio ejus Christo Jesu, qui est vera Lux mundi: manifestum est. Mundana enim Sapientia cùm nitatur principijs fallacibus, mutabilibus, & incertis, solumq; respiciat bonum temporale & privatum; cujus intuitu sæpe miscet sacra profanis, architectatur dolos & insidias, evertit familias & regna; pro honesto habet, quidquid jucundum & honorificum: utiq; ei non conveniunt elogia illa sublimissima? Quin potiùs trabalibus stultitiæ & insaniæ characteribus in fronte notari meretur. Nec eximi à probro sapientiæ mundanæ meretur sapientia politica pseudo-politicorum. Quàmvis enim jactitet; se bonum commune spectare: re verâ tamen spectat privatum & temporale, atq; ad illud omnes suas dirigit intentiones & machinas, etiamsi funditùs evertenda sit pax, fides & religio. Quanquam (quâ est versutiâ) communiter prætendit: omnia agi intuitu & bono pacis ac religionis. Vera Sapientia politica ut agnoscit omne bonum, publicum & privatum, fundari in DEO & Providentia ipsius: ita summa curarum ei est, omnia dirigere ad nutum ejus & gloriam, tanquam Principis supremi & universalis, reip. rationalis.

Huic ergo Sapientiæ, quæ est *Ratio agendi secundùm regulas Primæ summæq; Veritatis & honestatis*; & non secundùm dictamina privati alicujus sensualis, aut pseudo-politici, spiritûs, toto animi studio est incumbendum, si verè sapi-

rè sapientes esse desideramus, prout debemus. Dum aliquid agendum, præsertim majoris momenti; non sunt consulendi sensus nostri, aut amici commoditatum & honoris nostri studiosi: sed, quid DEUS, qui falli non potest, sentiat de hac actione & opere? Hoc solidè sapientis est.

FERIA II. post Domin. IV. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De admirandis Judicijs Sapientiæ DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera, non curiosus scrutator, sed humilis venerator, admiranda ejus judicia, quibus creaturas liberas, Angelos & homines, summâ, sed arcanâ sapientiâ, disponit omnia, & maxima & minima quæq;. Disponit autem tam arcanis rationibus, tam aptis & miris medijs, tam connexâ serie causarum disparatarum, tam inexpectato stupendorum eventuum ordine: ut creatis ingenijs videatur; nihil tale evenire debuisse, aut potuisse. Quàm scitè ex malis eruit bona, ex pessimis optima, ex lapsu proto-parentum Incarnationem VERBI, ex venditione Josephi exaltationem ejusdem, & totius Ægypti ac Domûs Jacob salutem? Quàm fortiter indurat, quàm suaviter dissolvit & liquefacit impiorum corda; atq; ad omnem nutum suum circumagit facillimè liberas mentes? Quàm mirabilibus vijs me ipsum circumduxit, ponens mihi prava in directa, & aspera in vias planas? Profectò *magnus consiliô Dominus, & incomprehensibilis cogitatu!* Jerem. 32. Adoro, ô Sapientia increata & infinita, admiranda judicia tua: atq; illis me totum plenè submitto. Rege, dirige, ut placet.

2. ADora D. JESUM, & considera ipsius quoq; Sapientiam altissimam, & miranda judicia. Non Nativitati, sed Passioni suæ elegit Hierosolymam. Non venit vocare justos, sed peccatores. Cum simplicibus sermocinatio ejus, coram Regibus & Præsidibus altum silentium. Herodis insidias quàm scitè elusit Sapiens Infans? Quàm moderatè sapientiæ suæ radios sparsit duodennis, non docendo, sed interrogando? Quàm alto consilio inter 12. Apostolos elegit unum, proditorem suum; Quàm rarâ prudentiâ vivificare nos voluit morte suâ, sanare vulneribus suis, elevare humilitate suâ, ditare paupertate suâ, glorificare extremâ ignominiâ suâ? Crucem, scandalum Judæis, gentibus stultitiam, elegit in trophæum suum, & sceptrum regni: ut non fugeremus tanquam vile & noxium, quod elegit Homo-Deus. Suspicio, Sapientissime JESU, altissima judicia tua, quibus confutâsti vanam falsamq; mundi & carnis sapientiam; secundùm cujus principia hactenus magna ex parte vitam institui imprudens & delusus.

delusus. Tua deinceps fideliùs sequar oracula, imitabor exempla: tu mea eris sapientia.

3. VEnerare DEIparam V. & considera consummatam ipsius sapientiam & altissima judicia. Quòd contra communem gentis suæ sensum & morem, elegerit, potiùs perpetuam Virginitatem, quàm fieri mater numerosæ prolis; quòd Virginitatis gemmam velamine conjugij occultârit; quòd, quantumvis exempta, legis onera subierit in Circumcisione Filij, & Purificatione sua &c. Et quid ageret non sapientissimè, quam increata Sapientia elegit in vivam Cathedram suam, & æternis principijs, non triennio ut Apostolos, sed triginta tribus annis instruxit plenissimè. Instrue & me ijsdem pleniùs, ô Virgo Sapientissima, ne fraudibus diaboli, blandimentis carnis, & fucis mundi involvar incautus.

Propositum, v. g. *de observandis reverentiùs judicijs divinis circa res humanas.*

LECTIO PRACTICA.

De Dictaminibus Sapientiæ Christianæ & Mundanæ.

ACcuratum hujusmodi dictaminum, seu maximarum, texit elenchum Magnus Pontifex & Doctor S. Gregorius lib. 10. Moral. cap. 16. Hujus mundi sapientia est, *inquit*, cor machinationibus tegere, sensum verbis velare; quæ falsa sunt, vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare. Hæc nimirum prudentia usuà juvenibus scitur, hæc à pueris pretio discitur: hanc qui sciunt, cæteros despiciendo superbiunt: hanc qui nesciunt, subjecti & timidi in alijs mirantur. Quia ab eis hæc eadem duplicitatis iniquitas, nomine palliata diligitur, dùm mentis perversitas urbanitas vocatur. Hæc sibi obsequentibus præcipit honorum culmina quærere, adeptâ temporalis gloriæ vanitate gaudere, irrogata ab alijs mala multipliciùs reddere: cùm vires suppetunt, nullis resistentibus cedere; cùm virtutis possibilitas deest, quidquid explere per malitiam non valent, hoc in pacifica bonitate simulare. At contrà Sapientia justorum est, nihil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire, vera ut sunt diligere, falsa devitare, bona gratìs exhibere, mala libentiùs tolerare, quàm facere: nullam injuriæ ultionem quærere, pro veritate contumeliam lucrum putare. Sed hæc justorum simplicitas deridetur: quia ab hujus mundi sapientibus puritatis virtus fatuitas creditur. Omne enim, quod innocenter agitur, ab eis procul dubio stultum putatur: & quidquid in opere veritas approbat, carnali sapientiæ fatuum sonat. Quid namq; stultius videtur mundo, quàm mentem verbis ostendere, nil callidâ machinatione simulare, pro maledicentibus orare, paupertatem quærere, possessa relinquere, rapienti non resistere, percutienti alteram maxillam præbere? *Hæc Gregorius.*

Personis Ecclesiasticis dictat Sapientia Mundana: Vos estis lux mundi; non ergo latendum sub modio, sed aspirandum ad candelabrum: idque in monte positum, & auro dives. Sursum corda! Non estis religiosi, humilitatem & paupertatem professi; non eremicolæ orationibus, vigilijs, jejunijs immorientes; Serviendum DEO; verùm & mundo accommodari decet, cùm extra mundum non sitis. &c. &c. At Sapientia Christiana dicit: Qui inter vos est major, fiat sicut minor. Nolite conformari huic sæculo. Non est servus melior Domino suo. Videant opera vestra bona, & glorificent Patrem vestrum &c.

Religiosis dictat sapientia mundana, 1. (ut notavit P. Daniel Pawlowski in Exercitijs suis, die 1.) Jam non es Novitius; pridem prætextam exuisti; habes Deuteronomium tuum, quid cum tot legibus & regulis? Non indiges jam pædagogo. At Sapientia Religiosa dicit: Geras te semper ut primæ diei novitium; dic quotidie; *Nunc cœpi*; Veteranum age maturitate virtutis; serva regulas, ut servent te; venerare majores, ædifica minores &c. 2. Licet alijs; cur non tibi? Etiam alij sub eadem regula viventes habent intellectum, sunt Religiosi, excellunt doctrinâ, & tamen aliter sentiunt, aliter procedunt? Quid cum singularitatibus istis? Vivendum vitâ communi. At Sapientia Christi dicit: Quid ad te? tu me sequere. Attende tibi & regulæ. Liceant sanè tibi omnia: sed numquid expediunt? Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno cœlorum. Christum aspice, non imperfectorum mores. 3. Regulæ non obligant sub peccato. Res est consilij, non præcepti. Numquid omnes esse possunt Sancti? At Sapientia religiosa dicit: Qui spernit modica, paulatim decidet. Qui fidelis non est in minimo, nec in magno erit. Numquid Christus non meretur, ut sequaris consilia ejus? Et potes, & debes curare, ut sis Sanctus; ni velis esse improbus. 4. Concedendum aliquid tempori: remittendum aliquid de rigore; festinandum lentè; servandæ vires & valetudo ad majora; arcus semper intentus facilè rumpitur. At Sapientia Religiosa dicit: Quidquid potest manus tua, instanter operare. Tempus breve est: non prodigendum. Modicum tribulationis æternum gloriæ pondus operatur. Sic curre, ut comprehendas. Perdit, quod vivit, qui DEO non vivit. Qui tepidus est, paulò pòst frigidus erit. 5. Moderata durant. Jus naturæ non tollit Religio. Futuris est prospiciendum. Cave, ne pro exotico habearis. Non promoveberis sic procedendo. Habenda est ratio famæ &c. At Sapientia Divina dicit: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Religio est perpetua naturæ violentia, in-

tia, incruentum martyrium. Servus inutilis es. Tu & asinus pares estis: solæ paleæ vobis debentur & verbera. Est DEO cura de vobis. &c. &c.

Quænam ex his & similibus dictaminibus sint sequenda, deliberet: qui non legit illud Rom. 8. *Prudentia carnis mors est: prudentia autem Spiritûs vita & pax: quoniam sapientia carnis inimica est Deo.* Et Sap. 9. *Etsi quis erit consummatus inter filios hominum: si ab illo abfuerit Sapientia tua, Domine, in nihilum computabitur.*

FERIA III. post Dominic. IV. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Sapientia Dei in mundi creatione: Christi & Deiparæ V. in ejusdem reparatione.*

1. ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus Sapientiam in mundi creatione elucentem. Quàm scitè omnia invenit, digessit, produxit, ornavit, & felicissimè consummavit? Quàm bellè congruunt ima summis: quàm providè foventur terrestria à cœlestibus? Quàm accuratè librata pendet immobilis terra; quàm irrequieto motu volvuntur cœli; quàm ordinato varioq; cursu feruntur sidera, labuntur tempora, agitantur maria, eunt redeuntq; Anni tempestates? Quàm concinnè pugnantia inter se combinavit Elementa artifex Sapientia; ut in infinitam mixtorum varietatem conspirarent? *Magnus* profectò *Dominus noster, & magna virtus ejus, & Sapientiæ ejus non est numerus.* Psal. 146. *Quàm magnificata sunt opera tua, Domine! Omnia in Sapientia fecisti.* Psal. 103. Intoleranda, insana temeritas: velle aliquid aliter factum, quàm fecit DEUS!

2. ADora D. JESUM, & considera: quantâ Sapientiâ corruptum restauraverit mundum. Equidem in materiali magno hoc mundo nulla, quæ restauraretur, facta est corruptio: at in incolis ejus, cœlestibus & terrestribus, ingentes contigerant ruinæ, nullâ, nisi divinâ reparabiles arte & sapientiâ. Ut cœlestes ergo repararet ruinas Christus, homines vocavit in sortem filiorum Dei. Quia verò illos ipsos deprehendit mente & corde fœdissimè depravatos, & Orco quàm cœlo digniores; mirâ dexteritate eorum reformationem aggressus, imbuit ipsos adversantibus mundo & carni principijs: ut non tantùm corporis voluptates, honorum vanitatem, divitiarum fugerent cupiditatem; sed paupertatem quærerent, contemni amarent, corpus macerarent; mente sinceri, linguâ simplices, corde puri DEUM colerent; mala libentiùs tolerarent, quàm facerent, nullam injuriæ ultionem quærerent, pro maledicentibus orarent, contractas humanâ fragilitate noxas quantocyus expiarent, in unius Numinis super omnia

amorem inardescerent. Hâc & simili doctrinâ id effecit divinus Magister: ut homines vitam agant non solùm homine dignam, sed Angelis similem; & mundus terrestris præferat faciem cœlestis. Gratias tibi infinitas, ô Sapientia incarnata, pro hac mundi reparatione. Conserva gratiosissimè, quod operatus es sapientissimè.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam singulari Sapientiâ incubuisse in restaurationem lapsi & depravati mundi. Creator DEUS, qui omnia condidit suo *Fiat*; non voluit esse Restaurator, nisi accedente Virginis hujus *Fiat*. Ipsa autem, quàm non præcipiti, sed maturo usa est consilio: quàm diligenter legationem Angeli ponderavit; *Quomodo fiet istud?* Quàm reverenter protulit Suum *Fiat!* Concurristi sapientissimè, ô Virgo prudentissima, ad reparationem corrupti mundi. Consumma magnum opus tuum etiam in me. Tibi me totum permitto.

Propositum, v. g. *de animo ad Deum elevando ex conspectu rerum creatarum.*

LECTIO PRACTICA.

Quantâ opus sit Sapientiâ in usu creaturarum.

LAsciva juventus, dum Sap. 2. se hortatur ad omnem insolentiam & voluptatem, ait: *Venite ergo, & fruamur bonis, quæ sunt; & utamur creaturâ tanquam in juventute celeriter?* Non dixerunt: Utamur creaturâ sapienter seu prudenter; sed *celeriter*. Unde postea ingemiscendum fuit: *Ergo erravimus à via veritatis, & justitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis.* Sap. 5. Falluntur non rarò, & gravissimè errant, etiam magna ingenia in delectu & usu creaturarum, adeoq; creatas in bonum suum, convertunt in perniciem suam.

Ipse Salomon, qui secretissima totius naturæ acutissimè penetravit, & super lignis à cedro, quæ est in Libano, usq; ad hysopum, quæ egreditur de pariete, sapientissimè disputavit; & subtilissimè disseruit de jumentis & volucribus & reptilibus, & piscibus: 3. Reg. 4. quàm graviter impegit in usu creaturarum? Magnificavi, inquit Eccle. 2. opera mea, ædificavi mihi domos, & plantavi vineas, feci hortos & pomaria, & consevi ea cuncti generis arboribus: & extruxi mihi piscinas aquarum, ut irrigarem sylvam lignorum germinantium: possedi servos & ancillas, multamq; familiam habui, armenta quoq; & magnos ovium greges ultra omnes, qui fuerunt ante me in Jerusalem. Coacervavi mihi argentum & aurum, & substantiam regum & provinciarum: feci mihi cantores & cantatrices & delicias filiorum hominum - & omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectaret se

in his:

in his, quæ præparaveram: & hanc ratus sum partem meam, si uterer labore meo. *Cùmq; me convertissem ad universa opera, quæ fecerant manus meæ, & ad labores, in quibus frustrà sudaveram; vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi.* Nimirum qui sapientiâ cœlitùs sibi datâ tantùm utebatur ad res curiosè cognoscendas, coacervandas, construendas, & in voluptatem sensuum suorum convertendas: mirum non est, quòd tandem ex ipsis nihil reportaverit, nisi vanitatem & animi afflictionem, tum ob divitias illas malè dissipatas, & delicias immodicè usurpatas, tum ob graves DEI offensas cumulatas.

Res creatæ, quàmvis in se sint valde bonæ; usus tamen illarum vitio nostro potest esse pessimus, & nobis perniciosissimus. Bonum erat pomum paradisiacum, sed quid malorum non invexit, DEO vetante sumptum? Bonum est vinum; sed immoderatè sumptum quàm fœda operatum est etiam in Sanctis Nòé & Lot? Sic & Honor alteri prodest, pluribus obest: profuit Reginæ Esther, obfuit Vasthi, Sauli, & innumeris. Potentia magna profuit Mardochæo, obfuit Amano; opum affluentia profuit Jobo, obfuit epuloni Evangelico; sapientia politica profuit Chusai, obfuit Achitophel: & sic de cæteris. Unde Ecclesiasticus c. 39. *Bona*, inquit, *bonis creata sunt ab initio: sic nequissimis bona & mala. Initium necessariæ rei vitæ hominum, aqua, ignis, & ferrum, sal, lac, & panis similagineus, & mel, & botrus uvæ, & oleum & vestimentum. Hæc omnia Sanctis in bona, sic impijs & peccatoribus in mala convertentur.* Et Salomon 14. *Creaturæ Dei in odium factæ sunt, & in tentationem animabus hominum, & in muscipulam pedibus insipientium.* Id est: Bona creata tam facilem hominibus incautis & imprudentibus præbent occasionem peccandi, ita illiciunt & illaqueant corda: ut jam odio, non amore dignæ videantur, quàmvis Divina Bonitas ea creaverit in bonum nostrum & gloriam suam. Unde enim, & quid sunt peccata, nisi Aversio à DEO & conversio inordinata ad bona creata?

Sicut igitur, qui mensæ assideret, partim salubribus partim noxijs cibis instructæ, non temere in hos illosve involaret, quantumvis famelicus: sed omni studio rescire procuraret, quinam sint salubres; & si rescire non posset, valde moderatè sumeret aliquem; sic in usu quarumvis creaturarum circumspectos nos esse oportet: ne quid noxæ nobis adferant, si vel immodicè, vel inordinatè, vel non suo tempore, aut non ad finem debitum ipsis utamur. Elevanda sæpiùs mens supplex ad DEUM: ut cœlesti affuso lumine, quid nobis sit utile noxiumve, advertamus. S. Francisci Borgiæ, ferventer orantis pro sanitate conjugis suæ Eleonoræ, arbitrio concessit

DEUS, & vitam & mortem conjugis, daturus; quidquid vellet Franciscus; adverteret tamen: minùs sibi profuturam diuturniorem illius vitam. Et certè si Eleonora Francisco superstes fuisset; nec Franciscus ad eum gradum perfectionis pervenisset; nec Societas nostra tantum ornamenti & præsidij, nec Ecclesia tantum Ministrum, nec mundus tam præstans omnis sanctitatis exemplar, pro omnis statûs hominibus, habuisset. Sapientiâ igitur non vulgari opus est pro delectu & usu rerum creatarum, atque occurrentium eventuum.

FERIA IV. post Dom. IV. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Sapientia Dei, Jesu & Mariæ in mundi gubernatione.*

1. ADora DEUM O. M. & considera summam ejus Sapientiam in gubernando mundo. Condidit illum, ut unam ingentem, pulcherrimam, & rebus omnibus, necessarijs, utilibus, jucundis, instructissimam Domum; cujus ipsemet est Paterfam: & Princeps Supremus; omniaq; & singula contenta in ipsa novit perfectiùs, quàm Codrus quispiam 4 angulos triulnaris casæ suæ. Omnia & singula disposuit in illa *in mensura, & numero, & pondere.* Sap. 11. Regit omnia & singula per se & ministros suos: quibus præsens adest semper, bene cœpta promovens, defectus eorum supplens, errata corrigens. Ejus nutu geruntur omnia, & ad præstitutos fines feruntur infallibiliter. Intendit bona, permittit mala. Fovet bonos, tolerat malos: reddens & redditurus cuiq; secundùm opera sua. Ipse arbitrio suo dispensat opes & honores, sceptra & ligones: & quis sanus expostulaverit; cur mihi hoc, aut tam parum dedisti? O magne & sapientissime totius Universi Moderator: in manu tua cuncta sunt posita: tu nosti, quid expediat nobis. Da, quod placet. Placeat autem, quod ad maximam gloriam tuam & salutem meam conducit.

2. ADora D. JESUM, & considera: ad ipsum quoq;, non solùm ut DEUM, sed etiam ut Hominem, pertinere totius mundi, terrestris & cœlestis, gubernationem. *Omnia* enim Pater *subjecit sub pedibus ejus.* Ephes. 1. *Ipsi data est omnis potestas in cœlo, & in terra.* Matt. 28. Utitur autem hâc potestate benignissimè, & sapientissimè, attingens à fine ad finem fortiter, & disponens omnia suaviter. Subjicit enim sibi reges & populos, sapientes & barbaros, non armorum potentiâ, & exercituum multitudine; sed gratiarum & beneficiorum copiâ & magnitudine; trahens omnes ad se in funiculis Adam, in vinculis charitatis. Imponit jugum, sed suave; injicit onus, sed leve, & infinito præmio remunerandum. Dominari gaudet in libe-

in liberas mentes, sed non invitas. Etiam reluctantes habet in plena potestate sua, facileque circumducit ad omnem nutum suum, non imperiorum violentiâ, sed Sapientiæ industriâ. Est enim in illa, ut describitur Sap. 7. *Spiritus intelligentiæ, sanctus, subtilis, disertus, suavis, amans bonum, acutus, humanus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens.* Talis est gubernatrix Sapientia Domini mei JESU. At ego virorum stultissimus, nesciens introitum & exitum meum; & adhuc mihi videor idoneus gubernandis alijs. O Domine, quantumvis indigno da sedium tuarum assistricem Sapientiam: ut mecum sit, & mecum laboret pro gloria tua & salute mea.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsam venire in partem gubernationis mundi tanquam ejus Dominam, & Reginam regnantem. Fungitur autem tali munere eâ Sapientiâ: ut & divinæ voluntati vel in minimo non contraveniat; & Clientum suorum, imò omnium, commodis efficaciter provideat. Docta, offensum iratumq; Filium faciliùs placare, quàm Abigail Davidem, & gratiam impetrare efficaciùs, quàm Bethsabee apud Salomonem: Tuæ proinde sapientissimæ gubernationi me totum committo, ô Domina. Impera, rege & guberna: paret servulus tuus.

Propositum, v. g. *de submittendo in omnibus sensu proprio Sapientiæ divinæ.*

LECTIO PRACTICA.

De quibusdam actibus stultitiæ humanæ.

QUanta sit Sapientia Divina mundi gubernatrix, vel inde æstimare licet; quòd præter sapientes & prudentes, infinitum stultorum numerum gubernet felicissimè. Infinitos planè esse illos, testatus est mortalium Sapientissimus tum Eccle. 1. tum Proverb. ult. ubi de se dicit: *Stultissimus sum virorum; & sapientia hominum non est mecum.* Si Salomon virorum stultissimus: nos quam nobis sapientiæ aut prudentiæ prærogativam arrogabimus? quomodo in eundem censum non veniemus? Colligi insuper potest ex eo: quod viatori cuidam contigit apud Lohner. in Biblioth. v. *Bacchanalia* §. 10.

1. Obvium habuit is nuntium vehementer festinantem: sed cùm rogatus fuisset, quò tenderet? respondit: Se non quæsivisse, quò ire debeat: rediturum itaq;, & quæsiturum. Tales sunt, qui magnum ætatis spatium conficiunt, nec tamen unquam cogitant: cur in hunc mundum venerint? & quò vadant? ad inferos, vel superos?

2. Obvium habuit adolescentem generoso & petulanti equo vectum; sarcinam autem gravem proprijs humeris portantem: qui quæsitus, cur non equi tergo sarcinam imposuisset? respondit: timere se, ne equus nimiùm

gravetur. Sic pleriq; , dum corpus labore & castigatione gravare nolunt, animæ infinita onera peccatorum imponunt, non considerantes: ijsdem & animam & corpus usq; ad Tartara deprimendum.

3. Obvios habuit juvenes per avia & devia in curru vectos, & cum curru perpetuò eversos: quos cùm accedens advertisset, cœcum aurigam habere, & causam hujus cœci electi quæsivisset? responderunt: Se ideò eum elegisse, ut liberiùs per avia & devia vehi possent (quod ipsos summè delectaret) & quantumvis ex frequenti casu gravia vulnera acciperent, habere se tamen bonos chirurgos, qui curarent. Sic plurimi passionibus suis se tradunt studio gaudendi libertate sua, & spe pœnitentiæ agendæ.

4. Obvium habuit gigantem tenui filo à formosa & tenella muliercula ad carnificem tractum: qui quæsitus, cur non abrumperet filum, & se periculo expediret? respondit: Non possum. Non enim possum affligere dilectam, & separari ab illa. Sic innumeri consuetudinem peccandi, præsertim carnaliter, abrumpere nolunt.

5. Urbem ingrediens vidit muros destructos, rogansq; causam neglectæ reparationis, responsum accepit: Unum è Senatoribus, eumq; juniorem & rudem, sententiam habere definitivam, & non consentire in reparationem. Is amor est proprius, de dissipatis legibus divinis nihil solicitus, ut liberiùs extravagari possit; quàmvis paulò pòst hostibus cessurus in prædam.

6. Interiora urbis ingressus vidit duos cum oblonga trabe domum ingredi volentes; sed quia nullus alteri præcessionis honorem concedere volebat, ab eadem exclusos. Sic multi ex ambitione primatum ubiq; affectantes, malunt cœlo excludi, quàm alteri cedere.

7. Hospitium ingressus vidit ancillas & famulos splendidissimè vestitos & pastos: hospitem ipsum cum uxore laceros, & panem mucidum rodentes. Sic plurimi sensus lautè pascunt, & omnia ipsis indulgent, nullâ animæ habitâ curâ.

8. Cum patrefamilias cellam ingressus, vidit Cellarium in terra jacentem ebrium, & aspicientem, quomodo vinum nobilissimum extracto epistomio in terram effluat; ridentem verò eos, qui vas claudendum hortabantur. Sic innumeri pretiosissimum tempus elabi sinunt sine fructu, non reputantes: paulò pòst nec guttam illius omnibus mundi thesauris redimendam fore.

9. Vidit lanionem cultro digitum sibi abscindentem. Causam rogat is respondit: Se panem scindendo, modicè sibi digitum nuper læsisse: cæ... rum quia conveniens non videbatur, cum tantillo vulnere ire ad chiru... gum

gum; nunc solidæ curationi se causam dare. Sic multi cum minoribus peccatis negligunt adire confessarium, sed expectant gravius; ut omnia simul dimittantur.

10. Vidit turbam cum magno furore tela in aëra jacientem rectâ, ita; ut in caput ipsorum relaberentur. Causam rogati, responderunt: Se solem impetere, qui segetes nimio calore exussisset. Sic non pauci ob aliquas calamitates invehuntur in DEUM, non advertentes: maledicta in caput suum reditura & æquissimum esse; ut qui innumera & maxima beneficia continuò percipimus à DEO, etiam incommodum aliquod animo patiente ab ipso suscipiamus.

Nonne hæc egregia sunt mundanæ sapientiæ argumenta, & palmaris hominum stultitiæ insignia? Nonne & nos sumus in aliqua hujusmodi Sapientum classe? Illud autem super cætera stupendum: quòd, qui sic desipiunt, sentientes & agentes oppositum, stultitiæ damnant, & Sapientiam Evangelicam fatuitatis censurâ perstringunt. Sed cœci sunt, in meridiana luce caligantes. Qui oculos habet, videat: ne in allata stultitiæ specimina impingat; &, si impegit, maturè resipiscat.

FERIA V. post Domin. IV. post Pentecosten.

MED. *De Sapientia Dei in Creatione hominis, præsertim Christi & Matris ejus.*

1. ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus Sapientiam in Creatione Hominis. 1. Res aliæ productæ sunt solo *Fiat:* Hominis creationi præmissa quasi deliberatio divinarum Personarum, tanquam de negotio majoris momenti & speciali consideratione digno: *Faciamus hominem* &c. 2. Productus est *ad Imaginem Dei:* ut speciali ratione, ipsâ naturâ suâ repræsentaret DEUM & divinas Personas, Patrem virtute generandi, quâ carent Angeli; Filium vi intelligendi, Spiritum S. potentiâ diligendi. 3. Productus est *ad Similitudinem Dei:* ut non solâ substantiâ suâ, sed moribus quoq; & virtutum exercitio exprimeret DEUM. In quem finem primo homini infusa est magna habituum naturalium & supernaturalium copia. 4. Corpus homini quàm accuratè formatum de limo terræ? Anima quàm mirabiliter inspirata, & Spiritus corpori sociatus? Quis tale opus conciperet, nisi Mens infinita? Profectò Magne DEUS *mirabilis facta est Scientia* & Sapientia *tua ex me!* O me insanum; quòd tam nobile Opus pessimè deformârim!

2. ADora D. JESUM & considera: ipsum esse inventum & specimen summum infinitæ Sapientiæ Divinæ. Præterquam enim, quòd

natura ipsius humana longè sit perfectiùs efformata, quàm in cæteris; nullus unquam intellectus creatus concipere & pro certo affirmare potuit: ex DEO & homine unam fieri posse Personam, cum tam mirabili idiomatum communicatione, qualis in Christo datur; ut verè & propriè dicatur DEUS-Homo, & Homo-Deus; DEUS incarnatus, passus, mortuus &c. Homo sit naturalis DEI filius, sit Sapientia & Virtus DEI &c. Sapientiæ autem divinæ hæc expedita & in promptu fuerunt. Ipsa in commodum nostrum tam incomprehensibile opus invenit, & elaboravit. Suspicio te, & obstupesco, mi JESU, tanquam summum specimen Sapientiæ infinitæ, tanquam florem, medullam & apicem omnium operum divinorum. O quale quantumq; objectum habet mens mea in Te! Quò vagamur, ô Anima mea, extra JESUM?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq;, post Filium, esse summum opus Sapientiæ divinæ. Suspicit illam & celebrat B. Petrus Damianus Ser. 1. de Nat. B. V. ut *Opus, quod solus opifex supergreditur.* Richardus à S. Laur. lib. 10. de Laud. Virg. ut *Opus Speciale Dei artificis, de quo dicitur Eccl. 24. Gloriâ Domini plenum est opus ejus.* S. Bonaventura in Speculo cap. 3. ut *Opus verè mirabile: quia nunquam invenitur simile: non est factum tale opus in universis regnis.* Isidorus Thessalonicen. Or. de Nat. B. V. ut *Opus admirandum divinæ artis: cujus specie captus fuit & ipse Conditor, & summâ illud sibi cognatione conjunxit.* Quid jam inhæreamus, ut pueri, crepundijs hujus mundi, & non transferimus magis mentem ad contemplationem JESU & MARIÆ?

Propositum, v. gr. *de accuratiore Contemplatione perfectionum divinarum, Christi, & Matris ejus.*

LECTIO PRACTICA.

De Amore & Cultu Sapientiæ Incarnatæ.

SApientiam mundi & carnis ut manifestiùs & efficaciùs refutaret DEUS, hominesq; induceret ad studium æternarum veritatum; Sapientiam suam æternam incarnari voluit, & oculis amoriq; nostro objicere: prout notavit S. Bernardus Serm. 3. in Nat: Dom: *Carnalis homo*, inquit, *non percipit ea, quæ sunt Spiritûs Dei: sed jam capiat & carnalis: quia Verbum factum est Caro. Si nihil præter carnem novit audire; ecce Verbum caro factum est: audiat ille vel in carne. O homo in carne tibi exhibetur Sapientia illa, quondam occulta: ecce jam trahitur de occultis, & ipsis sese ingerit sensibus carnis tuæ. Carnaliter (ut jam dixerim) prædicatur tibi: fuge voluptatem* &c.

Ut incarnatæ huic Sapientiæ proniores demus aures animosq;, eamq; debito

debito prosequamur cultu & studio: amare eam oportet. Ut amemus; expendenda sunt attentiùs, quæ de illa tradunt Literæ Divinæ, omnino talia, quæ totos rapiant, possideantq; affectus nostros, & corda. Sap. 7. dicitur de illa: *Est in illa Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suavis, amans bonum, acutus, qui nihil vetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens virtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes spiritus, intelligibilis, mundus, subtilis. Omnibus enim mobilibus mobilior est sapientia* (agendi efficaciâ & celeritate) *attingit autem ubiq; propter suam munditiam; Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis Omnipotentis Dei sincera: & ideo nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula Dei majestatis, & Imago bonitatis illius. Et cùm sit una, omnia potest: & in se permanens, omnia innovat, & per nationes in animas sanctas se transfert, amicos Dei & Prophetas constituit. Neminem enim diligit Deus, nisi eum, qui cum Sapientia inhabitat. Est enim hæc speciosior sole, & super omnem dispositionem stellarum, luci comparata invenitur prior.* Et cap. 8. *Attingit ergo à fine usq; ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter. Hanc amavi, & exquisivi eam, à juventute mea, & quæsivi Sponsam mihi eam assumere, & amator factus sum formæ illius. - - Proposui ergo hanc addere mihi ad convivendum: sciens, quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis & tædij mei. - - Habebo per hanc immortalitatem, & memoriam æternam his, qui post me futuri sunt, relinquam* &c.

Hæc & his similia cùm ad mensam legi audîsset B. Henricus Suso; exarsit totus amore æternæ Sapientiæ; & O præclaram, ajebat, egregiamq; amicam! O si ea mihi obtingere posset in Sponsam! Sed mox sensit, difficultatem sibi fieri: siquidem ea Sponsa non nisi duris conditionibus in manus venit. Oportet propter illam renunciare commoditatibus corporis, juxta illud Prov. 21. *Qui amat vinum & pinguia, non erit Sapiens.* Et Proverb. 6. *Usquequò piger dormies? Usquequò de somno consurges?* Et est antiquitùs ea lex & conditio amoris: ut amantes patiantur adversa & molesta. Non est procus ullus absq; cruce: & quisquis amori dat operam, idem ipse martyr est. Assumebat tamen iterum animos & spem, recolens: quòd si carnales proci talia tolerant libenter: quidni toleranda potiùs sint propter Sapientiam æternam sibi desponsandam?

Conflictanti cum hujusmodi cogitationibus, & simili ad mensam lectioni post aliquod tempus intento, cùm iterùm exardesceret affectus in amorem æternæ Sapientiæ: objecit illa se ei tali schemate: Longè supra ipsum ferebatur

rebatur in columna nubis, residens in throno eburneo, fulgens tanquàm sol in virtute sua; corona ejus erat æternitas, amictus felicitas, sermo suavitas, complexus omnis boni satietas: quæ non oculis, sed elevatâ divinitùs mente mirabiliter conspiciebantur. Prope erat, & longè aberat, sublimis & humilis, præsens & occulta, familiarem se præbebat, nec tamen apprehendi poterat; jam elegantis puellæ specie videbatur, mox pulcherrimi juvenis præ se ferebat imaginem. Deniq; comiter, non tamen sine quadam divinâ majestate, arridens affata est ipsum: *Præbe, fili, cor tuum mihi*. Nec plura tunc; sed sat sapienti & amanti. Ergo Henricus: Nunc igitur, æterna Sapientia, tu mei cordis Imperatrix, & totius gratiæ parens es. In te divitiarum, honoris, potentiæ affatim mihi suppetit. Crescente dein amoris æstu, ut cor suum unicæ consignatum æternæ & incarnatæ Sapientiæ testaretur; arrepto ferreo stylo, SS. JESU nomen profundis ductibus, & literis unum digitum longis, pectori incidit, copioso manans cruore. Nec aliter deinceps appellari voluit, & appellabatur, quàm *Minister æternæ Sapientiæ*: cujus oracula Apostolico Spiritu prædicabat, & exempla imitatione religiosâ exprimebat. Vidit aliquando illam in cordis sui meditullio amicabili schemate quietissimè residere, & illi assidentem, arctissimoq; amplexu dignatam, animam suam. *Surius in Vita* 25. *Jan.*

Erga eandem Sapientiam propensiùs & teneriùs affici deberent omnes viri Apostolici, Prædicatores, Magstri, quiq; ad ea munia disponuntur; ad obtinendum ab ea lumen ad intelligendum, & ardorem seu zelum ad docendum cum fructu. *Doctrix enim est disciplinæ Dei, & electrix operum illius. Sobrietatem, prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Sap. 8.

FERIA VI. post Dom. IV. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Sapientia Dei & Christi in Redemptione hominum, præsertim Deiparæ V.*

1. ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus Sapientiam in redimendo, sibiq; reconciliando genere humano. Quàm mirabili ingenio diffidentes circa reum hominem Justitiam & Misericordiam suam composuit, ita; ut & Justitiæ satisfieret abundè, & nihilominùs Misericordia superexaltaret judicium? Quàm insperatâ & inauditâ arte circumvenit serpentem antiquum; quando seducto homine, *Ipse lignum tunc notavit, damna ligni ut solveret, & medelam ferret inde, hostis unde læserat?* Quàm alto consilio per ignominiam crucis exaltare voluit & hominem prostratum,

& Sapientiam suam incarnatam? Per potentiam brachij sui facilè eruere poterat captivum hominem è potestate inimici: at maluit per infirmitatem carnis assumptæ; ut major esset & ignominia victi hostis, & gloria victoris. O quàm sapiens corde, & fortis robore est DEUS noster! *Apud ipsum est fortitudo & sapientia: ipse novit & decipientem, & eum, qui decipitur.* Job. 12. Ipsi igitur tutissimè committam omnem causam meam.

2. ADora D. JESUM, & considera summam ejus Sapientiam circa homines redimendos & justificandos. Poterat nobis brevissimâ oratione impetrare libertatem; sed maluit infinitum sanguinis divini exhibere pretium, & copiosam facere Redemptionem: ut tantò magis æstimaremus libertatem nostram, & charitatem Redemptoris. Ne verò redempti tanto pretio, deinceps ultrò rediremus per peccata in pristinam servitutem: quid non egit, & passus est, ut nobis summum imprimeret peccatorum horrorem? Quàm apertè detexit hostium generis nostri malitiam, mundi vanitatem, carnalis sapientiæ fatuitatem? Quàm sapienter dissolvit dolosas Pharisæorum quæstiones? Quàm solidè non verbo solùm, sed exemplo, vivens & moriens, nobis commendavit virtutum amorem, ferventem DEI cultum, & salutis propriæ curam? *Omnes testimonium ei dabant,* quos non excæcavit malitia sua; *& mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipsius.* Luc. 4. Admiror & ego, Sapientissime JESU; sed doleo pariter: quòd tam parum profecerit hactenus Sapientia tua in me. Fac, obsecro, me tandem idoneum ejus & discipulum & ministrum.

3. VEnerare DEIparam V. & considera specialissima Divinæ Sapientiæ consilia circa Redemptionem ipsius: siquidem illam, ob honorem Maternitatis divinæ, redimere placuit ex captivitate & servitute, non quam jam subierit; sed ne illam subiret unà cum alijs omnibus infelicis Adæ posteris. Invenit æterna Sapientia modum, quo Filius immunitati Matris impenderet sanguinem, quem nondum acceperat ab eadem. Quod privilegium dum tibi, ô Immaculatissima, humiliter gratulor; oro pariter: ut me deinceps à diaboli & peccati servitute servare digneris immunem.

Propositum, v. gr. *de inveniendis & exequendis modis, quibus homines à peccati servitute liberes cum gratia Divina.*

LECTIO PRACTICA.

De Sapiente Sanctorum Stultitia.

INter alia Divinæ Sapientiæ opera, quibus Redemptionem nostram inchoavit, promovit, & absolvit, eximium est illud: quòd, ut loquitur Apostolus, ei placuerit per Stultitiam prædicationis salvos facere credentes.

dentes. *Nam quia in Dei Sapientia*, quâ mundum condidit, conservat & gubernat, *non cognovit mundus per Sapientiam Deum*; ex operibus tam mirabilibus prudenter & evidenter inferendo ejus Unitatem, Omnipotentiam, supremam dignitatem, infinitam excellentiam: *placuit Deo per stultitiam prædicationis salvos facere credentes*: 1. Cor. 1. operando nimirum, & prædicando ea, quæ mundi sapientibus, sciolis, & politicis, stulta videntur. Ut, quòd Verbum sit caro factum; quòd DEUS impassibilis & immortalis sit passus, crucifixus, & mortuus; quòd beati sint pauperes spiritu; quòd inimicis sit ignoscendum & benefaciendum; quòd percutienti unam maxillam sit altera præbenda &c. quæ & similia planè è diametro opponuntur Maximis sapientiæ mundanæ.

Quàmvis verò hujusmodi prædicatio Judæis fuerit scandalo, gentibus autem visa sit stultitia: ijs tamen, qui altiore cœlitùs perfusi sunt fidei lumine, visa est Summa Sapientia & DEI virtus. Unde fideles non tantùm ei ut verissimæ & infallibili assensum præbuerunt: sed etiam, quæ in Christo mundus sprevit ut stulta; nimirum extremam paupertatem, silentium in summis injurijs, patientiam sine studio vindictæ, mortem crucis oppetitam etiam pro inimicis &c. certatim traduxerunt in mores suos, & studiosissimè sunt imitati, dicentes & gloriantes cum Apostolo: *Nos stulti propter Christum*. Affectamus autem sapientem hanc stultitiam & quandam insaniam tum in verbis, tum in factis.

Vis audire insaniam? quærit Bernardus: ecce illam. *Optabam*, inquit Paulus, *anathema esse à Christo pro fratribus meis. Nonne insania est, pro Christo velle anathema esse à Christo?* Velle perire æternùm, ne alij pereant; cùm primam sui rationem habere debeat Charitas? *Vis aliam! Audi Moysen: Si non dimittis* populo noxam suam; *dele me de libro vitæ*. Insana enim videtur stultitia, velle correctionem seu lituram in libro vitæ ab æterno conscripto. *Quæ insania est hæc, quâ insani erant Martyres, inter tormenta ridentes?* Nonne stultitiæ arguet mundus illud S. Catharinæ Senensis desiderium: O Amor mi, quàm sentirem me tibi devinctam, si me ancillam tuam in aditu inferni collocares, portamq; sic per me obstrueres; ne ulla deinceps anima posset intrare, solaq; pro omnibus luerem!

Vis etiam videre Christianam insaniam, & sapientem stultitiam? En, ut S. Simeon Sales innumeras exerceat ineptias, puerorum ludibrijs, & plebis injurijs se propinat. En ut S. Philippus Nerius (vir quantus!) ad edendam sanctitatis opinionem, nunc impotentes iras & furorem simulat, nunc in facetias dissolvitur: ut P. Bernardus Colnagus, publicus Neapoli

Theologiæ Professor, positâ veste religiosâ, centone malè tectus per celebriora urbis loca incedens, insani encomium sibi meretur: ut P. Antonius Madridius celebris in Academia Salmanticensi Philosophiæ Professor; haustam è publico civitatis fonte aquam cribro inter mille puerorum ludibria ad collegium defert: & quem magis mireris; vide B. Jacoponum virum nobilem præter alia affectatæ stultitiæ argumenta, in fœtidam cloacam se se immergentem; cumq; Christus ipsi adspectabilis factus, diceret: ipsum insanire, quòd eò se conjecisset; ausus est reponere Jacoponus: at tu, Domine, nonne longè magis insanijsti, quando nudus, pleno meridie, coram infinitâ multitudine, propter Jacoponum, infame lignum conscendisti?

Audierant nimirum isti, & plures alij Apostolum monentem 1. Corinth. 3. *Nemo se seducat*, blandiendo sibi de multa sapientia. *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo*, sapientiâ scilicet mundanâ, carnali, inflante; *Stultus fiat, ut sit Sapiens.* En medium inprimis utile ad consequendam veram Sapientiam. *Sapientia enim hujus mundi Stultitia est apud Deum: Scriptum est enim: Comprehendam Sapientes in astutia eorum.* Et iterùm: *Dominus novit cogitationes Sapientium, quoniam vanæ sunt.* Utinam autem vanæ tantùm essent, & non etiam perniciosæ! Quid enim magis mente volvunt pleriq;, qui ingenio & eruditione præstant, quàm quomodo fortunam suam famamq; promoveant, etiam per ruinas aliorum? At Stulti Evangelici in id præcipuè intenti sunt; ut glorificetur DEUS & salvetur proximus: ipsi à mundo nihil aliud reportent, quàm probra, ludibria & ignominiam; ut sic aliquatenus conformentur Salvatori suo.

SABBATO post Domin IV. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Sapientia Dei & Christi in instituenda Ecclesia: cujus Deipara V. singulare Ornamentum & Præsidium.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quantâ Sapientiâ, Veteri Synagogâ repudiatâ, novam instituerit Ecclesiam, non ex una gente, sed omnibus, quæ sub cœlo sunt, collectam. Imò ipse est Sapientia illa, quæ Proverb. 9. dicitur, sibi ædificâsse Domum, & in ea excidisse columnas septem, Sacramentorum 7 novæ legis; immolâsse victimas suas, Agnum scilicet divinum & innumeros cum eo Martyres; miscuisse vinum, & proposuisse mensam Eucharisticam, Divini Corporis & Sanguinis epulo pretiosam. Ad hanc potissimùm Ecclesiam pertinet, quod per Oseam cap. 2. promisit: *Sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in justitia, & judicio, & in misericordia & miserationibus.* In hac constituit Ca-

thedram suam Sapientia divina, nullo errore contaminandam, nullo tempore convellendam, docetq; sine intermissione magnos & parvos, sapientes & insipientes. O Sapientia, quæ tam mirabilem Domum ædificâsti, tam doctam cathedram erexisti: fac nos capaces oraculorum tuorum: desponsa me tibi fœdere sempiterno.

2. ADora D. JESUM, & considera summam ejus Sapientiam in condenda & gubernanda Ecclesia sua, cujus ipse voluit esse & apex & lapis angularis. Quantâ fundavit eam soliditate super firmam petram? Nec portæ inferi prævalebunt unquam contra eam. Quantâ illustravit illam luce Spiritûs S. Ignis divini? Omnem docuit eam veritatem. Quanto exornavit eam decore? Visa est Evangelistarum Aquilæ Apoc. 21. tanquam *nova*, speciosior & gloriosior, *Jerusalem*, *descendens de cœlo à Deo*, *parata*, *sicut sponsa ornata viro suo*. Quàm mirabili & ordinato gubernat eam regimine? Monarchicum voluit, id est, Optimum; cujus suprema potestas esset apud ipsummet Conditorem, Vicaria verò authoritas, eaq; summa & perpetua, apud Petrum & Successores ejus. Quàm providè horum Sedem in Arce orbis, Urbe Roma constituit? O Sapientia incarnata, quæ ex ore Altissimi prodijsti, & tam gloriosam tibi condidisti Ecclesiam; quantum tibi debeo: quòd me ad illam vocaveris! Da; ut in eadem tibi vivam, militem & moriar.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam esse præcipuum, post Filium, Ecclesiæ Christi Triumphantis Ornamentum, Militantis Præsidium. Priore titulo honorat eam S. Ephrem Serm. de laud. V. posteriore S Joseph Hymnographus in Mariali. Ipsa enim & Hierarchias cœlestes gloriæ suæ copiâ excellentiâq; illustrat: & decertantes adhuc contra aëreas potestates, carnem, & mundum, protegit ac roborat. Sub tuum præsidium & ego confugio, ô Domina: Suscipe, fove & protege.

Propos. v. g. *de defendenda totis viribus, & exornanda virtutibus, Ecclesia Christi.*

LECTIO PRACTICA.

Qualis debet esse Sapientia Ministrorum Ecclesiæ?

VErbo responderi potest: *Humilis*. Nisi enim talis fuerit; vera sapientia non est, & innumera invehit mala in Ecclesiam. Vera Sapientia non est: nam qui verè sapiens est: 1 Debet judicare de rebus, prout sunt; eaq; æstimare, prout merentur, & non suprà, præsertim ubi agitur de persona propria, & rebus actionibusq; proprijs. Unde David Psal. 130. *Domine, non est exaltatum cor meum: neq; elati sunt oculi mei. Neq; ambulavi in magnis, neq; in mirabilibus super me. Si non humiliter sentiebam, sed exaltavi ani-*

savi animam meam: sicut ablactatus est super matre sua; ita retributio in anima mea. Id est: Sicut ablactatos matres repellunt ab uberibus suis; ita privari mereor dulcedine sapientiæ tuæ. Qui verò humilis non est, de se ipso sentit magnificentissimè, & rebus suis nullum reperit pretium: alios autem & dotes gestaq; ipsorum altissimo despicit supercilio, & nihili facit: quæ est palmaris stultitia.

2. Debet Sapiens esse docilis: ideoq; libenter exquirere, atq; adhibere consilia aliorum prudentum, eorumq; consuetudine delectari: juxta illud Prov. 1. *Audiens Sapiens sapientior erit.* Et c. 19. *Audi consilium, & suscipe disciplinam: ut sis sapiens in novissimis tuis.* Et Eccli. 6. *In multitudine prudentium presbyterorum sta; & sapientiæ illorum ex corde conjungere.* Et c. 8. *Ne despicias narrationem presbyterorum Sapientium, & in proverbijs eorum conversare. Ab ipsis enim disces sapientiam, & Doctrinam Intellectûs.* Unde & Seneca ep 94. ad Lucilium: *Occursus me hercle ipse Sapientum juvat: & est aliquid, quod ex magno viro vel tacente proficias.* Qui autem humilis non est; sibi sufficiens, imò abundare videtur, ideoq; inclinare aurem, nedum animum, in sententiam aliorum dedignatur. Apud se solum tripodem esse atq; oraculum credit cum Achitophel.

3. Verè sapiens libenter audit monitiones, & diligit monitores. *Argue Sapientem: & diligit te.* Prov. 9. *Auris, quæ audit increpationes vitæ: in medio Sapientum commorabitur.* Atqui humilis non est; ulcus est, tangi non sustinens. Tange montes, & fumigabunt.

4. Verè Sapiens humiliter loquitur de se, & dotibus suis, idq; non simulatè, sed ex animo. Unde mortalium Sapientissimus Prov. 30. dicit de se: *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum.* Omnem enim sapientiam suam agnoscebat, & testabatur, non tam esse suam, quàm DEI, à quo illam sine adhibito studio liberaliter acceperat. Stultissimum autem præ cæteris se fatetur, vel quòd tantâ sibi concessâ sapientiâ non ritè sit usus: vel quòd DEUM, cujus notitiam cæteris longè majorem habuit; non ut decet, coluerit. Socrates quoq; rogatus, quid sciret? respondit: *Hoc unum scio, quòd nihil scio* Qui autem humilis non est, uni sibi claves sapientiæ arrogat, solumq; se è cerebro Minervæ natum credit; nec finem invenit extollendi sua. Sapientia ergò vera sine humilitate, nulla est.

Quòd quæcunq; sapientia, seu scientia, eruditio, & rerum peritia sine humilitate admodum sit noxia Ecclesiæ: sole meridiano clarius est ex tot hæresiarchis, hæresibus & hæreticis: quos meritò SS. Patres comparant fœdissimis & humano generi infestissimis, bestijs; Ignatius ep. ad Smyrnæos cani-

os canibus rabidis, serpentibus, basiliscis, & squamosis draconibus; S. Cyprianus ep. 52. Lupis & canibus; Ambrosius Serm. 43. noctuis & vulpibus; Vincentius Lyrinensis in Commonit. tit. 3. ranis & muscis; Hieronymus in c. 2. Habac. Scarabæis; Augustinus in Psal. 80. cimicibus, qui, ut habet lib. 4. in Julian. c. 9. *dum vivunt, mordent, mortui autem fœtent.* Omnes autem progenitos esse ex patre diabolo, & matre superbia, notorium est; & testatur Tertullianus de præscript: *Omnes hæretici tument, omnes scientiam pollicentur*; purum putumq; venditant Verbum DEI, & apud se solos verum esse ejus intellectum clamant. Et Augustinus libr. de Pastorib. c. 8. *Una mater superbia omnes hæreses genuit.*

Catholicæ quoq; Ecclesiæ Ministri, qui aliquid scientiæ & eruditionis, cum multa verborum copia congesserunt, quàm parum fructûs, quàm multum damni adferant, si solidâ humilitate sint destituti, manifestum est. Despiciunt enim cæteros, & impediunt fructuosiores eorum labores; quæ sua sunt, quærunt, non quæ Jesu Christi; non de officio seu beneficio rectè administrando, sed altiore conscendendo, continuò sunt soliciti; Prælatis se exhibent contumaces, æqualibus & subditis intolerabiles &c. &c.

S. Thomas igitur Lect. 1. in c. 8. ep. 1. ad Cor. Sapientiam & Scientiam Ministrorum Ecclesiæ sive sæcularium, sive regularium, sequentibus vult esse instructam dotibus: Ut sciant *Humiliter*, sine inflatione superbiæ; *Sobriè ac modestè*, sine præsumptione temeraria; *Certitudinaliter*, ac firmiter sine hæsitatione; *Veraciter*, sine errore in sentiendo & loquendo; *Simpliciter* cum recta intentione; *Salubriter*, cum charitate & salutis medio; *Utiliter*, attendendo proximorum ædificationi; *Liberaliter*, communicando sine invidia, & gratuitò; *Efficaciter*, in ordine ad fructum spiritualem. S. Jacobus in Can. sua c. 3. *Quæ de sursum est*, inquit, *Sapientia, primùm quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ & fructibus bonis, non judicans, sine simulatione.* Sine his dotibus melior omninò est humilis rusticus; quàm scriba doctus, in terrestri hoc regno cœlorum.

DOMINICA V. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Perfectione Voluntatis DEI, JESV & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera Voluntatem ejus infinitè & omnimodè perfectam. Est enim realiter idem cum Essentia divina & omnibus perfectionibus divinis. Deinde est absolutissimè perfecta in omni genere perfectionis Volitivam potentiam concernentis. Actus habet ab ipsa non distinctos, alios necessarios, alios liberos. Est Rectissima; quia

infinitâ

infinitâ Sapientiâ dirigitur; Sanctissima, quia nulli vel minimo peccato obnoxia; Potentissima, quia nemo illi resistere potest; Liberrima circa res creandas & creatas, Necessaria circa perfectiones divinas, & spirationem Amoris infiniti, Spiritûs Sancti: Immutabilis, irrefragabilis, incomprehensibilis in Decretis suis. Sine illa fit nihil, contra illam nihil bene, cum illa omnia rectè. O Voluntatem DEI mei admirandam, adorandam, & super omnia amandam! Ah! fac me tandem, Magne DEUS, virum secundùm cor tuum, qui faciam omnes voluntates tuas! Ah! quòd ab illa tam sæpe, tam procul recesserim!

2. ADora D. JESUM, & considera: in ipso duplicem fuisse & esse Voluntatem; *Divinam* scilicet propter unionem humanitatis cum VERBO; & *Humanam*, Animæ rationalis propriam. Fuit hæc quoq; in suo genere summè perfecta, etiam in corpore mortali. Dirigebatur enim ab intellectu rectissimo, & summâ sapientiâ prædito. Cum felicissima necessitate non peccandi, habebat nihilominùs plenam libertatem bene agendi, & merendi. Unde Isa. 7. dicitur: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Et cap. 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Semper voluntas rationalis in Christo conformissima fuit Voluntati divinæ: quàmvis subinde appetitus sensitivus obluctaretur, ut in horto, ex infirmitate partis inferioris. A primo Conceptionis momento instructissima fuit omnigeno summarum Virtutum supernaturalium apparatu, ex quibus indesinenter procedebant actus, maximæ, imò infinitæ, perfectionis, infinito simpliciter præmio digni. Gaudeo, Perfectissime JESU, de tanta perfectione voluntatis tuæ humanæ: & confundor ob pravitatem meæ. Doce me facere voluntatem tuam.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsius Voluntatem, in mortali corpore degentis, fuisse rectissimam, & omni ex parte perfectissimam, tum quia regebatur intellectu illuminatissimo, tum quia non depravabatur æstu ullarum passionum, tum quia eam à momento Conceptionis suæ prævenit Dominus in benedictionibus suis, & gratiarum ubertate ita conformavit voluntati suæ: ut de ipsa vel maximè dictum videatur per Prophetam: *Vocaberis; Voluntas mea in ea.* Isa. 62. Unde à Guerrico Abb. Ser. de Assumpt. vocatur DEIpara V. *Voluntas Domini.* O & mihi concilia hoc elogium, Domina: ut plenè fiat in me, de me, & per me Voluntas Domini; imò totus sim Voluntas Domini, nec ulla sit in me Voluntas Propria.

Propositum, v. g. *de conformanda voluntate nostra cum divina.*

LECTIO PRACTICA.

Quantum malum sit voluntas nostra Propria.

EGregiè illam depingit, & acerbè insectatur, non tamen supra meritum, S. Bernardus Serm. 3. in Resurr. Dom. Voluntatem dico *Propriam*, inquit: quæ non est communis cum DEO & hominibus; sed nostra tantùm: quando, quod volumus, non ad honorem DEI, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus; non intendentes placere DEO, & prodesse fratribus, sed satisfacere proprijs motibus animorum. Huic contraria est rectâ fronte Charitas, quæ DEUS est. Hæc enim (scilicet voluntas propria (adversus DEUM inimicitias exercens est, & guerram crudelissimam. Quid enim odit, aut punit DEUS præter voluntatem propriam? Cesset voluntas propria, & infernus non erit. In quem enim ignis ille desæviet, nisi in voluntatem propriam? Etiam nunc, cùm frigus aut famem, aut aliquid tale patimur, quid læditur, nisi propria voluntas? Quodsi voluntariè sustinemus: ipsa jam voluntas communis est: sed infirmitas quædam, & velut pruritus voluntatis adhuc de proprio est; & in illo omnes pœnas sustinemus, donec penitus consumatur. Nam voluntas illa propriè dicitur, cui assentimus, & cui se liberum inclinat arbitrium. Hæc autem desideria & concupiscentiæ, quæ invitos tenent; non voluntas, sed corruptio voluntatis est. Porrò voluntas propria, quo furore Dominum majestatis impugnet: audiant, & timeant servi propriæ voluntatis. Primò namque se ipsam subtrahit, & subducit ejus dominatui, cui tanquam auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Sed numquid contenta erit hac injuriâ? Addit adhuc, & quod in se est, omnia quoq; , quæ DEI sunt, tollit, & diripit. Quem enim modum sibi ponit humana cupiditas? Nonne, qui per usuram acquirit pecuniam modicam, similiter mundum lucrari universum conaretur, si non deesset possibilitas, si suppeteret voluntati facultas? Dico fiducialiter: nemini, qui sit in propria voluntate, posset universus mundus sufficere. Sed utinam vel rebus istis esset contenta; ne in ipsum (horribile dictu!) desæviret auctorem. Nunc autem & ipsum, quantum in ipsa est, DEUM perimit voluntas propria. Omnino enim vellet, DEUM peccata sua aut vindicare non posse, aut nolle, aut ea nescire. Vult ergo eum non esse DEUM; quæ, quantum in ipsa est, vult eum, aut impotentem, aut injustum esse, aut insipientem. Crudelis planè, & omnino execranda malitia, quæ DEI & potentiam, & justitiam perire desiderat. Hæc est crudelis bestia, fera pessima, rapacissima lupa, & leæna sævissima. *Ita Bernardus præter morem, sed non ultra modum, acrior.*

S. Ansel-

S. Anselmus *cap. 37. de Similitud.* Voluntatem propriam comparat Reginæ cuidam adulteræ, copulatæ regi similiter adultero, ex quo tres suscepit filios, & ex his infinitos nepotes. Ex his conflato grandi exercitu, invadunt adulteri illi legitimum quendam Regem ita, ut jam tota acie, jam duello, singuli cum singulis confligant; à superatis enorme exigunt lytrum, quod quia solvere non possunt, perpetuis traduntur carceribus. Hæc autem Regina, inquit, Propria est Voluntas: quæ ideo vocatur adultera, quia separatur à DEO, cui deberet esse conjuncta, & conjungitur diabolo, à quo deberet esse disjuncta. Ipse verò diabolus Rex dicitur & adulter: quia in hominibus regnans per Voluntatem propriam, animabus eorum, DEI videlicet Sponsis, abutitur. Cui postquam se voluntas propria junxerit; ex ipsius semine, id est, perversâ suggestione tria principalia vitia, delectationem, extollentiam & curiositatem concipit, & per quinque corporis sensus velut ea pariens, emittit. Ex his verò tribus tot alia vitia nascuntur, sicq; multiplicantur: ut absq; numero habeantur. Horum ergo conscripto exercitu, DEI regnum, mundum hunc invadunt, & prædantur. Quemcunque verò superare possunt, malâ consuetudine ligatum in infernum detrudunt: ubi ab eo unumquodq; vitium exigit, quidquid unquam per illud commisit; quod quia nunquam persolvere poterit, etiam miseria ei nunquam deerit. *Hæc Anselmus.*

Advertit idem ibid. c. 8 propriam voluntatem nostram, quamvis naturâ suâ servam respectu DEI, ipsi tamen impudentissimâ audaciâ detractam Coronam, imponere sibi. *Solus Deus, quidquid vult, inquit, debet velle propriâ voluntate, cùm aliam, quam sequatur, non habeat supra se. Cùm igitur homo vult aliquid per propriam voluntatem, Deo aufert quasi Coronam suam. Sicut enim Corona soli regi competit, sic propria voluntas soli Deo.* Sed gravius est, quod suprà dixit Bernardus: ipsam DEO ipsi moliri interitum. Accedit: quòd opera nostra, etiam aliàs optima, omni valore evacuet, & ingrata DEO reddat, juxta illud Isa. 58. *Quare jejunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras, & nescisti? Ecce in die jejunij vestri invenitur voluntas vestra.* Grande malum Voluntas propria, inquit Bernardus: quâ fit, ut bona tua tibi bona non sint!

Quid juvat ergo, illam sequi, & non potiùs abnegare, ejurare, anathematizare; & non solùm DEO, sed hominibus etiam subjicere propter DEUM?

FERIA II post Dominic. V. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Libertate Voluntatis DEI, CHRISTI & DEIPARÆ V.*

1. Ado-

1. ADora DEUM O. M. & considera mirabilem Libertatem Voluntatis ejus in operando ad extra. *Operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Ephes. 1. At & consilium hoc abyssus est; & modus volendi liberè, mysterium inaccessibile. Non enim vult, aut non vult DEUS per actus in se productos, ut facimus nos & Angeli: sed per ipsam Essentiam suam; quæ nunc est v. gr. Volitio hujus mundi, & potuit esse Nolitio ejusdem, quàmvis nunc re vera non sit nolitio ejusdem. Quodquomodo fieri possit sine intrinseca mutabilitate DEI, cujus ipse nullatenus capax est, quis satis explicet? O altitudo divitiarum non solùm sapientiæ & scientiæ DEI: sed etiam Voluntatis & Libertatis ejus! Quàm incomprehensibilia sunt libera Decreta ejus! Credo, & adoro Opt. Max. DEUS, quod non capio. Gaudeo, quòd aciem ingenij cujusvis creati infinitè excedas. Da; obsecro: ut communicatâ voluntati meæ libertate non abutar ampliùs ad offensam tuam. Doleo de abusu.

2. ADora D. JESUM, & considera in voluntate ejus humana mirabilem nexum Necessitatis & Libertatis; Impeccabilitatis, & Facultatis exercendi liberè actus etiam præceptos à DEO, v. g. de toleranda morte crucis pro hominum salute. Nam ex vi unionis hypostaticæ, & visionis beatificæ, quâ ab instanti Conceptionis fruebatur continuò, non poterat non facere omnem voluntatem Patris: & tamen divina ejus Sapientia invenit modum, ut eam faceret liberè, & per liberum voluntatis exercitium mereretur nobis salutem & vitam æternam. Tanto ingenio usus est DEus & Christus in procuranda nobis salute, & contestando suum in nos amorem! At nos ingeniosi sumus in abusu communicatæ nobis libertatis, ad cumulandas & exaggerandas offensas divinas. Exquisitis vijs & modis declinamus à bono & facimus mala: recedimus à vita æterna, & ruimus in mortem æternam. Averte insaniam tantam, Gratiosissime JESU.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm felici & rarâ libertate instructa fuerit voluntas ejus. Ita illam prævenit, & confirmavit in bono, gratijs suis Dominus: ut non solùm nullum, vel minimum peccatum, v. g. otiosum verbum, unquam commiserit; sed semper expeditissima fuerit ad exercitium libertatis suæ per actus virtutum excellentissimos. Non enim illam unquam impediebat vel effervescens aliqua passio, vel obrepens somnus: vel alia intellectûs distractio: siquidem altiore infusâ scientiâ, à sensibus & phantasmatibus independente fuit instructa, quâ regebatur voluntas absq; periculo errandi, & sine fatigatione. Quàm longè alia in nobis! Gratulor tibi, ô Domina, tam innocentem & assiduam libertatem. Fac ejusdem participem Clientulum tuum.

Proposi-

Propositum, v. gr. *de coërcenda voluntate effreni ad malum, præsertim N.*

LECTIO PRACTICA.

De Libertate Voluntatis nostræ & Voluntaria Subjectione sub Obedientiam alterius.

COmmunicatam esse homini à DEO Libertatem volendi & agendi: constat ex fide, & experientia. *Deus ab initio constituit hominem*, inquit Ecclesiasticus C. 15. *& reliquit illum in manu consilij sui. - Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors; bonum & malum; quod placuerit ei, dabitur illi.* Cæterùm non levis est error complurium sæcularium, existimantium: Violari innatam homini libertatem, per subjectionem sub obedientiam Prælatorum Religiosorum; sed tantum abest, ut violetur: ut potiùs mirificè perficiatur.

Advertendū inprimìs est: Homines non ita nasci liberos; ut jure naturæ ipsis liceat, quidquid libet; sive bonum, sive malum: & nulli legi vel authoritati sint subjecti. Hunc quorundā errorē, sanè perniciosū, pridē refutavit S. August. ep. 131. ubi ait: *Primùm attende: utrùm acquiescendum sit eis, qui dicunt, eum beatum esse, qui secundùm suam vivit voluntatem. Sed absit, ut hoc verum esse credamus. Quid enim, si quis nequiter velit vivere*; prout re vera multi volunt? *Nonne tantò miserior esse convincitur, quantò faciliùs mala ejus voluntas impletur?* Numquid Prærogativam Libertatis nostræ metiemur ex potentia & facilitate tam bene quàm malè agendi? Quod si ita: DEUS & Beati in cælo perfectâ libertate non gaudebunt; cùm ad malè agendum liberi non sint. Imò ex hominibus quantò quisq; erit melior, tantò minùs erit liber: quia difficiliùs se resolvet ad agendum malè. Deinde si Religiosus minùs est liber; quia minùs potest agere malè; multò minùs erit liber sæcularis; quia minùs potest agere bene; cùm propter negotiorum turbam, occasiones frequentiores & graviores peccandi, importunitatem sociorum malorum, contractos habitus pravos, minùs sit expeditus ad exercitia pietatis aliarumq; virtutum. Non ergo ex potentia agendi tam malè, quàm bene, æstimanda est perfectio Libertatis humanæ: quia potestas agendi malè potiùs est defectio (est enim recessus à Libertate Divina) quàm perfectio.

Neq; ex eo dici potest violari, seu imminui Libertas humana: quòd quidam sponte se subjiciunt Obedientiæ Superiorum. Non omnis enim subjectio servilis est, & dedecus ingenuorum. Nam, ut scitè dixit S. Agatha; *Summa ingenuitas ista est, in qua servitus Christi comprobatur.* Quod dictum fundatur in illo 2. Cor. 3. *Ubi Spiritus Domini; ibi libertas.* Pro quo

Advertendum 2. ex Philosopho 3. Pol. 4. duplicem esse prælationem seu principatum: unum *Dominativum*, cujus ea est natura; ut Dominus præ-

cipuè ac per se intendat ac procuret utilitatem suam & commoda; subditi autem secundariò & per accidens: quatenus scilicet sibi utilis est: alterum *Oeconomicum*. qualis est patris in liberos, viri in uxorem; in quo Superior commoda Subditorum intendit & procurat primariò, sua verò secundariò; quemadmodum pastor primariò curat bonum gregis sibi commissi. Dum igitur aliqui studio salutis suæ & obsequij divini perfectioris, se subjiciunt Prælato; non acquirit ille jus aliquod agendi cum ipsis despoticè, seu rigore quodam dominativo: quin potiùs obligatio ei incumbit tractandi ipsos ut filios suos, imò magni principis, Patris cœlestis, educationi, instructioni & directioni suæ commissos. Nam ut disertè Christus Luc. 22. *Reges gentium dominantur eorum*, qui ipsis subjecti sunt; *& qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: Vos autem non sic, sed qui major est vestrûm, fiat sicut junior; & qui præcessor est, sicut qui ministrat.* Unde Bernardus lib. 2. ad Eugen: *Forma*, ait, *Apostolica hæc est: dominatio interdicitur, indicitur ministratio: quæ etiam commendatur ipsius Legislatoris exemplo, qui adjungit: Ego autem in medio vestri sum tanquam qui ministrat.* Non ergo Dominorum, sed Patrum, pædagogorum, villicorum, & medicorum persona incumbit Prælatis tam Religiosis, quàm quibusvis alijs Ecclesiasticis: siquidem omnis ipsorum potestas dirigitur ad inferiorum commoda & utilitatem.

Quæ cùm ita sint: manifestum est; spontaneam Religiosorum subjectionem sub Jurisdictionem alterius, non officere eorum Libertati & ingenuitati: quin potiùs ipsos liberiores esse ad agendum ea, quæ Hominem decent; atq; ipsis vel maximè convenire, quod dixerunt Aristoteles, Plutarchus & Seneca: *Solos Sapientes esse liberos.* Qui enim sui juris sunt, ita varijs curis, negotijs, desiderijs, alijsq; inordinatis affectibus passim implicantur; ut non tam agant, quæ volunt, quàm ad quæ per illos trahuntur, & rapiuntur ita; ut ipsi sæpe fateantur: se resistere non posse, aliter facere non posse &c. At Religiosi sicut liberè se Prælato subjecerunt, ita liberè ei parent: quia id ipsum volunt, & amant, quod ille ordinat; adeoq; vivunt secundùm Voluntatem suam, & ad placitum suum. Felix libertas, quæ sic servit: Beata servitus, quæ tali gaudet libertate!

FERIA III. post Domin. V. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Potentia Voluntatis DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera summam & insuperabilem Potentiam Voluntatis ejus divinæ. Qualia & quanta nos volumus: sed

quàm

quàm parum, idq; ægrè, efficimus? *Deus autem noster in cœlo: omnia, quæcunq; voluit, fecit.* Psal. 113. Ipsi paria sunt, velle, dicere, & facere. *Ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.* Psal. 148. Est enim Voluntas ejus idem cum Omnipotentia & Omniscientia. Quod mente concipit esse factibile, facere potest, si velit. *Subest tibi, cùm volueris, posse.* Sapient. 12. Nec est, qui ejus voluntati efficaciter resistat. Contumacia in nobis esse potest, non efficacia. *Voluntati ejus quis resistit?* Rom. 9 Humiliemur ergo imbelles homunciones sub potenti voluntate & manu DEI. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Job. 9. Non resistam, Magne DEUS. Ad omnem tuum nutum flectam, aliàs obstinatum cervicem. Utere jumento tuo.

2. ADora D. JESUM & considera ipsius quoq; Voluntatis Potentiam summam & invincibilem. Ipsius nutui parere debet & paret, quidquid est in cœlo, in terra & sub terra; Elementa omnia, tonitrua, fulmina, morbi, tempestates, omnes tenebrarum & aëreæ potestates, omnes cœlorum Principatus & Potestates. Agnovit & contestatus est hanc Christi Voluntatis potentiam leprosus Matt. 8. quando dixit: *Domine, si vis, potes me mundare.* Agnoverunt & demiratæ sunt turbæ, quando cap. eod. imperavit ventis furentibus, & facta est tranquillitas magna: *Qualis est hic: quia venti & mare obediunt ei?* Ipse enim est *Caput omnis principatûs & potestatis.* Coloss. 2. & *omnia subjecit Pater sub pedibus ejus.* 1. Cor. 15. Sola refractariam se non rarò exhibet perversa voluntas nostra; præsumens, quàmvis durum sit, etiam contra stimulum calcitrare. Parce, Clementissime JESU, & rebellem coge ad obsequium. Præstat tibi parere, quàm orbi imperare.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam etiam eâ pollere in utroq; orbe, cœlesti & terrestri, potentiâ: ut ejus absolutæ voluntati resistere nemo, & nihil possit. Est Sapientissima: Unde nihil vult, quod fieri non potest, vel non expedit. Est apud DEUM Gratiosissima: Unde quidquid vult, facilè obtinet. Rectè S. Damascenus: *Quæcunq; volueris, potes; tanquam Mater illius, qui omnia potest.* Si ergo in favorem suorum clientum voluerit miscere Elementa: miscebit. Si flectere Superos: flectet. Si compescere Acheronta, compescet. Subest enim & ipsi, cùm voluerit, posse, tanquam Matri illius, qui omnia potest. Utere hâc potestate tuâ, ô Potentissima: & scuto bonæ Voluntatis tuæ protege, corona nos.

Propositum, v. gr. *ut in omnibus eventibus humillimè nos submittamus potentissimæ & sapientissimæ Voluntati Dei, Jesu & Mariæ.*

LECTIO PRACTICA.

Non resistendum, sed humiliter & promptè cedendum voluntati divinæ.

INsanam Ægyptij Pharaonis contumaciam miramur & detestamur omnes: quòd non solùm in arrogantissimas illas eruperit voces (Exod. 5.) *Quis est, Dominus, ut audiam voces ejus, & dimittam Israël? Nescio Dominum; & Israël non dimittam:* sed etiam tot & tam gravibus plagis castigatus, perstiterit in contumacia; & quàmvis tandem populum DEI dimiserit, mox tamen ad ingenium redierit, & coacto exercitu ad dimissos reducendos in servitutem, exarserit: sed stupendum longè magis est; quòd homines, quibus notior est DEUS, quàm Pharaoni, quibus non ignota clades ipsius, imò notissima ruina rebellium Angelorum, proscriptio inobedientium proto-parentum, dispersio contumacium Israëlitarum; & innumera alia recalcitrantium exempla; nihilominùs Divinæ Voluntati resistere; & cum Saulo contra stimulum calcitrare audemus.

Si Summa Divinæ Voluntatis Potentia, & infinita tanti Numinis Majestas nos non movet: movere certè deberet summa ejusdem submissio, quâ se voluntati nostræ accommodat. Jussit Josue Solem stare, & consummandæ victoriæ necessariam lucem impendere: Stetit, & diem duplicavit, *Obediente Deo voci hominis.* Jos. 10. Exarsit in internecionem Israëlitarum vindex DEUS, Exod. 32. sed Moysis oratione ultrices manus ligari sibi permisit; *placatusq; est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat.* Clauserat DEUS cœlum 3. Reg. 17. ne plueret super terram: nec aperire illud voluit, nisi juxta voluntatem & vocem Eliæ. Luctam ingressus cum Patriarcha Jacob Gen. 32. vinci se permisit, dimitti petijt, & desideratam impertijt benedictionem. Sed quid necesse est cumulare exempla DEI, in vota amicorum suorum pronissimi; cùm is perpetuus sit stylus Benignitatis ejus, *facere voluntatem timentium se.* Psal. 144. Illud nemo satis mirabitur: quòd etiam perversissimæ, & sibi infestissimæ ac exosissimæ peccantium voluntati tam facilis sese accommodet, concedendo ipsis usum Omnipotentiæ suæ ad enormissima scelera.

Præterea & amplissimis præmijs, & gravissimis comminationibus nos allicit ad faciendam voluntatem suam. Joan. 15. *Vos amici mei estis, si feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Matt. 12. *Quicunq; fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est; ipse meus frater, & soror, & mater est* Matt. 7. *Qui facit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum.* Quid amplius optare possumus? *Servi digni non sumus, & amici vocamur!* miratur Gregor. hom. 27. in Evang. imò ad fratris, sororis, & matris honores, atq; amo-

q; amores evehimur! Quodsi tam dulces & splendidæ illecebræ nos non capiunt: terreat fulmen, quod in contumaces vibrat. Job. c. 9. *Verè scio*, inquit, *quòd ita sit, & quòd non justificetur homo compositus Deo. Si voluerit contendere cum eo: non poterit ei respondere unum pro mille. Sapiens corde est, & fortis robore: quis restitit ei, & pacem habuit? Qui transtulit montes, & nescierunt hi, quos subvertit in furore suo. - - Deus, cujus iræ resistere nemo potest; & sub quo curvantur, qui portant orbem. Quantus ergo sum ego, ut respondeam ei, & loquar verbis meis cum eo?* Et quanti sumus nos; ut ei contumaces resistamus?

Deniq; ut efficaciter voluntatem nostram inducamus ad acquiescendum libenter omni voluntati divinæ, tria proposuit Christus ipse S. Catharinæ Senensi in Dial. vivâ fide credenda, & attentè consideranda, dum difficultatem sentimus in conformanda voluntate nostra divinæ. I. Ipsum esse *Potentissimum*: ideoq; nihil sine voluntate ipsius accidere posse; & adversa omnia facillimè ab ipso averti à nobis posse, si ita expedierit. 2. Esse *Sapientissimum*: ideoq; scire omnia in bonum convertere, idonea remedia malis adhibere, & perspectissimam habere fragilitatem nostram. 3. Esse *Optimum*: ideoq; non immittere, nec permittere vexationem nostram, nisi ob majus bonum nostrum. Unde S. Hieronymus in ep. ad Paulam: *Bonus est Deus: & omnia, quæ bonus facit, bona sint necesse est.* Quæ considerationes præsentissimum sunt remedium malorum nostrorum, & potentissimè flectunt voluntatem nostram ad acquiescendum omni voluntati divinæ. *Quare vano mœrore consumeris?* ait Christus apud Kemp. l. 3. c. 27 *Cur superfluis curis fatigaris? Sta ad beneplacitum meum, & nullum patieris detrimentum.*

FERIA IV. post Dom. V. post Pentecosten.

MEDITAIO: *De Mirabilibus Judicijs seu Decretis Dei & Christi, specialiter circa Deiparam V.*

1. ADora DEUM O. M. & considera sapientissimæ, sanctissimæ ac potentissimæ Voluntatis ejus mirabilia judicia seu decreta circa res creatas præsertim humanas. Studiosè convocat omnes S. Psaltes ad eorum considerationem. Psal. 65. *Venite & videte opera Dei: terribilis in consilijs super filios hominum.* Vocavit multos, elegit paucos. Novissimos facit primos, & primos novissimos. Qui vix unâ horâ operam præstiterunt, pares facit ijs, qui portârunt in eadem vinea pondus diei & æstûs. *Mortificat, & vivificat: deducit ad inferos, & reducit.* 1. Reg. 2. Quantumvis versutos *adducit consiliarios in stultum finem. & judices in stuporem: balthenm regum dissol-*

vit, & præcingit fune renes eorum. Job. 12. Hos unius criminis reos addicit supplicijs æternis: illos post vitam in sceleribus traductam donat veniâ & gloriâ æternâ. Et cùm hæc atq; similia fecerit; imò *si subverterit omnia, vel in unum coarctaverit; quis contradicet ei: vel quis dicere ei potest, cur ita facis?* Job. 11. Justus es, Domine, & omnia judicia tua justa! Confige salutari timore tuo cor & animam meam, ut à judicijs tuis timeam, & saluti meæ maturè consulam.

2. ADora D. JESUM, & considera ipsius quoq; mirabilia judicia & decreta. Pro omnium omninò salute natus & mortuus est; & tamen quàm plurimos perire sinit. Alijs venit Magister omnis veritatis, via, veritas & vita: alijs lapis offensionis & petra scandali. Respuit nobiles & sapientes; elegit rudes & infirma mundi, ut confunderet fortia. Magdalenam & Petrum respexit: Judam proditorem neglexit. Dextrum latronem assumpsit ad regnum: sinistrum damnavit ad æternum supplicium. Quàm altum judicium, & horrore plena sententia Matt. 8. *Dico autem vobis: quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac & Jacob in regno cœlorum: filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores!* O quantus in Agno latet leo! Quantus in agni balatu personat rugitus! Timeo judicia tua, Amab. Jesu, sed fac ut timor generet cautelam.

3. VEnerare DEIparam V. & considera mirabilia DEI judicia, seu decreta, circa ipsam. Quomodo singularissimo DEI favore ab æterno electa fuit in Matrem Christi ex infinita hominum congerie; simulq; à Divina Sapientia ordinatum, ut eam dignitatem mereretur. Quomodo dispositum: ut sicut à fœmina cœpit perditio generis humani; ita per hanc fœminam fieret initium salutis, & ipsa contereret caput serpentis antiqui. Quomodo per omnem vitam à partu Virgineo exercita fuit alternantibus lætis ac tristibus. Quomodo non simul cum Filio ascendente assumpta in cœlum, sed post annos complures exilij hujus &c. Adoro, ô Mater Admirabilis, mirabilia DEI circa te judicia; omnia ad maximam ejusdem & tuam gloriam ordinata. Impetra gratiam: ut & ego contentus vivam omni divinâ circa me dispositione.

Prop. v. g. *non conquerendi de hac illave Dei per Superiores circa me dispositione.*

LECTIO PRACTICA.

Adoranda, non curiosè scrutanda sunt Judicia Divina.

ARguens humanam inscitiam pariter & curiositatem DEUS, inter alias hanc justo Job proposuit quæstionem c. 38. *Judica mihi, si nôsti omnia; in qua via lux habitet, & tenebrarum quis locus sit? Ut ducas unumquodq; ad terminos*

terminos suos, & intelligas semitas domûs ejus? Non tenebras solùm Judiciorum divinorum penetrare non possumus; sed etiam ea, quæ lucida & manifesta videntur, quò colliment, & quem exitum habitura sint, non assequimur. Nimirum *Judicia Dei abyssus multa.* Psal. 35.

1. Abyssus multa sunt Judicia Divina in dispensatione bonorum naturalium. Nam ut S. Basilius hom. 8. in Psal. 33. super illa verba, *Ponens in thesauris,* (scilicet Intellectûs & Voluntatis suæ) *abyssos,* ait: Si igitur quæris, cur peccatoris vita prorogetur, justi autem incolatûs hujus dies abbrevientur? quare injustus prosperetur, justus affligatur? Cur unus aliquis puer ante ætatis perfectionem hinc auferatur? Unde sint bella, unde naufragium, unde terræ motus, siccitates, imbres immodici, cur quæ hominibus sunt exitialia DEUS creavit, cur hic servus, ille liber, hic ditescit, ille pauperescit? Deinde multa est in peccatis, multa etiam in rectè factis differentia. Hæc sanè omnia ubi inciderint menti tuæ; fac, memineris: quia judicia DEI sunt abyssus. *Adora, quæ non capis.*

2. Abyssus multa sunt Judicia divina in dispensatione Gratiarum Supernaturalium. Nam ut S. Augustinus lib. 2. de bono Perseverantiæ monet: Ex duobus ætate jam grandibus impijs cur iste vocetur ita, ut vocantem sequatur: inscrutabilia sunt judicia DEI. Ex duobus autem pijs, cur huic donetur perseverantia usq; in finem, alteri non donetur; inscrutabiliora sunt judicia ejus. - - Si quæratur: Cur apud eos tanta miracula facta sunt, qui videntes ea non fuerant credituri; & apud eos facta non sint, qui crederent, si viderent, dicente Domino: Væ tibi Corozain! Væ tibi Bethsaida! Quia si in Tyro & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in te, olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent: quid respondebimus? nisi, hæc ad divina Judicia pertinere. - DEI etiam occulto, justo tamen judicio contingit; quosdam post baptismum pessimè vivendo perituros; in hac tamen vita, quousq; pereant, detineri: qui non perirent, si eis corporis mors, lapsum eorum præveniens, subveniret. *Concludit denique*: Itaq; Misericordiam ejus in his, qui liberantur, & veritatem in his, qui puniuntur, sine dubitatione credamus: neq; inscrutabilia scrutari, neq; investigabilia vestigare conemur.

3. Abyssus plurima sunt Judicia Divina in distributione Gloriæ æternæ. Unde S. Hieronymus in c. 3. Eccle. illa verba: *Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum; & si spiritus jumentorum descendat deorsum?* explicat optimè de morte & æterna salute hominum proborum, & improborum, doctorum atq; rudium. Nam & probos doctosq; quosdam, qui vitam, ut

hominem decet, egerunt, graviter tandem esse lapsos, & æternâ salute excidisse, constat; & rudes non paucos, improbosq; nonnullos, pecuinam vitam ducentes, in morte resipuisse & salvatos esse, compertum est. Dum igitur & hos & illos videmus morientes; quis novit, quò ipsorum anima sit itura? ad Superos, an ad inferos? *Quis scit*, inquit, *utrùm Sanctus, qui hominis appellatione dignus est, ascendat in cœlum; & utrùm peccator, qui jumentum vocatur, descendat in terram, seu in infernum? Fieri enim potest utrumq; pro incerto vitæ hujus, & lubrico statu: ut & justus concidat, & peccator resurgat. Et nonnunquam evenit; ut rationabilior, & eruditus in Scripturis, id est homo, non circumspectè, & ut scientiâ suâ dignum est, vivat, & deducatur ad inferos: & simplicior quisq; atq; rusticior, qui jumentum, hominis comparatione, dicatur, meliùs vivat, & Paradisi fiat colonus.* Chrysostomus quoq;, explicans illud Matt. 8. *Multi ab oriente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac & Jacob: filij autem regni ejicientur in tenebras exteriores;* ait: Non Judæis solùm hoc accidit, sed multis quoq; fidelibus. Nam Judas filius regni erat, audivitq; cum alijs discipulis illud; *Sedebitis super sedes duodecim:* factus est autem gehennæ filius. At verò Æthiops, (Act. 8) quàmvis barbarus quidem esset homo, unus tamen eorum factus est, qui ab ortu atque occasu erant, suntq; venturi; ut cum Abraham, Isaac, & Jacob æternis bonis fruantur. Non ergo nimiùm confidant, qui stant; sed secum crebrò illud repetant 1. Cor. 10. *Qui stat, videat, ne cadat.* Nec desperent, qui ceciderunt, sed dicant secum: *Numquid qui cadit, non adjiciet, ut resurgat?* Psal. 40. Adoremus, quod non capimus: & timeamus.

FERIA V post Dominic V post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Impeccabilitate DEI, JESU atque MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: tam rectam, sanam & sanctam esse Voluntatem ejus; ut essentialiter sit Impeccabilis, & nulli obnoxius levissimæ culpæ, vel etiam imperfectioni. *Deus fidelis & absque ulla iniquitate, justus & rectus.* Deuter. 32. *Numquid iniquitas apud Deum? Absit.* Rom. 9. Voluntas enim ejus necessariò concordat cum ejus ratione & sapientia: imò est unum & idem cum ipsa. Unde summam dicit oppositionem cum peccato, cujus essentia est, opponi & adversari menti & legi rationis. Nostræ voluntatis ea est tum infirmitas, tum pravitas: ut non vereatur recedere à Regulis honesti, & agere contra mentem ac voluntatem DEI, abreptâ tum sensuum lenocinio, tum pravorum affectuum æstu. *Sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua.* Gen. 8. O Re-

8. O Rectitudo, Innocentia, & Sanctitas essentialis, subjice, conforma tibi tandem insolentissimam & perversissimam voluntatem meam. Pœnitet, quod tam crebrò, tam longè, tam impudenter recesserim ab illa.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quoq; omni ex parte fuisse Impeccabilem, etiam quoad naturam humanam. *Oportebat: ut nobis esset Pontifex Sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus &c.* Hebr. 7. Et 1. Pet. 2. de ipso dicitur: *Qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus.* Ipse Dominus non est veritus expostulare cum adversarijs suis, intentissimis in omnia gesta & dicta ejus: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Joan. 8. Quàmvis enim creata voluntas ejus secundùm se defectibilis fuit: per Visionem tamen beatificam & unitam sibi Sanctitatem divinam, quam ingens efficacissimarum gratiarum comitabatur copia, ita regebatur & sanctificabatur: ut nulli vel minimæ noxæ aut imperfectioni fuerit obnoxia; meritoq; Christus sit & semper fuerit *Sanctus Sanctorum*; Omnipotens; sed cum unica impotentia, scilicet peccandi. O anima Christi sanctissima, sanctifica me. O Agne immaculatissime, tolle, tolle, obsecro, non solùm peccata mea, sed etiam potentiam peccandi, ut non possim peccare in Te, Dominum meum!

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsam fuisse omnino Impeccabilem, non quidem per naturam, aut eo modo, quo Christus; sed per gratiam, titulo Maternitatis divinæ tam copiosè & cum tanta efficacia, ipsi communicatam: ut sine comparatione majorem contraxerit impotentiam peccandi, quàm Josephus ille, cujus gloriosa vox fuit: *Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Deum meum?* Gen. 39. At mihi nullum impossibile est peccatum; imò nullum, quod non committam, nisi tu, ô immaculatissima, ô innocentissima, ô sanctissima, largam & potentem Clienti tuo impetraveris gratiam.

Propositum, v. gr. *de implorandis gratijs divinis ad vitanda peccata.*

LECTIO PRACTICA.

Si nolumus; peccare non possumus.

IN multiplici infelicitate ea est felicitas nostra: quòd peccare non possimus, nisi volentes. Nec Superi, nec inferi nos adigere possunt ad peccandum. Ex Superis, adigere non potest DEUS: quia repugnat essentiali ejus Sanctitati, intendere & procurare peccatum. Non etiam Divi cœlites: quia hi divino ardentes amore nihil magis oderunt, quàm Offensam DEI: & disertè eam potestatem negat ipsis Apostolus Rom. 8. ubi cùm quæsivisset: Quis ergo nos separabit à Charitate Christi? Inter alia subjungit: *Neque*

Angeli, neq; Principatus, neq; Virtutes &c. Quòd id etiam non possit tota tenebrarum potestas, aut ulla alia creatura: testatur idem ibidem: *Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; Angeli &c. neq; instantia, neq; futura, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à Charitate Dei, quæ est in Christo Jesu, domino nostro.*

Præclarè declarat hoc ipsum S. Bernardus Serm. de duplici baptismo, & relinquenda propria voluntate; ubi advertit inprimis: Apostolum loco cit. protestantem: nullam omnino esse creaturam, quæ nos possit violenter separare à Charitate Christi, adigendo ad peccatum; non addidisse: Neque nos ipsos hoc posse. Quod enim nemo potest, soli nos ipsi possumus, volendo; seu ultrò consentiendo in peccatum; ideoq; solam habemus, quam maximè timeamus, voluntatem propriam.

Nimirum hæc est libertas, inquit cit. Bernardus, quâ Christus nos liberavit: ut nulla penitus creatura avellere nos, aut vim facere possit. Soli id deserere possumus propriâ voluntate abstracti, & illecti à propria concupiscentia. Præter hanc enim nihil est, quod timeamus. -- Ubi enim discretionis annos ingrediens (*homo*) redditur sibi: cæterorum utiq; violentiam nec tunc quidem formidare necesse est: sed ab ea, quæ dormit in sinu, caveat; propriâ scilicet voluntate. Erit fortè peccatum in foribus: sed appetitus ejus sub eo est; tantùm ipse aperire renuat, consentire recuset. Deniq; primos parentes non ursus aut leo; sed potiùs serpens, callidior utiq; non fortior cæteris animantibus, supplantavit: nec mulierem vir, sed mulier virum. Serpens, ô Eva, decepit te: decepit profectò, non impulit, aut coëgit. Mulier tibi, ô Adam, de ligno dedit; sed offerendo utiq; non violentiam inferendo. Neq; enim potestate illius, sed tuâ voluntate factum est, ut ejus voci plus obedieris, quàm divinæ. Cæterùm si ille sibi non præcavit ignavus: nos saltem nobis tot exemplis præmoniti, caveamus. Imò verò quoniam periclitati sumus & nos miserabiliter in hac parte: de cætero jam remedium aliquod tantis providere malis, solicitè studeamus. Quando enim fortis ille armatus, quem fortior superveniens alligavit, atrium illud, olim suum, valuit violentiâ aliquâ obtinere? Sed vacuum, sibiq; insipienter expositum domicilium reperit; & cum alijs septem nequioribus, non fortioribus, ingrediens, non irruens, liberè habitavit. Quis verò illum admisit, nisi propria voluntas? Ipsa est, quæ in potestatem tenebrarum denuò redijt; quæ nos iterum subdidit mortis imperio. Veni, Domine JESU, etiam nunc: JESU Bone, ejice iterum fortiter, quem nos insipienter admisimus. *Concludit denique:* Studeamus proinde

proinde dilectissimi immaculatos nos ab hoc sæculo custodire, scientes; quoniam religio munda, & immaculata coram DEO hæc est. Caveamus autem à propria voluntate, tanquam à vipera pessima, & nequissima, & quæ sola deinceps damnare possit animas nostras.

Ex his patet: nobis non tantopere accusandum esse dæmonem, vel quosvis alios, qui occasionem peccandi nobis dederunt; quàm nosmetipsos. Nisi enim ultrò consentire placuisset: dæmonis, aut aliæ quævis machinæ & illecebræ nihil profecissent. Nam, ut doctè notavit S. Augustinus Serm. 167. de Temp. dæmon à fortiore Christo *alligatus est, tanquam innexus canis catenis; & neminem mordere potest, nisi eum, qui se illi mortiferâ securitate conjunxerit. Latrare potest, solicitare potest; mordere omnino non potest, nisi Volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* Unde etiam S. Macario se spectandum exhibuit; non vario armorum genere instructum, sed onustum multis vasis vitreis, liquores varios continentibus. Transeuntem ante cellam suam cùm interrogâsset Sanctus: quid cum illa vasorum farragine facturus esset? In procinctu se esse, respondit: ut inde Monachis ipsius propinaret, quidquid cujusq; gustui opportunum esset.

Ut è tantis periculis, illecebris & insidijs salvi evadamus: non aliud præsentius est remedium, quàm obstinatâ voluntate dicere: *Nolo.* Non discutiendum: an ad magnum vel parvum trahamur peccatum; non examinanda multùm tentatio: sed rotundè dicendum: *Nolo:* & in hoc persistendum.

FERIA VI. post Domin. V. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Odio DEI, JESU & MARIÆ erga peccatum.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quanto odio feratur in peccatum quodvis. Peccatum & peccator sunt unicum objectum odij divini. *Diligis enim omnia, quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.* Sap. 11. at de peccato & peccatore dicitur ibid. c. 14. *Similiter autem odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Peccatum enim & peccator non sunt opus DEI, sed peccantis. Est autem odium hoc erga peccatum quodvis, etiam minimum, implacabile, æternum, infinitæ amaritudinis, indignationis, abominationis. Quæ indignatio & abominatio cum horribili ira atq; ultione redundat in ipsum peccatorem, vel unius gravis culpæ reum. Magnitudinem hujus odij divini satis manifestant innumeræ & gravissimæ calamitates propter peccata immissa generi humano, æterna inferni supplicia impijs angelis & hominibus irrogata; DEI Filius, Redemptor noster, ipsa Inno-

centia & Sanctitas, tam crudeliter percussus, tam ignominiosè occisus propter peccata aliena. Et adhuc peccare amamus? In peccato mori non timemus? DEUM offensum placare non curamus? Ah quòd te offenderim, DEUS! Quòd me tibi tam invisum fecerim & abominabilem! Doleo intimè. Parce misericordissime.

4. ADora D. JESUM & considera: ipsum quoq; summè odisse & detestari omne peccatum. *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus* &c. Psal. 44. Et quidni oderit, aut quomodo leviter oderit, quod tantorum malorum & dolorum ipsi causa fuit? cujus enormitas vivaciùs objecta, sudorem sanguineum illi expressit? At levius bono JESU est, tanta peccati causâ toleràsse: illud prorsus intolerabile; quòd DEI, super omnia æstimabilis, amabilis & venerabilis, sit offensa & contemptus impudentissimus: quòd hominem, unicè sibi charum, pessimè deformet, exosum reddat, & supplicijs æternis dignissimum faciat. Unde quisquis gravem aliquam noxam committit, ægriùs facit Christo, quàm si sine peccato ipsum quibusvis excogitabilibus modis, etiam inferni pœnis, cruciaret. O quantum malorum inferimus tibi, dum ad peccandum nos resolvimus, Amabilissime, Gratiosissime, Divinissime JESU! Ah aperi mihi perennes lacrymarum fontes, ut defleam insaniam meam.

5. VEnerare DEIparam V. & considera: quantopere & ipsa oderit peccatum. Cùm summè & ineffabiliter æstimet, diligatq; DEUM, & JESUM suum: necesse est summè & ineffabiliter ipsi grave, odibile, invisum & abominabile esse, quidquid illis tam injuriosum & invisum est. Non ignoravit insuper: peccatum esse malorum omnium pessimum; esse noxiorum omnium nocentissimum, fœdorum omnium fœdissimum. Unde non dubitavit: ad illud tollendum vel impediendum, quæcunq; possibilia subire tormenta, si ita DEO placeret. Et adhuc audebimus Clientes Mariani tam enormi & Dominæ nostræ tam abominandâ labe nos inquinare? Non ampliùs, ô Domina! non ampliùs! Da mentem saniorem.

Propos. v. g. *de vitando omni studio, saltem gravi quovis peccato, præsertim N.*

LECTIO PRACTICA.

De summo cujusvis peccati odio concipiendo.

COncipiemus id facilè: Si attenderimus tum ad naturam, tum ad effectus ejus. Natura cujusvis peccati, etiam minimi, consistit in eo: quòd sit *Voluntaria transgressio Divinæ Legis*; ideoq; *voluntaria Offensa Dei Opt. Max.* Quantum autem piaculum sit; ab homine ultrò offendi DEUM: manifestum est ex hujus Excellentia infinita, & Majestate summa; illius au-

tem vilitate infinitâ, & impudentiâ summâ. Unde S. Paulinus ep. 14. *Nescio*, inquit, *an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum* (seu offensam) *admittitur. Estque ille prudentissimus, qui non tam considerat, quod jussum est, sed quis jusserit; neq; quantitatem imperij, sed imperantis cogitat dignitatem.* Certè culpa omnis, etiam venialis, & inter veniales minima, majus est malum, quàm sint omnia mala pœnæ in unum collecta; quia est malum ordinis superioris, quod gravitatem sumit à persona offensa, quæ est infinitæ dignitatis. Deinde pœnam quamvis, à culpa distinctam, velle potest DEUS, & optare sibi homo probus: culpam non potest. Quòd verò quædam peccata dicantur levia, & venialia; id fit per comparationem cum mortalibus; non autem, quòd in se non sint grandia mala.

Quantum sit malum quodvis peccatum, latè & eruditè declarat Lancicius in Opusculo de Fuga peccatorum venialium. *Inprimis* omne peccatum est pejus quâvis morte corporali. Quàmvis enim, ut ait S. Bern. Serm. 2. in Festo SS. Petri & Pauli, *nihil inter homines humano judicio plus morte horreatur:* si tamen eò veniatur, ut aut peccandum, aut moriendum sit: ibi oportet, ut quisque ratione utens, *eligat Deo dilecto emori, quàm offenso vivere*; inquit S. Augustinus tr. 52. in c. 12. Joan. Unde S. P. N. Ignatius lib. Exercit. in 2. gradu Humil. ait: *Nullâ, vel humanæ quantæcunque felicitatis, vel propriæ mortis conditione propositâ adducar: ut culpam, licèt venialem tantùm decernam admittere.* Potiorem esse mortem peccato, vel ipse agnovit docuitq; Aristoteles lib. 3. Eth. *Meliùs est mori*, inquit: *quàm facere aliquid contra bonum virtutis.* Et quid contra DEUM? Gloriosa est, sed simul necessaria, illa S. Edmundi Episc. Cantuar. resolutio: *Malo insilire in rogum ardentem, quàm peccatum ullum sciens admittere.* De SS. Martyribus scribit S. Justinus M. in Apolog. 2. *Eos maluisse mori, quàm vel semel mentiri.*

Secundò Omne peccatum pejus est Inferno; tum quia propter solum peccatum factus est Infernus, & tot tamq; gravibus tormentis instructus; quibus nihilominùs adhuc infra condignum, ut docent Theologi, puniuntur peccata: tum quia infernum DEUS non odit, sed amat tanquam instrumentum seu ergastulum reorum læsæ Majestatis suæ, & ut medium valde efficax ad absterrendos homines à peccatis: peccatum verò quodvis implacabiliter & essentialiter odit. Unde B. Catharina Genuensis c. 24. Vitæ; rectè dixit: *Qui perspiciunt, quanti momenti sit Dei offensa, non possunt alium æstimare cruciatum, neq; alium infernum, quàm illam ipsam offensam. Omnia alia hujusmodi tormenta sunt in illius comparatione solatia.* Et rursus: *Quando mihi concessum fuit intelligere; quàm pavescenda sit umbra minimi actûs, qui sit contra De-*

tra Deum: nescio, cur è vivis non excesserim. Non miror ampliùs infernum esse tam horrendum, Imò videtur mihi: quòd Deus multò minorem ipsi horrorem indiderit. Sola obscura visio hac de re (de malitia peccati venialis) *mihi oblata, quæ non nisi momentanea fuit, si paulò diutiùs durâsset; licèt corpus habuissem plus quàm adamantinum, interijssem.* Non mirum ergo videbitur, quod scripsit S. Chrysost. homil. 17. in Matth. *Etsi multi gehennam omnium malorum supremum atq; ultimum putant: ego tamen sic censeo, sic assiduè prædicabo: multò acerbius esse Christum offendere, quàm gehennæ malis vexari.*

Tertiò, Omne peccatum est pejus diabolo: tum quia diabolus absque peccato erat creatura optima, & nunc natura ejus secundùm se est valde bona; peccatum autem, etiam minimum, est intrinsecè, & essentialiter malum & detestabile: tum quia diabolo omnem, quam habet, enormitatem induxit peccatum. Est autem jam diabolus tam horrendum monstrum: ut, si DEUS illum nobis exhiberet cum omni enormitate sua; *continuò mente dimoveremur, & solutis artuum compagibus* (præ tremore) *evolaret animus è corpore:* inquit S. Chrysost. in Psal. 41. S. Antonius refert de Religioso, qui revocatus ad vitam affirmabat: Se malle transire per mundum aliquem ardentem, quàm iterùm dæmonia videre.

Deinde, ut notat S. Chrysost. hom. 28. in ep. ad Rom. Dæmon per se spoliare nos non potest gratiâ divinâ & cœlo, & dejicere in infernum: sed subinde fit: ut prosit forti ac vigilanti, augeatque coronas: Peccatum verò omninò excludit, & est unicum medium, quo nos perdit diabolus. *Peccatum* ergo *dæmone pejus*, inquit, *ejiciamus. Voluntarius quippe dæmon est peccatum, spontanea insania:* imò Omne Malum rectè dici potest. Quid odibilius & detestabilius?

SABB. post Dom. V. à Pentecoste.

MEDITATIO: *De Voluntate DEI permissiva peccatorum.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quòd quàmvis summo odio detestatur quævis, etiam minima, peccata; nihilominùs permittat patrari plurima & gravissima. *Constituit* enim *ab initio hominem: & reliquit illum in manu consilij sui*, datâ libertate ad agendum bene & malè. *Apposuit tibi aquam & ignem: ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita & mors; bonum & malum: quod placuerit ei, dabitur illi: quoniam multa Sapientia Dei, & fortis in potentia, videns omnes sine intermißione.* Eccli. 15. Voluntarium vult hominis obsequium. Allicit ad bonum: permittit peccata tum ad demonstrandam Justitiam suam; tum ut ex illorum

occasione per Sapientiam suam infinitam maxima eliciat bona; tùm ut suam exaggeret bonitatem, dum benefacit etiam malis. At nos decet, non abuti hac permissione in DEI offensam, & nostrum interitum. Quin potiùs voluntariè sacrificemus DEO hostiam laudis & gratiarum actionis; quòd tam liberaliter nobiscum procedat, & non tractet nos ut jumenta. Tibi, Magne DEUS, defero, & ultrò subjicio omnem libertatem meam. Voluntario tuo utere, ut lubet, mancipio.

2. ADora D. JESUM, & considera: quid honoris illi accesserit ex permissione peccatorum. Convenit equidem illi propter ipsam excellentiam Personæ propriæ omnis honor & gloria: at amabilissimum & gloriosum Redemptoris titulum, peccato non permisso, non obtinuisset; nec Fortitudo ejus, exercita in devincendo diabolo, mundo & morte, tam illustris fuisset; nec Charitas in dilectione inimicorum suorum & redemptione peccatorum demonstrata, ita eminuisset. *Commendat* specialiter, *charitatem suam Deus in nobis: quoniam, cùm adhuc peccatores essemus secundùm tempus; Christus pro nobis mortuus est.* Rom. 5. Quàm imprudentes igitur sumus nos in peccatis committendis, tam sapiens DEUS in ijs permittendis. Gratulor tibi, Gloriosissime JESU, honores, quos occasione peccatorum nostrorum ex opere Redemptionis nostræ tibi comparâsti. Da gratiam: ut & ego ex peccatis meis lucrum faciam, & honorem merear Eximij Pœnitentis.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsi multum accessisse honoris ex permissione divina peccatorum. Nam vel in Matrem DEI evecta non fuisset: vel partis ex cooperatione in redemptione nostra, & amore protectioneq; peccatorum, gloriosis titulis caruisset. Nunc à nobis suspicitur & colitur ut peccatorum Refugium, peccatorum Medicina, peccatorum Salus &c. Quisquis enim peccatorum pondere pressus, rigorem Judicis formidat anxius: ad MARIAM suspirat, in MARIA respirat. O peccatorum Refugium ultimum, ad te recurro peccatorum primus: fac; ut non agam, quod DEUS permittit solùm, sed quod ei & tibi placet, & maximè placet.

Propos. v. gr. *agendi, non quod Deus permittit tantùm; sed quod vult & mandat.*

LECTIO PRACTICA.

De Medijs præservantibus à Peccatis.

QUàmvis DEUS Opt. Max. æquissimis ex causis statuerit, permittere in hoc terrestri mundo peccata: tot tamen suppeditavit nobis motiva & media ad illa fugienda; ut vix possimus peccare, si ijs, ut decet, uti velimus.

1. Ab-

1. Absterret nos à quibusvis peccatis ipsa eorum *Enormitas:* quòd scilicet quodvis, quantumvis videatur leve, sit *Offensa Dei:* quod certè nihil leve sonat; prout heri declaratum.

2. Absterret nos *Odium*, quo DEus prosequitur impium & impietatem ejus, Sap. 14. Quò enim quis magis bonus est, eò magis odit & detestatur malum morale. Cùm igitur DEus sit infinitè & summè bonus: necesse est, ut odio summo & infinito prosequatur omne peccatum, & ipsum peccatorem, qui ejus gratiâ excidit; ei verò, qui in gratia mansit, multos subtrahit favores, & inenarrabiles decrevit pœnas. Quis ergo sanæ mentis peccare amet?

3. Absterrent imminentia *quatuor Novissima*, Mors, Judicium, Cœlum, Infernus: quorum frequentem attentamq; commendat memoriam Siracides Eccli. 7. *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua: & in æternum non peccabis.* Imminet Mors, ereptura nobis inordinatè amata. Imminet Judicium rigidissimum, in quo Judex Potentissimus, Sapientissimus, Justissimus: ut ait Innocentius III. lib. 3. de Contemp. Mun. c. 14. Potentissimus, quem nemo potest effugere; Sapientissimus, quem nemo potest latere; Justissimus, quem nemo potest corrumpere. Decretoria sententia reos lethalis culpæ æternùm excludit Cœlo, includit Inferno: minori noxæ obnoxios, heu! quàm ærumnoso addicit ergastulo, quàm mordacibus expiat ignibus!

4. *Atrocitas Passionis Christi.* Si enim hæc in viridi; quid fiet in arido! Si Filio Unigenito non pepercit DEUS, sed plagâ tam crudeli percussit eum propter peccata servorum nequam: quid faciet cum servis ipsis, tali exemplo non emendatis?

5. *Ingentia damna*, quæ infert quodvis peccatum mortale. Nam 1. spoliat DEI gratiâ & amicitiâ, atq; familiaritate Spiritûs Sancti. 2. Paternâ DEI Providentiâ. Non enim jam ut filius, sed ut servus contumax, & asinus recalcitrans tractari meretur peccator. 3. Participatione Meritorum Christi. 4. Donis Spiritûs S. & virtutibus infusis, præter Fidem & Spem. 5. Communione Sanctorum. 6. Meritis collectis, & fructu omni bonorum operum. 7. Pace, seu tranquillitate Conscientiæ. Facit autem I. Inimicum DEI & hostem. II. Filium & mancipium diaboli. *Qui enim peccatum facit, ex diabolo est.* 1. Joan. 3. III. Servum peccati. Qui facit peccatum, servus est peccati; ait Christus Joan. 8. IV. Stultum, imò stultorum stultissimum. *Cogitatio stulti peccatum est.* Prov. 24. V. Brutum, & Monstrum creaturæ rationalis. In S. Literis sæpe Jumentum appellatur

peccator,

peccator. VI. Sordidum, ut pannus menstruatæ, ut sus in volutabro luti. VII. Spirans Cadaver. *Nomen habes, quòd vivas, & mortuus es*. Apoc. 3.

6. Juvant plurimum ad abstinendum à peccatis illæ Illustrationes mentis & Inspirationes Divinæ, atq; Commotiones animi, quas DEus tum in alijs occasionibus, tum tempore tentationis operatur in nobis, ut avertat à peccato: ad quas si animum vivaciter advertimus; refrigescit facilè æstus affectûs inordinati.

7. Usus frequens & devotus SS. Sacramentorum, præsertim Pœnitentiæ & Eucharistiæ. De illa ait S. Ephrem. lib. de Judic. Extr. *Compunctio sanitas animæ est, illuminatio mentis*. In V. Eucharistia & pharmaca præsentissima, & omnem armaturam fortium habemus, & ipsum gratiarum omnium fontem.

8. Memoria præsentis DEI tum aliàs, tum maximè tempore urgentis tentationis. *In omnibus vijs tuis cogita Dominum: & ipse diriget gressus tuos*. Prov. 3.

9. Recursus ad DEUM per Orationem humilem & ferventem. *Oculi mei semper ad Dominum: & ipse evellet de laqueo pedes meos*. Psal. 24.

10. Memoria Passionis Dominicæ, & intuitus Imaginis Crucifixi, flagellati, cruce onerati &c. JESU. Recurret facilè illud Deuter. 2. *Hæccine reddis Domino, popule stulte?* Et: Hæc ego pro te: quid tu pro me? Gravior est mihi iniquitas tua, quàm crux mea.

11. Recursus ad DEIparam V. & Sanctos Patronos. Juvare possunt, & volunt, modò ipsi nos non desimus nobis; sed faciamus, quod in nobis est.

12. Varij eventus & tragici casus peccantium admonent nos officij nostri, & cautelæ.

13. Fuga occasionum peccandi. 14. Resistentia fortis initiò tentationis. 15. Custodia diligens sensuum. 16. Mortificatio Passionum. 17. Castigatio corporis. 18. Lectio piorum librorum quotidiana. 19. Quotidiana pia Meditatio. 20. Quotidianum Examen diligens Conscientiæ.

Hæc, & his plura, tantaq; habentes præsidia adversus peccatum, *Quare moriemini domus Israël?* Ezech. 18. Cur vos in tantam malorum abyssum ultrò præcipitabitis? Profectò ex te *perditio tua Israël: tantummodo in me auxilium tuum*. Oseæ 13.

DOMINICA VI. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Sanctitate DEI, JESU & MARJÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum non solùm sanctum esse, sed ipsam substantialem Sanctitatem, eamq; summam & infinitam.

Ter Sanctum incessabili trisagio proclamant Seraphini Isa. 6. *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth!* Sanctus, quia voluntas ejus conformissima est legi æternæ, seu rectissimo judicio mentis ejus. Sanctus: quia per ipsam essentiam suam immunissimus est ab omni peccato, magisq; illi opponitur, quàm lux tenebris. Sanctus: quia omni possibili, eâq; simpliciter infinitâ, perfectione gaudet. In his enim tribus vera Sanctitas consistit. Non exprimunt autem Seraphini aliam perfectionem, quàm Sanctitatem: quia potissima agentium liberorum laus est à Sanctitate. At ipsi, quàm longè absumus à Sanctitate vera? Suspicimus illam, sed quasi ad nos non pertineret: quasi non audivissemus illud Levit. 11. *Sancti estote, quoniam & ego Sanctus sum.* O Sancte DEUS! O Sanctitas DEUS, sanctifica me: qui totus in peccatis natus sum, adolevi, & consenesco!

2. ADora D. JESUM, & considera ipsius etiam Sanctitatem summam. Non solùm enim Sanctus erat, & est, per Gratiam justificantem & sanctificantem, ut homines & Angeli: sed per ipsam increatam & infinitam Sanctitatem divinam humanitati unitam; ut meritò Daniel. 9. appelletur *Sanctus Sanctorum*, tum quia sanctitate eminet super omnes creatas & creabiles creaturas, tum quia modo specialissimo habet omnem & summam, tam physicam, quàm moralem. *Non est Sanctus, ut Dominus*, Salvator noster. 1. Reg. 2. Veneramur quosdam, ut Dominos Sanctissimos, Sacratissimos dicimus Imperatores &c. at non est Sanctus ut Dominus JESUS noster. O Pontificum Summe & Sanctissime, ô Imperatorum Maxime & Sacratissime, sanctifica me. Suscepisti me in servum tibi: non decet utique servos moribus tam diformes esse Dominis suis. Servi principum terræ vestiuntur mollibus & splendidis: tu animam meam vesti veræ sanctitatis habitu, & moribus sanctis, ne tibi sim dedecori.

3. VEnerare DEIparam V. & considera ipsius quoq; summam & incomparabilem Sanctitatem. Suspirat ad illam S. Andreas Cretensis: *O Sancta, & Sanctis Sanctior, omnis Sanctimoniæ supersancte Thesaure!* Sive enim vera perfectaq; Sanctitas cum S. Dionysio dicatur Impeccabilitas & Puritas omninò immaculata & perfecta: sive conformitas tum actualis tum habitualis cum recta ratione: sive Amabilitas divina, & condignitas ad Beatitudinem summam: omnia hæc in DEI Matre Virgine fuerunt, & sunt summa; omne momentum erat Sanctitatis incrementum. At ego, quando tandem de illa comparanda cogitabo? Excita, stimula torpentem, ô Sanctissima. Prope enim est, ut fiam peccator insignis; si non curo, ut sim insigniter Sanctus.

Proposi-

Propositum, v. g. *de assumendo tandem vero studio solidæ Sanctitatis.*

LECTIO PRACTICA.

De Studio Veræ Sanctitatis.

QUod Israëlitis dictum est à Domino Levitic. 11. *Sancti estote: quia Sanctus sum:* potiore titulo pertinet ad Christianos, ac potissimùm personas Ecclesiasticas & Religiosas, tum ratione Vocationis & Officij sui, tum ob majorem gratiarum profusionem in Lege nova ex meritis Christi. Unde 1. Petr. 2. Christiani vocantur Genus Electum, & *Gens Sancta:* & Paulus Apostolus passim in Epistolis suis Christianos *Sanctos* nuncupat; ut 2. Cor. 1. *Omnibus Sanctis, qui sunt in universa Achaia.* Et Ephes. 1. *Omnibus Sanctis, qui sunt Ephesi.* Et Philip. 1. & 4. *Omnibus Sanctis, qui sunt Philippis. Salutant vos omnes Sancti* &c.

Quodsi Christianorum quorumvis professio est vitæ morumq; sanctitas; quantò magis eorum, quos ex omni populo Sanctorum selegit Christus in sortem suam, & ministerium: & qui ultrò se addixerunt perpetuo cultui & obsequio divino? Vita Sacerdotis præponderare debet vitæ laicorum, sicut præponderat gratia naturæ: ait S. Ambrosius libr. 3. epist. 25. Nam teste S. Bernardo in Ecce nos reliquimus &c. *Sacerdos cæleste tenet officium, Angelus Domini exercituum factus est.* Cavendum ergo; ne etiam in his Angelis DEUS reperiat pravitatem: & ut apostatis Angelis post delictum non est data gratia & tempus pœnitendi; sic & istis justo DEI judicio subtrahatur. Nam ut monet S. Gregorius hom. 9. in Evang. *Cùm augentur dona, etiam rationes crescunt donorum.*

Religiosorum non minor, imò major est Obligatio ad sedulum veræ sanctitatis studium. Nam ut S. Bernardus tr. de Vita Solit. c. 2. ait: *Altissima est professio vestra, cœlos transit, par Angelis est, Angelicæ similis puritati. Non enim solùm vovistis omnem sanctitatem*, ad quam etiam sæculares tenentur; *sed omnis sanctitatis perfectionem* (quod scilicet ad eam tendere velitis) *& omnis consummationis finem. Non est vestrûm, circa communia præcepta languere: neq; hoc solùm attendere, quid præcipiat Deus; sed quid velit; probantes, quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta. Aliorum est enim Deo servire: vestrum adhærere. Aliorum est credere, scire, amare, revereri: vestrum est sapere, intelligere, cognoscere, frui. Magnum est hoc, arduum est hoc: sed omnipotens & bonus Deus est, qui in vobis est pius promissor, fidelis redditor, & indefessus adjutor.*

Obligationem Religiosorum tendendi ad Perfectionem, seu Sanctitatem, (hæc enim idem significant) esse gravem, sub mortali scilicet peccato;

late ac erudite ex SS. Patrum, Theologorumq; sententijs ac rationibus probat Nirembergius Doctrinâ 4. Ascet. cap. 25. & seqq. ac tandem c. 34. sequentibus concludit Assertionibus. *Prima est:* Religiosum teneri, & obligatum esse ad tendendum ad perfectionem. Et hæc est omnium Doctorum. *Secunda est:* Religiosum, qui non intendit perfectionem, sed contentus est solâ præceptorum & votorum observantiâ, quatenus obligant sub mortali, nihil ampliùs volens proficere, peccare in hoc, & suæ obligationi non satisfacere. Quæ etiam est sententia omnium. *Tertia est:* Religiosum verè contemnentem perfectionem (*idem de studij perfectionis contemptu*) peccare mortaliter. In hoc etiam conspirant omnes. *Quarta* & certissima est: teneri saltem omnes Religiosos ad ea media perfectionis seu sanctitatis, quæ in singulorum regulis & constitutionibus præscribuntur. Qui enim tenetur ad certum finem, etiam obligatur ad media proportionata fini tali: hæc autem non alia sunt, quàm quæ in Regulis præscribuntur. *Quinta.* Rationes, quibus eam obligationem probat S. Thomas, alijq; Patres & Doctores, nimirum ratione periculi committendi grave aliquod mortale & violandi substantiam votorum, & ratione simulationis hypocriticæ, ratione mendacij & voti impliciti: videntur probare obligationem sub mortali, etiam secluso contemptu perfectionis & sanctitatis.

Advertendũ autẽ: non hoc ipso contrahi à Religioso gravẽ culpã, si non sit actu perfectus, & eximiè sanctus, sed solùm obligationẽ esse, ut studeat esse sanctus, tendatq; ad perfectionem sui statûs propriam: (prout declarat S. Thom. 2.2. q. 184. art. 4. ad 2.) per observationem regularum. Quæ obligatio non tam est onerosa, quàm gloriosa, & meritoria magni præmij: sicut dum quis è gregario milite adscribitur inter Prætorianos, vel altiora officia; quæ quidem graviorem aliquam important obligationem, sed simul honorem & præmia majora. Proinde, in quocunq; statu sitis, *Sancti & Justi gaudete in Domino, Alleluja:* quoniam *vos elegit Deus in hæreditatem sibi, Alleluja:* meritò canit & exultat Ecclesia.

FERIA II. post Domin. VI. post Pentecosten.

MEDITATIO: *DEVS, JESVS & MARIA, Sancti in omnibus operibus suis.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: eum ut in se, ita etiam in omnibus operibus suis Sanctum, imò Sanctissimum esse. Celebrat hanc ejus Sanctitatem Sacer Psaltes repetitis, in eodem Psalmo 144, vicibus. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis: & Sanctus in omnibus operibus suis.* Nam & in promissis ipsius nulla invenitur fallacia; vel ad præstandum impotentia; & in exercitio Justitiæ nec nimius rigor, nec nimia dissimulatio, vel per-

vel personarum acceptio. Sanctus in omnibus operibus suis. Opera enim ejus & à rectissima intentione procedunt, tenduntq; ad honestissimos fines tam proximos, quàm ultimum; & fiunt modo debito, à Summa Sapientia ordinato; & Auctoris sui Providentiam admirandam, Clementiam, Justitiam, Sapientiam, Potentiam & Sanctitatem annunciant. Non ergo humana temeritas in operibus divinis carpere præsumat, quod vel non capit, vel sibi adversum sentit. Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus DEUS noster in omnibus operibus, verbis, & cogitationibus suis! Benedicam te, Domine, in omni tempore & in omni opere tuo.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm Sanctus & ipse fuerit atq; sit in omnibus operibus suis. Quidquid enim agebat mente, ore, vel manu; corrumpi, vel vitio aliquo minimo inquinari non poterat, sive per ignorantiam; Sapientia enim erat infinita: sive per æstum indomitorum affectuum; nullis enim laborabat: sive per intentionem finis alicujus inordinati, cùm enim DEUS esset, operari non poterat, nisi ob finem aliquem altissimum & sanctissimum. Unde nec vanitate aliquâ inanis gloriolæ afflari poterat mens ejus. Nihilominus ut nobis normam præberet magna & sancta agendi sanctè: infirmis miraculo curatis præcipiebat subinde; ne cui dicerent: Sed quantò magis eis præcipiebat, tantò magis plus prædicabant; & eò ampliùs mirabantur, dicentes: *Bene omnia fecit!* Mar. 7. At nostra dicta factaq;, etiam quæ recta sanctaq; videntur, quantis inquinantur & corrumpuntur imperfectionibus, vanitatibus, ignorantijs, defectibus, excessibus! Quando illucescet dies, vel hora, quâ dicere de me licebit: Bene hâc horâ omnia fecit.

3. VEnerare DEIparam V. & considera ipsam quoq; Sanctam, imò Sanctissimam, quantum puræ creaturæ fas est, in omnibus operibus suis. Etenim Sapientia, gratia, & manus Domini erat cum illa (*Dominus tecum.* Luc. 1.) idq; præsentiùs & uberiùs, quàm cum cæteris Sanctis. Unde omnia opera ejus, verba, & cogitationes, fiebant in Spiritu S. dirigebantur ad maximam DEI gloriam, absolvebantur perfectione longè majore; quàm si ab Angelica mente procederent. O Sancta, & Sanctis Sanctior, gaudeo tantâ operum tuorum Sanctitate. Doce & me sanctificare opera mea: ut in omnibus resplendeat virtus, & gloria Dei quàm maxima.

Proposit. v. gr. *de operibus pietatis absolvendis perfectiùs: ut Sancta fiant sanctè.*

LECTIO PRACTICA.

Modus optimus acquirendi Sanctitatem est ordinaria opera nostra sanctè seu perfectè agere.

 Sanctitas,

SAnctitas, quam procurare tenemur, alia est Habitualis, alia Actualis. Illa consistit in Gratia Sanctificante, seu Habituali, quâ justificamur peccatores, & in sortem filiorum DEI evehimur. Ista consistit in Operationibus seu Actionibus DEO gratis & sanctis. Nam, ut S. Thomas 2. 2. q. 81. art. 8. docet: *Sanctitas dicitur, per quam mens hominis se ipsam & suos actus applicat Deo.* Et paulò pòst: *Sanctitas dicitur, secundùm quod homo non solùm hæc,* (id est, Actus Religionis) *sed etiam aliarum virtutum opera refert in Deum.*

Non est ergo, cur turbemur; dum audimus: debere nos sanctè vivere, & opera nostra sanctè peragere. Vera enim & solida Sanctitas non est posita in stupendis mentis excessibus seu raptibus, neq; in patratione mirabilium, neq; in multis & valde arduis operibus supererogatorijs: sed inprimis juxta S. Dionysium Areopag. lib. 12. de divin. Nom. *est ab omni scelere libera, perfectáq;, & penitus incoinquinata munditia:* deinde secundùm S. Thom. cit. consistit in operatione perfecta; ut scilicet ea, quæ agimus, studeamus agere perfectè, sive magna sint, sive parva; ut omnis quotidiana actio nostra redundet in magnam DEI gloriam, & suavissimum ejus gustum. Talis Sanctitatis studium inculcabat, & inculcari frequenter voluit Nostris, P. Hieronymus Natalis, vir doctrinâ, prudentiâ & virtute magnus, & à S. P. Ignatio plurimi æstimatus: ut scilicet conarentur ordinarias quotidianas actiones, quas vel regula, vel ratio officij præscribit, aut privata devotio suadet, peragere quàm perfectissimè. Non enim fieri potest: ut quis toto die in id intentus, ut, quidquid occurrit agendum, agat perfectè (id est, eo planè modo, quo tale opus agendum est) & non evadat in Sanctum: siquidem hoc ipso studio & evitat non tantùm peccata, sed etiam imperfectiones, & egregiè se exercet in omnigena virtute.

Eodem argumento excitabat suos ad solidam sanctitatem & perfectionem S. Antonius. Græci, inquiebat, Philosophiam & reliquas scientias comparaturi, longa suscipiunt itinera, vasta trajiciunt maria, maximis se laboribus & periculis objectantes; nos verò, quò virtutem & perfectionem, quæ vera & genuina Sapientia est, adipiscamur; nulla necesse est adire pericula, nullos subire Herculeos labores, ne quidem domo pedem efferre; quia domi, quin imò intra nos ipsos, illam reperiemus, *Regnum dei intra vos est.* Luc. 17. In rebus enim illis ordinarijs & quotidianis, quas agitis, perfectio & sanctitas vestra versatur.

Hâc viâ ad eximiam sanctitatem evaserunt Angeli Societatis nostræ B. Stanislaus Kostka, Aloysius Gonzaga, Joannes Berchmans, & plurimi alij, non tam

non tam miraculorum multitudine & magnitudine illustres, quàm ordinariè gerendis, extraordinario studio & perfectione gestis, insignes. De B. Kostka tradit Sacchinus Histor. S. J. lib. 4. n. 68. *Ita cunctis in rebus absolutam honesti formam tenore æquabili expressit; ut vel usitata domesticæ disciplinæ munera obiens, quendam ijs splendorem præcipuum, quandamq; præter solitum lucem adderet; sic, ut etiamsi nil, nisi quod cæteri, faceret: videretur tamen plura facere & ampliora, quàm cæteri. Et scilicet faciebat: cùm potiùs, quemadmodum, quàm quid agatur, intersit; ac sæpe qualitas operis in opus evadat.*

Sanctum hunc operandi modum etiam olim requisivit DEUS à populo suo Deut. 6.10 *Justè, quod justum est, persequêris.* Id est: Ita sis intentus ijs, quæ bona & justa agis, benè justeq; agendis: sicut solent vindictæ studio ardentes, in id unicè intenti esse, ut adversarios suos persequantur, comprehendant, & pessimè tractent. Sic peractæ ordinariæ actiones nostræ sunt illi ipsi fructus, ex quibus deprehendi veros Sanctos, & distingui ab hypocritis Pharisæis volebat Christus: *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Matt. 7. Operationes miraculorum non tam nostri sunt fructus, quàm ipsius DEI; qui subinde illos producit etiam in malis & reprobis: at modus & praxis ordinariè agendi Sancta sanctè, solidæ virtutis & eximiæ pietatis tessera est minimè fallax.

Consideremus ergo & notemus hìc, monet Rodriq. *Exerc. perfect. p. 1. tr. 2. c. 2.* quàm sanè tenui dispendio perfecti esse valeamus: cum eo ipso solùm, quod quotidiè agimus, nulla alia extra ordinem addendo opera, perfecti esse possimus, adeoq; Sancti. Hoc maximæ omnibus consolationi est, & omnes nos ad perfectionem maximopere extimulare debet. Per eadem, quæ agis, modò velis, perfectus esse potes, & sanctus. Jam omnis impensa facta est: aliud ut insuper adjungi necesse non sit.

FERIA III. post Dom. VI. post Pentecosten.

MEDITATIO: *DEUS, JESUS & MARIA sunt Causa omnis Sanctitatis nostræ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera eum, ut Radicem & primum præcipuumq; Authorem omnis Sanctitatis creatæ, Angelicæ & Humanæ. Non enim naturalis est illa rectitudo judicij, illa puritas affectûs, illa perfectio operationis, quam dicit vera Sanctitas, reddens creaturam dignam amore amicitiæ divinæ & clarâ ejus Visione. Nam & Angeli libertati suæ relicti, turpiter defecerunt; & homines in peccato concepti, cum fomite omnium malorum nascuntur & adolescunt, pravi corde, mo-

de, moribus perversi. Unde ergo ea, quæ in liberis creaturis reperitur puritas & perfectio naturam supergressa, nisi à Patre luminum, à Fonte gratiarum; ab eo, qui solus est Sanctus, per essentiam. *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nonne tu, qui solus es?* Job. 14. qui super omnes es; *magnificus in Sanctitate?* Exod. 15. Ad te igitur Authorem Sanctitatis omnis supplex recurro: rectifica pravitatem meam, munda immunditiem, sanctifica me in magnam gloriam tuam; ut in me ac per me sanctificetur nomen sanctum tuum, sicut in cœlo, & in terra.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quoq; esse Authorem & Causam omnis Sanctitatis. Ab ipso enim & meritis ejus promanavit omnis gratia, sanctificans in cœlo & in terra. Ipse nos lavit in sanguine suo, fecitq; Gentem Sanctam, corde immaculatam, animo perfectam, gratijs & virtutibus eminentem. Insuper septem nobis aperuit Sanctitatis fontes indefectibiles, per orbem universum sparsos; in quibus & mundari possimus à contractis maculis, & animis concipere vigorem ad subigendam carnem, domandas affectuum turbas, resistendum diabolo, & connitendum ad perfectionem filiorum DEI propriam. Deniq; per Spiritum S. diffundit charitatem DEI in cordibus nostris; & sanctificat non mentes tantùm, sed corpora etiam, consecratq; in templum sanctum DEI, 1. Cor. 3. Ipsi honor & gloria, sanctitas & magnificentia in sæcula sæculorum. Ampliùs, ampliùs munda me, & sanctifica me, Sanctissime JESU: ut in sanctitate & justitia serviam tibi omnibus diebus vitæ meæ.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam etiam esse Causam Sanctitatis nostræ; tum quia nobis genuit Sanctum Sanctorum Sanctificantem nos sanguine suo ex ipsa suscepto; tum quia nobis impetrat gratiam sanctificantem; tum quia exhibet præclarissima virtutum exempla, velut formam & ideam, secundùm quam conformemur Christo. Unde eam extollunt non solùm ut Sanctam, & Sanctissimam: sed etiam ut *Sanctificationem nostram* S. Epiphanius lib. 3 cont. hæres. S. Germanus Constant. Or. 1. in Præsent. B. V. S. Damasc. Or. 1. de Assumpt. B. V. Fac nos igitur, ô Sanctificatio nostra Sanctissima, populum DEO placentem, gentem sanctam dictis & factis. Ah! quòd tam remotus sum à vera sanctitate: qui tot Causas habeo sanctitatis!

Propositum, v. gr. *de connitendo ad veram sanctitatem per Deum, Jesum & Mariam.*

LECTIO PRACTICA.

Quomodo ordinaria opera nostra sancta sanctè perfectéq; peragi possint.

Res hæc

RES hæc non est tam ardua, ut multis videtur; sed facilis & jucunda: tum quia percommoda ad manum habemus media ad id præstandum; tum quia communissimum est, ut perfectio operis insignem delectationem refundat in authorem suum; sicut contrà imperfectiones operis tineæ sunt rodentes authorem ejus, & infamiam quandam ei conciliantes.

Primum Medium sanctè perfecteq; opera nostra peragendi, suggerit S. Thomas heri cit. ut scilicet nos ipsos & opera nostra referamus in DEUM; per Intentionem scilicet rectam ipsis præmissam, quâ non nostra commoda vel gloriam, sed DEI, quæramus. Valet hæc Intentio plurimûm tum ad opera nostra, quantumvis ex objecto, circa quod versantur, vilissima, & in se tenuia, elevanda, & pretiosa speciosaq; reddenda; tum ad nos ipsos excitandos, ut debitam adhibeamus diligentiam in ipsis peragendis. Sic excitabat se Franciscus Perez Godojus S. J. in odium fidei cæsus: qui cùm rogaretur; cur vasa culinæ, mox iterum inquinanda, tantâ diligentiâ & nitore expoliret? respondit: Se DEIparæ V. solere omnia opera sua diurna vespere præsentare: Puderet autem me graviter, aliquid ejus conspectui offerre non usquequaq; nitidum. *Nadasi in Annal. Mar. S J.*

Secundum Medium est; ut statim initio operis, excusso torpore, animum reliquasq; vires, alacriter & firmiter applicemus ad operandum; & in decursu actionis identidem renovatâ Intentione agendi propter DEUM, seu DEO &c. renovemus seu conservemus alacritatem & diligentiam priorem. Est enim admodum indecens, operari propter DEUM negligenter. Unde S. P. N. Ignatius videns fratrem aliquem in munere suo aliquantum segnescentem, quæsivit: Frater, propter quem facis hoc? Qui respondit; Propter amorem DEI. Tum Ignatius: Equidem, si posthac ita fungeris officio tuo, egregiè mulctaberis: Si enim propter homines sic ageres; tanti piaculi res non esset: at propter DEUM agere tam negligenter, insigne piaculum est. *Rodriq. Exerc. p. 1. tr. 2. c. 3.* Ipsa quoq; DEIpara V. P. Alphonsum Cortes S. J. humiliter & confidenter petentem; quo loco ipse esset apud Filium & ipsam? monuit: Bono quidem loco eum esse; sed satageret: ut sua omnia majore accuratione expoliret. *Nadasi in Annal. Mar. Soc. Jes.*

Tertium Medium est, Sanctis usitatissimum, & inprimis efficax; cogitare: quòd in præsentia & conspectu DEI agamus. Volebat Seneca; ut homo virtutis studiosus, ad opera sua rectè absolvenda sibi imaginaretur: adesse arbitrum, virum quendam gravem & venerabilem: *sic vive, tanquam sub alicujus boni viri, ac semper præsentis, oculis.* At longè plus necesse est in

nobis operetur viva memoria præsentis DEI, de quo dicit Scriptura Eccli. 23. *Oculi DOMINI multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes.*

Quartum: Statuere sibi in ideam agendi, seu exemplar, Sanctos sive jam cœlo & aris donatos, sive adhuc inter nos viventes, ac inprimis ipsum Sanctum Sanctorum, cum sanctissima Matre sua. Magna enim vis est exempli. Quod multæ rationes non potuerunt, effecerunt exempla.

Quintum est, ita agere singula; acsi nihil aliud agendum superesset. Omnia tempus habent: nunc Hoc age, quod agis. Si oras, orationi te totum da; nihil tunc de studijs alijsq; negotijs in animum admittendo. Si studes; stude: alijs te postea concedes. Est hæc hostis nostri consueta industria: quòd nos variarum occupationum & negotiorum penetratione, seu confusione, distrahat, rationes varias modosq; ingeniosos nunc hoc, nunc illud expediendi suggerat, & sic velut offâ porrectâ, à cœpto incautos abducat.

Sextum: ita unumquodq; opus agere, acsi in præsenti vita ultimum esset; prout suadet S. Bernardus, & in usu habuerunt veteres Patres. Inter alios quidam morti propinquus, cùm moneretur à Superiore: ut maturè se ad supremum articulum per peccatorum confessionem disponeret: sublatis in cœlum manibus, Benedictus, inquit, sit DEUS; jam 30 & ampliùs, anni sunt, Pater, ex quo mea peccata ita confessus sum, acsi statim è vita essem migraturus: proinde nunc non aliâ mihi opus erit dispositione, quàm si sacrum essem celebraturus. Præclarè factum, utinam multos haberet imitatores.

Septimum: Post quietem nocturnam ita sibi disponere agenda & modum agendi, acsi ea dies omnino ultima esset. Sic enim potiores partes & temporis & curarum dabuntur exercitijs pietatis, & major fiet applicatio ad illa, tanquam præ cæteris profutura.

Octavum: Curandum, ut quidam habitus seu consuetudo bene & accuratè agendi contrahatur; insistendo per continuos complures dies huic exercitio, omnemq; occurrentem molestiam generosè devorando. Suasit hoc Pythagoras discipulis suis: Nolite curare, quòd hæc disciplina, laboriosa, salebrosa, difficilis initiò appareat; postea namq; consuetudine & usu ipso facillima & suavissima fiet. Hæc assuetudo in ipso tyrocinio contrahenda fuit. Si contracta non est; paretur tandem vel in senectute. Assuesce attentè & suo tempore meditari; assuesce Canonicas preces & Divinum sacrificium;

ficium, ritè præparatus, & in DEUM absorptus, absolvere; assuesce vitam ordinatam agere &c. Et sic ubi modicùm laboraverimus, inveniemus nobis multam requiem. *Eccli.* 51. imò & Sanctitatem insignem.

FERIA IV. post Dom. VI. post Pentecosten.

MEDITATIO: *Deus mirabilis in Sanctis suis, præsertim Christo & Deipara Virgine.*

1. ADora D. O. M. & considera eum Mirabilem non solùm in Sanctitate propria, sibi essentiali, infinita, & omni ex parte perfectissima; sed etiam in ijs, quos sanctificat. *Mirabilis Deus in Sanctis suis!* Psal. 67. Mirabilis! Quosdam enim adhuc in utero matrum sanctificat, alios in extremo vitæ. Quibusdam velut per ubera matrum instillat sanctitatem, mores compositos, indolem ad omnem virtutem propensissimam: alios lassatos in via iniquitatis, vel post arduam diuturnamque cum passionibus suis, velut leonibus & ursis, luctam, facit heroes Sanctorum. Hos velut per ambages ducit ad sanctitatem, illos momento statuit in culmine perfectionis. Hos assiduis pascit & saginat cœli delicijs, illos diuturnis macerat desolationibus. Hos ingentium miraculorum gloriâ, & virtutum famâ illustrat; illos vivere obscuros, calumnijs gravissimis exagitari & opprimi sinit. Mirabilis es certè in Sanctis tuis, Sanctissime DEUS; at mirabilissimus eris; si me feceris Sanctum. Quàm sim ad id ineptus: tu nôsti meliùs. Attamen apud te non est impossibile omne verbum: Si vis, potes. Exere, obsecro, potentiam gratiæ tuæ: ut & ipse velim, & cooperer strenuò gratiæ tuæ.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm mirabilis sit in ipso Sanctificator DEUS. Quàmvis in tempore natum atq; in fine sæculorum: genuit illum ante Luciferum, imò ab æterno, in splendoribus Sanctorum. Sanctificavit ipsum non gratiæ solùm copiâ uberiore, sed ipsâ plenitudine Divinitatis. Unxit eum in Sanctum Sanctorum non lenticulâ olei, sed toto Spiritu Sancto: ut non ipse tantùm secundùm se sit eminentissimè & infinitè Sanctus; sed etiam vim habeat sanctificandi, & sanctitate replendi infinitos homines & Angelos. Et tamen hunc Regem Sanctorum omnium, hunc Sanctum Sanctorum, quantis passus est DEUS traduci, obrui, opprimi calumnijs, convicijs, contumelijs, deniq; morte turpissimâ & ignominiosissimâ! Mirabilis DEUS in Sanctis suis, sed mirabilissimus in Filio. Quid nos, qui non sumus Sancti Sanctorum, sed peccatores peccatorum, pleni omnis immunditiæ & iniquitatis? Peccatores esse volumus, sed Sancti exi-

cti existimari. Nefas infandum; si verbulo honor, fama, aut status noster tangatur! O idola! O fucos sanctitatis!

3. VEnerare DEIparam V. & considera etiam in ipsa mirabilem, imò mirabilissimum DEUM. Sanctificavit illam non solâ gratiâ pleniùs communicatâ, sed augustiùs & mirabiliùs per ipsam Maternitatem divinam. Nam & hæc titulo gravissimo exigit, ab omni labe immunitatem, gratiarum plenitudinem, operandi perfectionem summam, intimam cum DEO conjunctionem. Quid mirabilius; quàm in una Virgine, tanquam in verissima Matre, *inhabitare omnem plenitudinem Divinitatis Corporaliter!* quod de Christo dixit Apostolus, ad Coloss. 2. sed rectissimè accommodatur & Matri. O mirabilem in SS. Matre sua DEUM! Fac, Domina; ut sit mirabilis & in me per plenam mei conversionem ad se.

Propos. v. g. *vitandi pravum habitum N. qui est fundamentalis obex ad vitam sanctè agendam.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm dispar sit Judicium Dei & nostrum de Meritis Sanctorum.

COntingit subinde: ut quæstio oriatur de meritis & gloria Sanctorum; quis altero sit potior? Imò ipsos Sanctos aliquando incessit cupido sciendi; quo loco sint apud DEUM ipsi & merita ipsorum? Responso autem cœlitùs accepto, didicerunt: longè aliud esse judicium DEI à judiciis hominum: ut ex sequentibus patebit.

S. Paphnutius, celebris eremicolarum Abbas, post multos in summa austeritate, & observatione accurata regulæ ab Angelo acceptæ, transactos annos, optabat divinitùs informari (ut habet Palladius cap. 65.) An, & quantum, transcendisset perfectionem aliorum DEI servorum? Intimavit ipsi tandem Dominus per Angelum: Alexandriæ morati aliquem fistulatorem & tympanistam, qui ei in merito & sanctitate æqualis esset. Quare sine mora inquisivit illum, & invenit: at quò propiùs accedebat, eò magis fugiebat ille, indignum se reputans Sanctorum alloquio. Tandem, auditâ DEI voluntate, substitit, & rogatus, de instituto vitæ suæ, respondit: Nullius quidem boni mihi conscius sum: nisi quòd, cùm elapso tempore cum alijs latronibus & lupis ulularem, peregrinantes exspoliarem, cæteri verò collegæ mei intercepissent virginem aliquam, cui honorem & pudorem eripere vellent, ego defenderim illam, eripiendo eam manibus ipsorum, & domui suæ intactam restituendo: ex quo etiam periculo plures alias mulieres eripui. Quod lucellum ex arte fistulandi acquiro, erogo in pauperes, totaque mea cura in hoc versatur, ut proximum amem, & pro posse juvem.

Quibus auditis, minùs de se & perfectione sua sentire cœpit Paphnutius.

Irrepsit tamen eidem postea iterum similis tentatio, (referente eodem Palladio) optabatque scire: non jam quis ipsi esset similis, aut quantum alios excessisset meritis; sed cui Sanctorum ipse similis esset? Rursum Angelus ei apparens dixit: Tu es similis Proto-Comiti vicini hujus pagi. Paradoxon hoc ei videbatur: quòd aliquis homo sæcularis, nobilitate, divitijs, dominio præditus sibi comparari possit. Unde accedere ipsum non dubitavit. Adventanti occurrit Comes, hospitem non minùs reverenter, quàm humaniter excipit, in domum inducit, pedes non tam undâ, quàm lacrymis lavat. Præstito hoc charitatis officio, Sanctum deduxit in aulam interiorem, ubi mensam reperit lautissimè instructam. Attonitus Paphnutius, dicebat intra se: Ego in horrido illo deserto inter asperrimas rupes me affligo, continuus & famelicus ferarum socius: & hic homo inter delicias domûs suæ lucrabitur cœlum? Quocirca inter prandendum quærit ex hospite suo: quodnam ejus sit institutum vitæ, & quibus vacaret pietatis aliarumq; virtutum exercitijs? protestaturq;, nihil se ex cibis sumpturum: nisi priùs petito suo satisfaceret. Hic videns se constrictum, nec volens hospitem suum affligere, ubi didicit Angeli apparitionem & sententiam, præmissâ prolixâ infimâq; sui depressione, respondit: Triginta jam effluxerunt anni, quibus unà cum conjuge mea vixi ut frater cum sorore. Susceptis ex ea tribus filijs, usu conjugij nos abdicavimus. Hospites interim suscipere nunquam cessavi, quos ne ullus mihi præriperet, sedulò invigilavi; nec dimisi susceptos, nisi viatico necessario instructos. Pauperes semper filiorum loco habui, semperq; cavi, ne quemquam contristarem, aut cuiquam à me, vel familia mea, vel gregibus meis damnum daretur. In judicijs exercendis paci magis conciliandæ, quàm exercendo rigori studeo; memor, me ipsum brevi sistendum tribunali altiori & severiori. Audiens hæc Paphnutius, Comitem amplexatus est, & difficulter ab eo recessit, cogitans apud se: Si, qui sunt in sæculo, tot & tanta faciunt opera bona, quantò magis nos, qui perfectionem majorem profitemur, bonis operibus insudare, & vacare debemus? Vidit postea animam hujus Comitis deferri in cœlum ab Angelis cantantibus: *Beatus, quem elegisti, & assumpsisti: inhabitabit in atrijs tuis.*

En, quò reciderunt, non unius è grege eremicolarum, sed Paphnutij, ecstases, visiones, miracula, prophetiæ, solitudo, cilicia, jejunia, vigiliæ, & totius austeritatis sacer horror. Comiti uni, opulento & splendido; Fi-

dido; Fistulatori ac tympanistæ uni, pauperi & abjecto, palmam sanctitatis non præripuit! Erubescamus oportet Ecclesiastici, & Religiosi: quòd publicani & peccatores nos non solùm adæquabunt; sed præcedent in regno DEI: nisi majore contentione ad apicem Sanctitatis enitamur.

Est & aliud, quod ex hìc traditis decerpamus, documentum: ne scilicet imprudente zelo quosdam Sanctorum elevemus, alios deprimamus; in quo non rarò impingunt Concionatores. Opportunè Kempensis lib 3. de Imit, c. 58. *Cave, fili, de istis curiosè tractare, quæ tuam scientiam excedunt: sed hoc magis satage & intende; ut vel minimus in regno Dei queas inveniri. - - Multò acceptiùs Deo facit, qui de peccatorum suorum magnitudine, & virtutum suarum parvitate cogitat, & quàm longè à Sanctorum perfectione distat: quàm is, qui de eorum majoritate vel parvitate disputat. Melius est, Sanctos devotis precibus & lacrymis exorare, & eorum gloriosa suffragia humili mente implorare, quàm eorum secreta vanâ inquisitione perscrutari.*

FERIA V. post Domin. VI. post Pentecosten.

MEDITATIO: *Deus amabilis in Sanctis suis, præsertim in Christo & Deip. V.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum in se & propter se amabilem super omnia, etiam amabilissimum elucescere in Sanctis & propter Sanctos & Electos suos. In ipsis enim tanquam in speculis tersissimis relucent, accommodatè ad captum nostrum, perfectiones ejus incomprehensibiles, infinito amore dignæ; Bonitas, quâ ipsos elegit; Sanctitas, quâ sanctificavit; Sapientia, quâ eos gubernat; Justitia, quâ eorum merita præmiatur; Misericordia, quâ ipsis delicta ignoscit; Magnificentia, quâ eos gloriosos facit in cœlo & in terra &c. Propter ipsos cœleste regnum condidit; propter ipsos principaliter Homo factus & mortuus est; propter ipsos tolerat improbos, & breviabit olim ferales dies ante judicium extremum. Et quò te non demittis propter Sanctos tuos, Magne DEUS? Quid non præstas in gratiam & favorem ipsorum? Quas non reputas delicias, esse cum his filijs hominum? Cœcos nos, si te non suspicimus Amabilissimum in Sanctis tuis! Excordes, si non amamus! Amentes, si non omni studio connitimur ad solidam Sanctitatem, quæ Te nobis, & nos Tibi, tam amabiles facit!

2. ADora D. JESUM, & considera; quàm amabilis sit DEUS in ipso. Quid enim est JESUS, quàm Splendor paternæ gloriæ, Figura Substantiæ ejus, viva & accuratissima Imago Bonitatis ipsius. Quæ omnia sunt summæ amabilitatis divinæ in Christo argumenta. Imò si dicere licet: Suspicio

Suspicio DEUM O. M. amabiliorem in Christo, quàm in excelso solio gloriæ suæ. Ex hoc enim radians infinita Majestas obruit intellectum, & consternatam quodammodo opprimit voluntatem: in Christo autem relucet Bonitas divina, Charitas, Benignitas, Clementia, Misericordia, Liberalitas &c. quæ in nobis, quibus nondum invaluit oculus mentis ad videndam Majestatem illam, blandiora & efficaciora solent esse amoris incentiva. Habemus ergo in amabilissimo JESU infinitæ Amabilitatis divinæ gratissimam Imaginem, & potentissimam illecebram: habemus velut crystallinum incendendi divini Amoris focum. In hunc defigendi oculi, lumine gloriæ nondum elevati: ut intelligamus, quàm Amabilis sit DEUS, & quàm parùm ametur à nobis. Amabilissime JESU, converte oculos meos ad te: ut tandem videam in Te, quàm odibilis sit mundus, quàm detestabile peccatum: & contrà, quàm Amabilis DEus, mihi hactenus tam parùm dilectus.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: in ipsa quoq; resplendere clarissimè summam Amabilitatem DEI. In ipsa enim ad ineffabilem DEI Matris dignitatem evecta summè honoravit totum genus humanum. Ex ipsa præstantissimum Donum, imò Donum donorum omnium, contulit mundo, JESUM Salvatorem. Per ipsam gratiarum copiam infinitam profundit in justos. Propter ipsam, etiam maximis peccatoribus facilis indulget veniam. Quis noverit MARIAM, & non suspiciat Amabilissimum in ea DEUM? Suspicio, adoro, amo super omnia, ô Domina. Adjuva infirmitatem, accende tepiditatem meam.

Proposit. v. gr. *de sæpiùs per diem repetendo actu Amoris erga Deum, Jesum & Mariam.*

LECTIO PRACTICA.

De concipienda eximia erga Sanctos Fiducia.

GRandia & palpabilia Divini erga Sanctos amoris argumenta, eximiam firmamq; in nobis excitare debent fiduciam erga eosdem. Quid enim apud Gratiosissimum Dominum non poterunt, qui sic ab ipso amantur pariter ac honorantur? Duo sunt potissimùm, quæ in nobis singularem erga aliquem generant fiduciam: Potestas nos juvandi, & Voluntas. Quod possint nos juvare Sancti, nemo sanus dubitaverit: cùm constet etiam apud terrenos principes servos fideles & gratiosos plurimum posse? *Quis ambigat cum ratione*, inquit S. Cyprianus libr. de mortal. *de amplissima eorum* (Sanctorum) *potestate, gratiaq; apud Deum; à quo, ut canit Vates regius, constituti sunt Principes super omnem terram?* Et S. Chrysostomus Serm. de SS. Maximo & Juventino ait: *In manibus abjecta capita gestantes, & in medium afferen-*

afferentes, quæq; voluerint, apud Regem cœlorum impetrare possunt. Proinde magnâ fide promptitudinéq; hûc veniamus.

Quòd velint nos juvare, imò soliciti sint de nobis: probant & evincunt tum natura communis, quam non exuerunt, neq; corruperunt; tum indeficiens Charitas, quæ juxta Apostolum 1. Cor. 13. *nunquam excidit, sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt, sive scientia destruetur*; imò in beato illo Amoris regno summè perficitur; tum innumera propensissimi in nos terrigenas, fratres suos, affectûs edita documenta. Unde S. Cyprianus cit. nos animat. *Magnus illic nos Charorum numerus expectat, Parentum, Fratrum, Filiorum; frequens nos & copiosa illic turba desiderat, jam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute solicita.* Videre id est in sequentibus exemplis.

Exarserunt aliquando Veneti & Mediolanenses in mutuam perniciem, & cruento bello concurrerunt. Perituri erant funditùs Veneti: nisi S. Laurentius Justinianus, olim ipsorum Patriarcha intercessor pro ipsis intervenisset: prout Sancto cuidam revelavit DEUS. *Lipelous tom. 1.*

Cùm fœda lues Treviris grassaretur: S. Nicetius urbis Episcopus SS. Eucharium & Maximinum ejusdem Patronos, suppliciter pro malo avertendo rogavit. Post quas preces noctu terribilis fragor super pontem Mosellanum excitatus est, simulq; audita vox jubentium socios urbe excedere, eò quòd ad unam portam S. Eucharius, ad alteram S. Maximinus vigilarent, S. Nicetius verò in medio perambularet: ab his enim se impediri, quò minùs pergant nocere. *Surius in Vita S. Nicetij.*

Tempore, quo S. Mechtildis agonizavit, visi sunt Sancti, dum Litaniæ recitabantur, singuli ad suum nomen pronunciatum, incredibili gaudio assurgere, ac demissi coram DEO in genua, merita sua pro moriente offerre. *Barry in fœd. S.*

Laurentius Surius in agone suo omnes Sanctos, quorum vitas in Tomis suis descripsit, spectabiles habuit, ab ijsq; auxilium & robur in illo periculo accepit. *Idem ibid. in Præfat.*

Quàm liberaliter Sancti etiam minima obsequia sibi impensa compensent: docuit S. P. N. Ignatius jam cœlo receptus. Venerat in eam intemperiem morum & affectuum quidam è Societate; ut cogitaret de ipsa deserenda, nec ullis Superiorum monitis, consilijs, alijsq; remedijs, revocari posset. Misertus hominis quidam è Patribus, rogavit: ut vel unum *Pater* & *Ave* paucis diebus in honorem S. Patris Ignatij recitaret. Ægrè impetravit: sed miser homo tam exiguum pietatis pensum tam tepidè & negligenter absolvit; ut

solvit; ut puniendus potiùs, quàm juvandus videretur. Et hujus tamen tam projectæ orationis fructum non exiguum sensit. Cœpit enim angi animo: ut nullam quietis partem admittens, noctu in hortulum domesticum descenderit, & levandi animi gratiâ suspiriosus inambularet. Continuò splendido lumine circùm omnia prope se coruscare videt, atq; in medio luminis adesse S. Ignatium. Cujus aspectu perculsus, animoq; totus immutatus, ad pedes ejus procidens, O Pater, inquit, *tantumne mihi confers gratiæ pro uno Pater & Ave?* *Fili mi*, respondit S. Pater: *paucis ego contentus sum*; oculoq; illum benignissimo intuitus, disparuit. Ille humi procumbens, reliquum noctis prostratus inter lacrymas largissimas exegit. Ubi diluxit, Superiorem convenit, veniam petijt, & invenit; sanctéq; deinceps vitam in Religione egit, severus in se ipsum, & disciplinæ observantissimus. *Pennequin p. 3. Isagog. c. 21.* Tantus fructus tam exiguæ precationis, benignitatem divinam, & Sanctorum facilitatem egregiè exaggerat.

Auscultandus autem S. Chrysostomus, opportunè monens hom. 5. in Matt. *Habent vim pro nobis, & quidem maximam, orationes supplicationésq; Sanctorum: sed tunc profectò, cùm nos quoq; id ipsum per pœnitentiam postulamus, & ad studia meliora confugimus.* Fidamus: sed fiducia non faciat socordes in negotio salutis.

FERIA VI post Dominic. VI. post Pentecosten.

MEDITATIO: *Deus gloriosus in Sanctis suis, præsertim in Christo & Deipara Virgine.*

1. ADora DEUM O. M. & considera ipsum Gloriosissimum in Sanctis suis. Gloria Principum vel maximè relucere solet in turba famulantium, numero copiosa, bene morata, splendidè vestita, fide in DOMINUM insigni, scientijs exculta, fortitudine clara. Quis autem principum terrestrium tantâ tamq; illustri famulantium coronâ gloriari potest, aut potuit unquam; ut DEUS noster? Millia millium assistunt throno ejus in cœlis, & decies millies centena millia ministrant ei: quorum minimus major est omnibus regibus terræ. Hominum quoq; Sanctorum quantus numerus, qualis species, quanta virtus, quanta in Dominum suum fides & charitas! Quanta pro Domino suo egerunt & passi sunt! Quàm speciosi sunt in anima, quàm fortes in corpore infirmo, quàm divites in paupertate, quàm gloriosi in prodigijs? Gratulor tibi, Magne DEUS, quam in Sanctis tuis, & ex Sanctis tuis habes gloriam. At ego quanto sum tibi dedecori! Pudet. Parce.

2. ADora D. JESUM & considera in ipso, præ omnibus Sanctis, Angelis & hominibus, gloriosissimum DEUM. Ipse est, de quo per Prophetam dixit: *Servus meus es tu, Israel; quia in te gloriabor.* Isa. 49. Neminem enim ex omnibus habuit sibi tam fidelem, tam promptum ad obsequia, tam avidum gloriæ suæ divinæ, tam sui amantem, & tanta pro honore suo passum. Unicus est: qui, cùm non ignoraret, se esse Filium; pro majore gloria Patris demisit se ad infimam sortem vilissimi servi, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Sed in ipso mortis ejus horrore, quàm gloriosus apparuit DEUS, tum per cumulata prodigia; tum per repentinam obstinatarum mentium mutationem & pœnitentiam! In Resurrectione verò, & Ascensione ejus quàm gloriosè magnificatus est DEUS! Magnificatur etiamnum per servos & ministros D. JESU in omni orbe terrarum; & magnificabitur in sæcula sæculorum, gloriosus in omnibus & super omnes DEUS noster. O sim & ego aptissimum propagandæ gloriæ ejus instrumentum; ut dicere etiam de me possit: Servus meus es tu, in te gloriabor.

3. VEnerare DEIparam V. & considera etiam in ipsa Gloriosissimum DEUM. Ipsa est singulare & eximium Opus DEI, de quo per excellentiam dicatur illud Eccli. 42. *Sol illuminans per omnia respexit: & Gloria Domini plenum est opus ejus.* Plena erat gloriâ Domini in Conceptione sua immaculatissima, plena in humilitate profundissima, plena in dignitate Matris sublimissima. Plena erat in corpore nondum glorificato, plenissima in magnificentia gloriæ suæ cœlestis. Gloriosus DEUS in servis suis; gloriosissimus in Matre! Gaudeo, Gratulor, ô Domina. Fac, obsecro, & me in magnam gloriam Domini, & tuam.

Proposit. v. gr. *de exercendo hodie actu aliquo heroico pro gloria Dei.*

LECTIO PRACTICA.

De Studio Heroicæ Sanctitatis.

SIcut in Ecclesia Catholica Sanctorum Festa alia sunt Primæ classis, alia Secundæ, alia Duplicia, vel Semiduplicia, quædam simplicia: ita Sanctitas alia est Simplex seu Vulgaris, alia Eximia & quasi Duplex; alia Heroica, seu in gradu heroico, & quasi primæ Classis. Quæ differentia insinuari videtur Cantic. 6. ubi filiæ Sion, seu Angeli Sancti mirantur Sponsam, seu Animam Sanctam, ascendentem: *Quæ est ista, quæ progreditur, quasi aurora consurgens, pulchra ut luna, electa ut Sol?* In quem locum scribens Gregorius: *Anima*, ait, *quæ priùs erat in tenebris, nunc quasi aurora splendens apparet. Eadem dum peccantibus bona exempla præbet, quasi*

luna in nocte lucet. Dum verò magis ac magis crescit; & de die in diem per consuetudinem operis, lumen Justitiæ tam perfectè accipit; ut etiam bonis exempla imitationis præbeat: profectò jam luna sol efficitur; quia, quæ in nocte errantibus lucebat, modò in die ambulantibus lumen veritatis manifestat. Anima igitur è peccatorum nocte per gratiam sanctificantem emergens, & virtutibus Christiano dignis emicans, progreditur ut Aurora consurgens, pura & sancta. Eadem non vulgarium virtutum luce augescens, fulget inter justos, ut inter ignes Luna minores, & eximiæ Sanctitatis prærogativâ, suspici meretur ut Regina militiæ cœli. At ubi Charitatis æstu magis succensa, virtutum non mediocrium, sed heroicarum radios vibraverit: *Electa ut Sol* apparet, atq; ut *Vas admirabile, Opus excelsi*, in admirationem consummatæ Sanctitatis rapit oculos animosq; Tali Sanctitate conspicua anima, est inter sexaginta illas *Cant. 6.* reginas, *Unica* illa, *Columba* illa, *Perfecta* illa, unicè amata, & super omnes æstimata Sponso; dignissima, quam omnes Filiæ DEI prædicent *Beatissimam.* Non contenta enim virtutum mediocritate, ad fastigium earum enititur: nec sufficit ei mediocris corporis animiq; cultus, sed speciosissima apparere satagit in conspectu Domini. Non digitos tantùm occupat fuso, lanâ, linoq;: sed manus suas mittit ad fortia, cum fortibus confert manus, nec veretur luctari cum ursis & leonibus, cum ferocissimis passionum suarum, & totâ tenebrarum potestate; ut partas palmas victori, & in Sanctis suis glorioso, substernat DEO: cui parata est servire absq; ullo stipendio & quiete, idq; in fama & infamia, in summis & infimis, prosperis & adversis; imò libentiùs in adversis quàm prosperis; infimis & vilissimis, quàm altis & splendidis; in infamia potiùs, quàm celebri fama, usq; ad mortem & ultra. Hoc enim est esse Sanctum in gradu heroico.

Ad hunc Sanctitatis gradum vocavit DEUS Abrahamum, quando ei dixit Gen. 12. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui: & veni in terram, quam monstravero tibi.* Et Gen. 17. *Ego Dominus Omnipotens: ambula coram me & esto perfectus; ponámq; fœdus meum inter te & me:* sanctè servandum, sive juberetur, circumcidere seipsum, sive filium occidere unicum. Vocavit & Davidem, quando de pofœtantes accepit eum, & oleo sancto unxit eum ad occupandum per multas tribulationes, bella, & heroicam mansuetudinem regnum. Ad eundem evexit Apostolos suos Christus, ac specialiter Paulum: qui quidquid egisset, vel passus esset pro Christo, nihili faciebat, vile & exiguum reputabat; ad magis ardua sibi, & gloriosiora DEO, semper aspirabat: *quæ quidem retro sunt, obliviscens; ad ea verò, quæ sunt priora,* non tam loco vel tempore, quàm difficultate

agendi & ignominiâ patiendi, *extendens se ipsum.* Philip. 3. Ad hanc igitur Sanctitatem & nos aspirare, atq; conniti, decet: ut in nobis tantò magis glorificetur Christus, quantò magis abjectus & depressus est pro nobis.

At quomodo ad tam sublimem Sanctitatis gradum eluctabimur? Inprimis amplis, sublimibus & ardentibus desiderijs: assumendo cogitationes præcelsas filiorum DEI, & anhelando frequenter atq; ferventer ad perfectionem & sanctitatem eximiam. Non existimemus, eam ad nos non pertinere, vel nos ad eam non vocari; sed sufficere, si præcepta divina servemus, & ordinaria quædam pietatis exercitia taliter qualiter absolvamus. Nisi enim majores animos assumamus, & ad altiora nitamur: facilè ad ima prolabemur tum proprio pondere, tum impellentibus inimicis; & DEUM privabimus gloriâ, quam ex nobis reportare potest, & optat. S. Bernardo morienti solatio insigni fuit: quòd longè majora desideràsset, quàm re ipsâ fuisset executus. Non sufficit autem, Sanctitatem desiderare; sed ad eam obtinendam oportet vires omnes & industrias strenuè applicare. Nam & pigri desiderijs abundare solent, imò eorum cumulo opprimi: *desideria occidunt pigrum.* Prov. 21. Qui verò Spiritu DEI aguntur; non votis tantùm & ore spirant Sanctitatem, sed eam ambabus manibus, toto corde & mente operantur, omnem exercendæ virtutis arripiendo occasionem, & bene cœpta constanter promovendo, sive per continuam progressionem à minoribus ad majora, sive per compendia actuum heroicorum, imitando motum discretum Angelorum. Omne autem desiderium conatumq; nostrum promoveat oportet gratia Spiritûs S. quæ pro omnibus & in omnibus humiliter ardenterq; est imploranda: ut ita etiam in nobis Sanctis glorificetur Sanctus Sanctorum.

SABB. post Dom VI. à Pentecoste.

MEDITATIO: *De Sanctitate Nominum DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: non solùm ipsum in se comprehendere perfectissimè omnem omnino Sanctitatem; sed etiam Nomen ipsius Sanctissimum esse: tum quia significat Spiritum purissimum, Optimum in omni genere boni, & summè Sanctum; tum quia singulari cum devotione & reverentiâ pronunciandum est, & auditô Nomine, *DEUS*, ad omnem modestiam, pietatemq; nos componi decet. Excitat nos ad id sacer Psaltes Psal. 98. *Confiteantur*, populi omnes, *Nomini Sancto tuo: quoniam terribile & Sanctum est.* Et Psal. 102 *Benedic anima mea Domino: & omnia, quæ intra me sunt, Nomini Sancto ejus.* Peccatori sicut dixit DEUS

Psal. 49.

Psal. 49. *Quare tu enarras justitias meas; & assumis testamentum meum per os tuum?* ita longè magis exprobrabit ore inverecundo, vel impuro, aut sacrilego violatum nomen sanctum suum. Hinc humiliter pœnitentes nec enunciare audebant nomen, DEUS; sed circuitione utebantur. *Qui me plasmasti, miserere mei*: loco *Miserere mei, Deus.* Quomodo igitur ego præsumam enunciare Nomen Sanctum tuum, ô Sancte Sanctorum: quia vir pollutus labijs, & magis corde, ego sum?

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsius quoq; salutiferum Nomen Sacrosanctum esse; utpote ad cujus enunciationem decet flecti omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum. Sanctius & venerabilius illud esse ipso SS. Nomine *Jehova*, (*Qui Est*) Judæis venerabilissimo, & non nisi Moysi per summum favorem manifestato, rectè affirmat Cornelius à Lap. in cap. 13. Numer. V. 17. cum Abulensi. Nam SS. Nomen, JESUS, non solùm significat conclusas in radice sua, id est, in perfectissimo *Esse* divino, omnes perfectiones divinas necessarias, seu essentiales: sed partim easdem clariùs & distinctiùs explicatas; partim etiam Actus liberos summæ charitatis, adeoq; summè nobis æstimabiles, exercitos à DEO in Incarnatione & admirabili opere Redemptionis nostræ. Significat enim DEUM salutis nostræ causâ Hominem factum, & vitam gloriamq; æternam morte suâ nobis operantem. O æstimem pro dignitate, amem pro gratitudine, glorificem pro viribus Sacro sanctum nomen tuum, Pretiosissime, Gratiosissime, Sanctissime JESU! Parce: quòd illo non rarò in vanum assumpto, sim abus9.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsius gratiosissimum Nomen Sanctissimum esse. Significat enim Personam Sanctis omnibus Sanctiorem: & DEUS vult illud à creaturis omnibus reverentissimè honorari. *Dedit tibi, MARIA, tota Trinitas Nomen*, inquit Idiota; *ut in nomine tuo omne genu flectatur.* O MARIA, Nomen Sacro-sanctum, Nomen venerabilissimum, & amabilissimum! O si mihi hoc nomen sit ultimus linguæ morientis motus: ut illud velut olivæ ramum in ore ferens, avolem & requiescam! Interim studebo, ô Domina: ut SS. nomen tuum sanctè tractem.

Vide: quàm amanter & reverenter pronuncies, audias, legas, scribas, SS. Nomina Dei, Jesu & Mariæ: & propone aliquid certi.

LECTIO PRACTICA.

Quo cultu prosequenda sint Sacro sancta Nomina Deus, Jesus, Maria?

INprimìs generaliter cavendum: ne prædicta SS. Nomina afficiantur aliquâ irreverentiâ per insolentiam, temeritatem & quemvis abusum.

Quod de SS. DEI Nomine disertè vetitum est secundo præcepto Decalogi: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*, Deuter. 5. Quo mandato docet Cornelius à Lap. cum Theodoreto non solùm prohiberi; ne nomen *DEVS* applicetur idolis, aut adhibeatur in falsis juramentis; sed etiam ne pronuncietur sine rationabili causa, qualis est causa doctrinæ, precationis, aut alicujus necessitatis. Idem tenendum de SS. Nomine *JESVS*: cùm & hoc Divinum, imò Diviniffimum sit, prout declaratum sup. 4. Januarij: & cum proportione de SS. Nomine MARIA, utpote per Maternitatem DEI quodammodo Divinizato, seu super conditionem Nominum quarumvis non Divinarum personarum evecto. Dolendum proinde; quòd ea SS. Nomina tam temerè passim nunc pronuncientur à vulgo. Mererentur sanè Concionatores & Catechistæ luculentum operæ pretium, si tali abusui occurrere conarentur.

Quod attinet ad positivum cultum; is quoad Nomen *DEVS*, seu *Jehova*, summus fuit apud Judæos. Nec enunciare illud præ reverentia audebant, (unde *Ineffabile* dicebatur, & etiamnum dicitur apud illos) sed cùm legentibus S. Scripturam occurreret, pro illo legebant *Adonai*, id est *Dominus*, Solis Summis Sacerdotibus, idq; tantùm in Sacrificio & solemni benedictione populi, & in ingressu in Sancta Sanctorum illud pronunciare licebat; habebaturq; laminæ aureæ incisum in tiara Pontificia. Optimè nunc faciunt, qui SS. nomen DEUS (ad cujus pronunciationem vel lectionem, ac auditionem, liquescebat pijs affectibus S. P. N. Ignatius, dolebatq; non adverti ab hominibus, quanti in illo laterent thesauri) non initiali tantùm, sed omnibus literis majusculis scribunt.

SS Nomen, JESUS, per DEI gratiam in majore est respectu & veneratione: siquidem universo mundo innotuit Apostolo prædicante; id Nomen *esse super omne nomen*, Philipp. 2. & propter infinita merita inditum esse Christo; *ut in Nomine JESV omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum*. Cultum ejus magna ex parte antiquatum, feliciter revocavit Italiæ Apostolus S. Bernardinus, &, quàm poterat, zelosissimè illud populi venerationi commendabat ubiq; Cùm civitatem aliquam prædicaturus ingrederetur, Sacro-sanctum illud Nomen in tabella aureis literis expressum, aureisq; cinctum radijs, manu præferebat; tempore Concionis pro rei opportunitate attollebat illud, proponebatq; tanquam salutis tesseram, Salvatoris insigne, dæmonibus intolerabile, hominibus gratiosissimum; in fine concionis eodem Divino Nomine benedictionem dabat populo, probante id & laudante Martino V. Pontifice. Quo factum est, ut non cordibus

tantùm auditorum imprimeretur, sed passim templorum aris, civitatum portis, privatarum ædium conclavibus, eleganter & splendidè efformatum, præfigeretur. Rumpebatur invidiâ Orci tenebrio, & per satellites suos, homines malignos, Virum S. apud Sedem Apostolicam accusavit non hæreseos tantùm, sed idololatriæ per adorationem Nominis JESU in Italia resuscitatæ. Citatur Bernardinus Romam, à Pontifice & Cardinalibus acerbè arguitur, in Scripta ejus fit inquisitio rigida, si quid lateret hæreseos, dies deniq; dicitur ventilandæ causæ. Obstupuit Vir S. conscius sibi optimæ mentis, & doctrinæ sanissimæ: remq; DEO totam commendabat. Ubi, quæ circa Bernardinum agebantur, innotuerunt B. Joanni Capistrano: Christi & Bernardini causam tuendam pro suo zelo suscepit. Protinus igitur Romam contendens in numeroso Nobilium virorum comitatu, postquam Urbis portæ appropinquavit; Vexillũ SS. JESU Nomine splendide insignitũ sustulit, altâq; voce cum comitibus suis Jubilum S. Bernardi insonans, processit ad Ecclesiam Principis Apostolorum ipsâ die Controversiæ dictâ, stupente Româ, consternatis adversarijs. Quid multis? Produxerunt adversarij contra Bernardinum densam calumniarum aciem cum agmine sexaginta Doctorum: at ille cum Capistrano tam solidè dilucideq; refutavit omnia; ut non solùm absolutus & laudatus fuerit: sed Pontifex Martinus V. in diem sequentem indixerit in Urbe solemnissimam Processionem in venerationem & triumphalem pompam Salutiferi Nominis, Capistrano labarum suum præferente, & latus stipante Bernardino Victore. Sic in hunc usq; diem summum jus venerationis sibi debitæ possidet in orbe Christiano Sacro-sanctum Nomen. *Cochem histor. par. 3. de S. Bernardino.*

Habent etiamnum in omni statu ardentes & ingeniosos sui Cultores SS. Nomina JESU & MARIÆ. P Joan. Bapt. è Soc. J. illa ferro candente inussit pectori suo. Alij annulo insculpta, vel Reliquiarum thecæ inclusa gestant: alij singulis horis, imò horarum quadrantibus illa dulcissimè ingeminant: Neophyta Japonica uno die centies quadragies millies ea repetijt venerabunda: alij nihil negant, quidquid illis interpositis petitur; alij è somno expergefacti illa fronti digito inscribunt, cordi autem dum ad somnum se componunt &c. &c. *Sint ergo benedicta SS. Jesu & Mariæ nomina; ex hoc nunc & usq; in sæculum. A Solis ortu usq; ad occasum laudabile nomen Jesu & Mariæ.*

DOM VII. post Pentec.

De Pulchritudine DEI, JESU & MARIÆ.

1. ADora DEUM O.M & considera incomparabilem, incomprehensibilem, & consummatissimam ejus in se Pulchritudinem. Quemadmodum

admodum pulchritudo corporum, oculis ſubjecta, conſiſtit in accurata & decenti partium ſeu membrorum omnium combinatione, proportione & decore, qualem natura rei exigit: ita Pulchritudo Spirituum (quam in hoc mortali corpore & imperfecto res concipiendi modo, ut decet non attingimus) conſiſtit in plenitudine perfectionum ipſis congruarum, & carentia eorum, quæ ipſos dedecent. Quid jam inter omnia pulchra & pulcherrima, ſicut DEUS noſter, qui in altis habitat? Nulla perfectio ipſi deeſſe poteſt; cùm ex ipſo ſint omnes. Nihil imperfectionis ipſi accedere poteſt: cùm ſit is, quo nihil melius eſſe vel cogitari poſſit. Quidni Pulcherrimus, à quo omne pulchrum, quem videre ſumma beatitudo eſt; cujus pulchritudo non conflatur ex accidentibus, ſed DEUS eſt; non ſubjacet tempori, ſed indefectibilis eſt; non exhauritur oculo vel intellectu, ſed infinita eſt; non ſatiat cum faſtidio, ſed ſemper appetibilis eſt? Ah! quando te, ut decet, amabo, Pulchritudo mea & omnium, DEUS! Ah! quòd me tam vana & fœda faſcinârint!

2. ADora D. JESUM, & conſidera eum, ut medullam & florem omnis creatæ & increatæ Pulchritudinis. Quidquid pulchritudinis eſt in Divinitate, à gratia, & dotibus naturæ, in JESU collectum radiat. Nec exinanitio Divinitatis, nec obſcuritas humanitatis, nec ſputorum fœditas, nec vulnerum enormitas, nec crucis tormentum, nec mortualis livor, vel atomum de Pulchritudine ejus detraxerunt. Pulcher JESUS in ſplendoribus Divinitatis, pulcher in umbra Humanitatis; pulcher in ſolio gloriæ ſuæ, pulcher in præſepio miſeriæ noſtræ; pulcher in dignitate Filij, pulcher in forma ſervi; pulcher in candore transfigurationis, pulcher in cruore flagellationis; pulcher in ulnis Matris, & ad dexteram Patris; pulcher in patibulo crucis, & ſepulchro. Semper, ubiq;, in omnibus, & ſuper omnia Pulcherrimus JESUS! Ipſa eum ornat ſuſcepta deformitas, ipſa illuſtrat electa obſcuritas, ipſa extollit, & amabiliſſimum proponit aſſumpta vilitas. *Ecce tu pulcher es, Dilecte mi, & decorus!* Cant. 1. O amem te pro merito!

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera: ipſam quoq; admirandâ & incomparabili pulchritudine ſua, tam in corpore, quàm anima, relucente ſuperare omnem aliarum creaturarum pulchritudinem: nec tam eſſe pulchram, quàm ipſam pulchritudinem. S. Brigitta lib. 4. Revel. c. 19. appellat eam Pulchritudinem Novam, Clariſſimam, Deſideratiſſimam, Honeſtiſſimam, Suaviſſimam, Pretioſiſſimam, Potentiſſimam. Sponſus cœleſtis tantæ pulchritudinis amore & commendatione ſatiari non poteſt:

Ecce tu

Ecce tu pulchra es, Amica mea: ecce tu pulchra es! Cant. 1. Ah occupa oculos & totum cor meum, ô Castissima & Potentissima Pulchritudo!

Proposit. v. gr. *de elevanda mente ad pulcherrimum Deum, Jesum & Mariam; quando creata aliqua pulchritudo inordinatè cor palpabit.*

LECTIO PRACTICA.

Mortificandi nunc Intellectus & Oculi: ut olim pulchritudine Dei, Jesu & Mariæ uberiùs pascantur.

INcredibilis & insatiabilis est prædictarum duarum potentiarum aviditas. Non terram solùm & maria, sed orbem universum pererrant, summa & infima perlustrant, ut suam pascant curiositatem, nunquam & nusquam satiandam. *Non satiatur oculus visu:* inquit Salomon Eccle 1. 8. Et mox v. 13. *Proposui in animo meo, quærere, & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole: & ecce universa vanitas, & afflictio Spiritûs.* Et cap. 2. *Omnia, quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis; nec prohibui cor meum* &c. Verùm & ibi mox addit *Cúmq; me convertissem; - vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi.* Non ergo dissolvendus Intellectus & Oculi, ut longè lateq;, sursum & deorsum, venentur voluptates suas, & omnem terrenæ pulchritudinis delibent florem; cùm enim omnem abligurierint, eâdem ut antè, fame laborabunt.

Certior est modus, eos & pascendi summâ cum voluptate, & satiandi absq; ullo fastidio & periculo: si nimirum nunc coërceantur, stringantur, & falconum instar velentur; *ne* (prout Propheta petijt Psal. 118.) *videant vanitatem.* Quantò enim nunc arctiùs fuerint mortificati: tantò certiùs & viváciùs stringentur olim in incomparabilem illam, & plenè Satiativam, DEI, J. & M. pulchritudinem. Promisit id non dubio oraculo Isaias c. 33. *Qui claudit oculos suos, ne videant malum: iste in excelsis habitabit; Regem in decore suo videbunt oculi ejus.* Unde S. Sylvanus ad occurrentia speciosa objecta dicere solebat: *Claudamini oculi mei, claudamini; & ad futura vos gaudia reservate.* Speciosiora & diuturniora, quibus paulò pòst pascamini uberiùs, suprà vos manent. De quodam Societatis JESU Novitio scribit Nadasi in Anno Angelico: quod Neapoli moriens fassus sit: se eo in articulo, jucundissimo Angeli aspectu fuisse recreatum, in præmium; quòd à jucundo maris vicini aspectu, DEI amore oculos prohibere sit solitus. At post mortem quantâ gavisus est voluptate ex conspectu Regis Angelorum, cui amaritudinem mortis ob oculorum mortificationem sustulit aspectus Angeli? Communis est Doctorum sensus, divinis etiam apparitionibus confirmatus: solere DEUM ea hominum piorum membra singulari ipsisve proportionato,

decore ornare, & gloriâ voluptateq; perfundere, in quibus aliquid passi sunt, (ut non pauci, spectabiles facti divi Martyres prodiderunt) vel quibus amore DEI operosiùs laborârunt. Proinde & qui intellectum à curiosorum inquisitione prohibuerunt, oculosq; intra angustam prospectûs sphæram concluserunt; habent, quod à Patre luminum expectent illustrius lumen, quo infinitæ Pulchritudinis venustas ipsis, præ cæteris, detegatur ampliùs. S. Ludovici Episcopi oculi post annos quadringentos & decem, quasi chrystallum splendidissimi reperti sunt; eò quòd illos, non nisi fulgure quodam armatos, strinxisset in principem fœminam ad scelus solicitantem. Si tantum decus & fulgor in sepulchro: quid erit in cœlo? Quæ pulchritudo pascet vivos, dum tantus nitor illustrat mortuos?

Hinc Sancti, aliiq; virtutis Studiosi, ut mentem oculosq; suos intuendo clariùs Pulchritudini Divinæ aptarent: admodum angustos designârunt ipsis limites in terris. S. Carolus Borromæus licèt ad forum frequentissimo populo refertum habitaret; nunquam oculis suis indulsit, ut per fenestram prospicerent. In villis & hortis tempore sat longo commoratus, ne quidem leviter oculorum oblectamenta ibi præparata aspicere voluit. S. Cajetanus Thienæus, cùm Carolus V. Imperator de Africa triumphans, Neapolim splendidissimè ingrederetur, à multis diu multumq; solicitatus, ut illam pompam aspiceret; renuit rotundè, atq; interim ad pedes Crucifixi in cœlestium contemplatione perseveravit. S. Franciscus Borgia, cùm adhuc Ducem Gandiæ ageret, & falconum aucupio unicè delectaretur: dum prædator fulminis instar in prædam jam jam involaret, oculos demittebat in terram, ut cor eâ voluptate, DEI causâ, fraudaret. Theodosius Junior Imp. in ludis theatralibus rigidissimo freno coërcebat oculos; & quò magis personabat populi plausus, arctiùs contrahebat frenum; eam ob causam veteranis rigidisq; eremicolis ab ipso DEO præpositus.

In occursu igitur pulchrorum hujus mundi (ultrò illa venari non decet, & sæpe non licet,) dicamus cum S. Sylvano oculis nostris: *Claudamini, oculi mei: claudamini: & ad futura vos spectacula reservate.* O quantum vos ibi pulcherrimorum theatrum manet!

FERIA II. post Domin. VII. post Pentecosten.

De Pulchritudine corporali relucente in DEO, JESU & MARIA.

1. Adora DEUM O. M. & considera: quòd, quàmvis Spiritus sit purissimus; in ipso sit modo eminentissimo, omnis pulchritudo rerum omnium materialium, quæ lenocinio speciei suæ blandiuntur oculis nostris.

Cognovi

Cognovi, non ſolùm in ſe, ſed etiam in me ipſo, *omnia volatilia cœli: & Pulchritudo agri mecum eſt.* Pſal. 49. Cùm enim ſit prima & univerſaliſſima cauſa Efficiens & Idealis rerum illarum omnium: neceſſe eſt, ipſum continere in ſe modo perfectiſſimo omnem ſpeciem & formam illarum. Quarum ſi ſpecie delectamur; ſciamus oportet: quanto his dominator & creator ipſarum ſpecioſior eſt! ut argumentatur Spiritus S. Sap. 13. Sunt ergo in DEO cumulatiſſimè, & reſplendent jucundiſſimè omnia blandimenta facierum humanarum, omnis venuſtas florum, omnis ſplendor metallorum, omnis varietas avium & ferarum, omnis amœnitas pratorum & agrorum, & quidquid inſatiabilis oculus noſter appetere poteſt. O quale & quantum omnis pulchritudinis theatrum DEUS! Dum ergo ſeſe oculis noſtris ingerit ſpecies aliqua venuſtior; attollamus mentem ad ejus Conditorem infinities pulchriorem: vel ab ea avertamus oculum corporis, ut tantò uberiùs pulchritudine illius infinitâ paſcatur olim oculus mentis.

2. ADora D. JESUM, & conſidera admirandam ejus Pulchritudinem cui nec Salomon in omni gloria ſua, nec Adam in ſtatu innocentiæ ſuæ comparari potuit. *Specioſus formâ præ filijs hominum!* Pſalm. 44. Non enim erat fœtus corruptæ vel inquinatæ naturæ, nec de limo terræ corpus illi formaverat DEUS: ſed de puriſſimis immaculatiſſimæ Virginis ſanguinibus elaboravit Spiritus S. ſtudio ſingulari. Deinde, non naturalibus ſolùm gratijs efflorescebat, & intuentium amori ſeſe inſinuabat: ſed reconditæ Divinitatis ſplendor quidam admirandus, ignotus oculis, corda rapiebat & animos; ut non imprudenter ad nutum ejus relictis omnibus ſecuti ſint, quos vocabat; & meritò gentiles illi Joan. 12. rogaverint Philippum: *Domine, volumus Jeſum videre.* Si autem tantâ diffuſa fuit gratiâ in vultu & labijs Domini JESU, in mortali adhuc corpore degentis: quid cogitabimus de ſpecie divini illius corporis in plenitudine gloriæ ſuæ ad dexteram Patris ſedentis? O quando te videbunt oculi mei, Pulcherrime, Specioſiſſime, Formoſiſſime, Gratioſiſſime JESU! Ah! purifica illos, quæſo.

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera: ipſam quoq; inauditâ corporis Pulchritudine præditam fuiſſe, & meritò à Spiritu S. Cant. 1. vocari *Pulcherrimam inter mulieres.* Decebat enim, tum Sanctiſſimæ ipſius Animæ, tum Unigenito DEI congruum in ipſa elaborari habitaculum. Quodſi mortale adhuc Corpus Virginis Divinum quid ſpirabat Areopagitæ: quid dicemus de regnante in cœlis? Digniſſima certè: cujus vel momentaneus intuitus utriuſq; oculi jacturâ ematur. Quid ergo miſeri venamur pulchra, quæ amare non poſſumus, niſi pereamus?

Propositum, v. gr. *de insigni aliqua mortificatione oculorum.*

LECTIO PRACTICA.

Pulchritudo Dei, J. & M. illecebris terrenæ Pulchritudinis opponenda.

TAm potens est oculorum cordiumq; humanorum illecebra Pulchritudo corporalis; ut fascinum quoddam dici mereatur. Tam suavi enim violentiâ oculos cordaq; rapit, detinet, possidet: ut prodigij instar sit, ex his laqueis se extricâsse salvâ conscientiâ. *Semel species formæ cordi per oculos colligata, vix magni luctaminis manu dissolvitur:* inquit Hieronymus in cap. 3. Thren. *Aspectus formosorum adeò est potens; ut ferrum virtutemq; molliat:* ait S. Prosper lib. 2. de Promiss. cap. 12. *Pulchritudo etiam robustos homines plerumq; subigit:* testatur Isidorus Pelus. lib. 2. ep. 236. Unde monet S. Spiritus Prov. 6. 25. *Non concupiscat pulchritudinem ejus* (mulieris) *cor tuum: ne capiaris nutibus illius.* Opus non est, ut voce blandiatur, labijs arrideat, brachia in amplexus vibret: sufficiunt nutus. Quanquam nec hi necessarij sunt: ni oculos maturè avertas; ipsa sponte suâ huic visco adhærebit anima, non avellenda conscientiâ salvâ.

Ut igitur hoc visco, laqueo, aut fascino non capiamur, dum quidpiam elegantioris speciei occurrit, & affectum incendit: præsentissimum medium est; oculos in cœlum, mentem convertere ad DEUM, JESUM & MARIAM, eorumq; supereminentissimam pulchritudinem, cujus rudes quasdam lineolas exhibent præsentes Meditationes, lustrare attentiùs. Apparebit illicò manifestum & infinitum inter hanc illamve discrimen: & mox terrena Pulchritudo, quanta quanta est, vanescet in umbram, ac tandem una fœditas videbitur comparatione illius, imò horrorem movebit, tanquam brutalis voluptatis illecebra, gehennæ scintilla, pietatis funus & castitatis sepulchrum dealbatum. *O quàm sordet mihi terra, dum cœlum intueor;* exclamare solebat S. P. N. Ignatius: Addere licebit: O quàm turpis est mihi omnis pulchritudo terrena, dum Divinam, eminùs licèt, ac in ænigmate, specto. Ergo hanc prodigam pro illa?

Sap. 13. perstringitur stultitia primorum idololatrarum, quòd specie creaturarum, solis, lunæ &c. delectati, deos putaverint coluerintq; non attendentes, *quanto his Dominator eorum speciosior est.* S. Thomas Aquinas, cùm mensæ regis Galliæ accumberet conviva, & species è regione sedentis formosioris cujusdam puellæ, Angelicos ejus perstrinxisset oculos; mentem illicò sustulit in DEUM, omnis pulchri ideam & authorem. Cumq; rex & proceres mirarentur absorptum, & præter morem defixum in vultu puellæ; respondit: se ab hoc humanæ pulchritudinis flore ascendisse ad æstimandam

pulchritu-

pulchritudinem Conditoris, quæ humanam omnem extinguit infinitè magis, quàm Sol scintillam. Ibi nimirum est, quod totâ mente, totâq; æternitate miremur, toto corde totâq; animâ amemus, & amare satis possimus nunquam.

Puellam nobilem in Brabantia juvenis quidam, operâ dæmonum, in sui amorem pellicere laborabat. Restitit illa constanter annis aliquot: sed tandem, cùm diu noctuq; urgeret tentatio; ut tandem se expediret, cogitavit semel adire juvenem manè facto. At ubi oculos aperuit, vidit Christum ante se, quasi plagis recentibus crucifixum, audivitq; blandâ voce dicentem: *Ama me, qui sum formosus, dulcis, bonus, generosus.* Non fuit opus pluribus; agnovit pia anima etiam in cruce Speciosum formâ præ filijs hominum, soliq; omnes suos consecravit amores. *Cantiprat. libr. 2. c. 27.* Si tam amabilis & pulcher Crucifixus JESUS: quid sentiemus de glorioso ad dexteram Patris? Numquid prudenter Paulus omnia arbitratus est ut stercora, omniumq; maluit jacturam facere: modò Christum lucrifaceret?

Notum est, quod traditur de pio Juvene: qui cùm multa audisset legissetq; de incomparabili Pulchritudine DEIparæ V. Augustissimæ Cœlorum Imperatricis; ingenti desiderio ardere cœpit illius videndæ, etiam ante fata. Auxit igitur, quæ poterat, officia, obsequia, blandimenta, ut magis sibi demereretur Virginem, & in ejus, vel momentaneum, aspectum veniret. Post multa intimavit illi per Angelum cœlorum Regina: compotem quidem voti futurum, sed oculorum usum amissurum. Pupugit hominem adjecta conditio: non diu tamen deliberavit, quin admitteret; ingenio usurus in concursu tanti lucri, tantiq; damni. Ubi ergo ineffabili pulchritudine conspicuam se dedit Virgo: clausit ille alterum oculum, alterum in admirabilem visionem explicuit; sed majestatis gloriâ obrutum, retulit cœcum. Illectus tamen cœlestis illius speciei decore & delicijs, tantum abfuit, ut infortunio suo indoleret; ut potiùs alterum quoq; oculorum promptus supplexq; offerret; modò iteratò frui posset divino illo Mariani vultûs lumine. Audijt, ut solet, clientulum Virgo; iterumq; spectabilis facta, & incredibili ipsum voluptate perfudit, & nuper ademptum gratiosissimè restituit oculum.

In hujus igitur Virginis, & Filij ejus humanam Divinamq; pulchritudinem sinceram, sanctam & incomparabilem, juvat attentiorem defigere mentem: ne inquinetur à terrena.

FERIA III. post Dom. VII. post Pentecosten.

De Pulchritudine Spirituali relucente in DEO, JESU & MARIA.

1. ADora DEUM O. M. & considera ineffabilem ejus Pulchritudinem ex eo; quòd comprehendat in se perfectissimè res omnes spirituales, naturales & supernaturales, Animas rationales & Angelos, & quidquid excellentissimorum Spirituum possibile est: Sunt autem possibiles perfectiores & perfectiores in infinitum. Quæ pulchritudo DEI admiranda prorsus est, & incomprehensibilis ab intellectu creato, præsertim à sensibus dependente, ut est humanus. Cùm enim vel unicus Spiritus, v. g. infimus Angelus perfectione sua substantiali, & pulchritudine naturali longissimè excedat perfectionem & pulchritudinem rerum omnium materialium, etiam collectivè sumptarum: qualis jam & quanta erit Pulchritudo Divina, infinitorum Angelorum perfectiorum & perfectiorum sine fine, comprehendens in se, modo eminentissimo, & excedens infinitè, perfectiones omnes, naturales & supernaturales? Quid mirum: quòd summa creaturarum rationalium Beatitudo sit, videre DEUM?

2. ADora D. JESUM, & considera eminentissimam Pulchritudinem ejus Spiritualem. Anima ejus sanctissima pulchra est per Naturam, pulchrior per gratiam & gloriam, pulcherrima per unionem hypostaticam cum VERBO divino. Naturâ longissimè superat omnem totius mundi materialis pulchritudinem; gratiâ & gloriâ extollitur super omnẽ Angelorum & Archangelorum speciem & decorẽ: Unione hypostaticâ totã infinitam pulchritudinem divinam sibi propriam fecit; ut totâ Divinitate, & omnibus omnino perfectionibus ejus Pulcher sit JESUS. Et non amabimus Pulchritudinem tantam? Meritò Apostolus: *Qui non amat Dominum nostrum Jesum Christum, sit anathema.* 1. Cor. 16. Amabimus terrenum aliquid, sepulchrum aliquod dealbatum præ pura, puta, divinissimaq; pulchritudine illa? O cœcos! O insanos amores nostros! Averte à me hanc insaniam, Pulcherrime JESU.

3. VEnerare DEIparam V. & considera illam, ut Reginam illam Psalm. 44. assistentem à dextris Majestatis divinæ in vestitu deaurato, circumdatam varietate omnigeni decoris: quæ quàmvis exteriore specie, vultûs gratijs, corporisq; cultu, adeò excellat inter filias Adæ, ut speciosissima Judith ac Esther coram ipsa Æthiopissæ videantur: Spirituali tamen Animæ decore tantum præstat; ut omnis exterior formæ venustas, majestas & gloria tanquam nihil & inane reputentur, testante S. Psalte: *Omnis gloria ejus, Filiæ regis ab intus*, nimirum ab Animæ summa puritate, à Gratiæ plenitudine, à Maternitatis divinæ dignitate. Internam hanc Virginis pulchritudinem suspice & mirare, Anima mea; & depositâ externi cultûs sollicitudine ad illam aspira. Tu, ô Domina, quæso, exorna deformem hanc pedissequam tuam.

Propositum, v. g. *de vitando nimio corporis cultu, & augendo Animæ decore.*

LECTIO PRACTICA.

De Studio Pulchritudinis Spiritualis.

PUlchra, quamdiu pulchrius quidpiam non apparet, tenent oculos nostros, & animum implent admiratione: at si pulchrius superveniat, cum fastidio deseritur, quod cum summa voluptate spectabamus. Miramur flosculos in campis, quamdiu conspectui se non ingerunt stellæ in cœlis: Stellarum fulgore pascimur, donec consurgat aurora, & plena majestate Sol succedat. Tunc, quàm modicum fuerit, quod amavimus & magni fecimus pulchrum, apparet. Idem usu venit in universa corporeorum pulchrorum officina. Miramur, amamus, magni facimus illa: quia Spiritualis pulchritudinis incomparabile decus absconditum est ab oculis nostris. Multa audimus de illa & magnifica: sed quia sub aspectum non venit; minùs nos afficiunt, quæ per aures accipimus. Si vel infimum Angelum, aut Animam rationalem in solo naturali decore suo intueri liceret: vilesceret illico & evanesceret, quidquid pulchri habet universa terræ moles. Pulchrum enim Spirituale longè propiùs accedit ad Pulchrum Divinum, (quod est mensura & pretium pulchrorum omnium) quàm materialis corporum, etiam cœlestium, massa: quemadmodum sibi similiora sunt sidera, quàm qui è ligno nascitur ignis.

Cæterùm cùm Spirituale Pulchrum nostrum enormes contraxerit labes, tum vitio originali, tum pravitate actuali: in id vires omnes & studium omne convertendum esse, manifestum est: ut illud ad primum summumque Pulchrum pro posse reducamus: & sic Pulchri pulcherrimum Authorem nostrum repræsentemus, gloriamq; debitam & plausum coram tota intelligentium universitate ipsi conciliemus. Hoc autem negotium nemo aurifaber aut gemmarius, nullus Praxiteles aut Apelles conficere potest: sed proprium nostrum, DEO collaborantium, opus esse debet. Porrò decora, quibus instruenda nobis est anima, sunt

1. Habitus naturales Artium, Facultatum & Scientiarum: quibus excolatur Intellectus. 2. Habitus naturales Virtutum Moralium, quæ corrigant, & exornent Voluntatem. 3. Thesaurus Specierum Intentionalium, quæ ditent atq; illustrent Memoriam. Nisi enim his instruatur Anima: similis est puellæ nobili inter agrestes educatæ & pelliceo syrmate horridæ. 4. Habitus Supernaturales Gratiæ Sanctificantis, quâ justificamur, & ad altissimam Filiorum DEI sortem provehimur. 5. Habitus Supernaturales Virtutum Moralium: quæ scilicet ad ritè componendos dirigendosq; mores per-

res pertinent. Harum 4 dicuntur Cardinales: Prudentia, Justitia, Fortitudo & Temperantia. Ad quarum singulas multæ aliæ referuntur. Ad *Prudentiam* Providentia, Circumspectio, &c. Ad *Justitiam* Religio, Pietas, Obedientia, Gratitudo, Veracitas, Liberalitas, Comitas, Observantia, &c. Ad *Fortitudinem* Magnanimitas, Magnificentia, Patientia, Perseverantia, &c. Ad *Temperantiam* Abstinentia, Castitas, Mansuetudo, Clementia, Modestia, Humilitas &c.

Quantum decoris accedat Animæ ex hujusmodi Habitibus & Gratijs divinis; indicat Augustin. lib. 2. ad Bonif. c. 6 dicens: *Dei Gratia non solùm sidera omnia & omnes cœlos; verùm etiam omnes Angelos supergreditur.* Et S. Thom. 1. 2. q. 113. a. 9. *Bonum Gratiæ unius majus est, quàm bonum naturæ totius universi.* Porro ut Habitus prædicti perfecto ornamento sint homini, & non vertantur in dedecus ipsius per ignaviam, reduci debent ad actus suos; cùm non acquirantur propter esse tantùm; seu ut in anima solùm resideant & splendeant sicut gemmæ in monili vel diademate: sed propter operari; ut scilicet vel expeditum reddant hominem ad operandum facile; vel potentem faciant ad exercendos eos actus, ad quos à natura vires sufficientes non habet. Perfectionem & decus hujusmodi Habituum indicat Philosophus, quando 2. Eth. 6 Virtutem definit; quod sit *Qualitas, quæ bonum facit operantem, & opus ejus bonum.* P. Jacobus Alvarez Tom. 2. l. 3 sic fusiùs describit: Virtus est supplementum naturæ, ornamentum mentis, facilitas boni operis, quâ bene sancteq; vivimus, quâ veris malis, scilicet peccatis, resistimus, meritis cumulamur, vitam æternam promeremur, & Christiformes efficimur.

Magna sunt spiritualia hæc animarum nostrarum decora, admirandam, & Angelorum æmulam ei conciliantia pulchritudinem: sed restat unum, illudq; supremum & reliquorum omnium non solùm compendium, sed etiam Fons & Principium, DEUS ipse, Optimus, Maximus. Ea enim est felicitas nostra, is honor: ut non tantùm dona sua, sed ipsum se offerat DEUS in ornamentum nostrum. *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.* Cant. 8. *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus:* ait Christus de se, & alijs personis Divinis. Joan. 14. Magnum decus, magnus honor obscuræ domûs Illustrissimus, aut Serenissimus hospes!

Hujus igitur pulchritudinis & ornatûs studiosissimos nos esse decet. Non capit inordinationem nostram Augustinus; quòd dum cætera omnia volumus, & curamus, habere pulchra, vestem pulchram, domum pulchram, quin & calceos pulchros &c. Solam Animam nolimus habere pulchram; patiamur sordibus immergi usq; ad verticem!

De Indefectibilitate Pulchritudinis DEI, JESU, & MARIÆ.

1. ADora DEUM O. M. & considera: absolutissimam & infinitam ejus Pulchritudinem undequaq; indefectibilem esse, & glorioso omnis æternitatis serto coronatam. Nec initium habuit, nec finem habebit. Nec crevit cum tempore, nec tempora quidquam illi decerpserunt. Nullis obnoxia incommodis, semper in vigore, semper in flore est. Infinita & æterna cùm sit; nunquam in ipsa deesse potest, quo alliciat, pascat & oblectet: nunquam fastidium generare potest; semper nova & antiqua. Nostræ pulchritudinis tam misera conditio est; ut manè floreat, vespere decidat & arescat. In horas vel momenta mutatur, donec in enormem abeat fœditatem. Etiam dum maximè floret, picto stercorum sacco, quàm flori similior est. Solâ superficie blanditur: intus nihil nisi oculorum nariumque tormenta sunt. Habet tamen amatores suos, eosq; plurimos, sed omnes mente captos. Non tam amant, quàm depereunt illam, & pereunt cum illa. Converte cor meum ad Te, ô Pulchritudo æterna: & averte oculos meos à vanitate tam inani, tam periculosa.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsius quoq; Pulchritudinem tam creatam, quàm increatam, omnino indefectibilem & æternam esse. Increata, quam habet ex unito Humanitati VERBO divino, indefectibilis est: cùm unio illa sit indissolubilis, ita; ut, quod VERBUM semel assumpsit, nunquam dimiserit, nec dimissurum sit. Creata quoq; pulchritudo, nata ex gratia sanctificante, habitibus supernaturalibus, & dotibus corporis gloriosi, æterna est. Si enim DEUS etiam in mortali corpore non dedit Sanctum suum videre corruptionem: multò minùs defectum aliquem patietur in ejusdem corpore, gloria & honore, pro infinitis meritis suis, jam coronato. *Dominus regnavit, decorem indutus est: indutus est Dominus fortitudinem, & præcinxit se.* Psal. 92. Præcinxit se, omnem decorem suum & fortitudinem zonâ æternitatis, nunquam dissolvendâ, sibi adstringendo. Beati oculi, qui divinâ hâc specie pascentur æternùm! Infelicissimi, qui JESUM Gratiosum videbunt nunquam, & aspectu monstrorum infernalium cruciabuntur semper!

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsius etiam pulchritudinem fuisse & esse omnino indefectibilem. Animam nulla unquam inquinavit vel minima labes. *Pulchra tota, sine nota cujuscunq; maculæ!* Corporis incomparabilem formam & accuratissimam temperiem, nec vis alicu-

 jus mor-

jus morbi, nec æstus indomiti cujusdam affectûs, nec agnata sexui infirmitas, nec mors ipsa aliquatenus vitiârunt. Imò è sepulchro gloriosior effloruit, pascetq; æternâ voluptate oculos mentesq; Beatorum: ut meritò eam Gregorius Nicomed. Or. de exitu B. V. appellet *Pulchritudinem pulcherrimam omnium pulchritudinum.* Ah! Amo te, quæ tam formosa: mea Gemma, mea Rosa! Tibi uni cor meum!

Propositum, v. gr. *de coërcenda insatiabili oculorum curiositate.*

LECTIO PRACTICA.

De Defectibilitate & Defectibus Pulchritudinis terrestris.

DUm pulchritudo quæpiam creata tentat solicitatq; animum: plurimùm conducit, advertere mentem ad ejus defectibilitatem & defectus. Tam enim modicum est, fluxum, & non sincerum, quod in corporibus humanis se ostentat pulchrum: ut spirituum amorem vix mereatur; & si non odio, contemptu certè sit dignissimum. Fuerit in eo pretio apud Assyrios pulchritudo mulierum Hebræarum: ut non dubitârint eas vel sanguinis impendio emere: *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent; ut non pro his meritò contra eas pugnare debeamus?* Judith. 10. Fuerint tam salaces Holofernis oculi: ut eos non solùm cœlestis quædam in vultu Judith radians species ceperit; sed ipsa ejus rapuerint sandalia: *Sandalia ejus rapuerunt oculos ejus; pulchritudo ejus captivam fecit animam ejus:* Jud. 16. at oculos Christianorum eruditiores esse decet; ut sciant separare pretiosum à vili, & inter pulchra, sincera & fucata, solida & fluxa, nôrint discernere.

Tolle corpori humano, quâ blanditur, superficiem: & horrebis, quod amabas. Inspice paulò profundiùs: & quid videbis, nisi saccum stercorum, cloacam sordium, pabulum vermium, tormentum sensuum? Proinde sicut fimetum nemo habet cinamomi loco, nec amat, nisi agricola; etsi candidissimâ nive sit coopertum: ita formosorum corpora non magni fieri convenit ob cuticulæ nitorem, quem tenuis febricula facile extinguit. *Fallax gratia, & vana est pulchritudo:* monet Sapiens Prov. 31. Quantacunq; videatur; quantumcunq; blandiatur: vana est, fallax est, teste Veritate æterna. Adstipulantur humani Sapientes. Rogati enim; quid sit Pulchritudo humana? Respondit Socrates: Pulchritudo *est modici temporis tyrannis.* Theophrastus: *Est tacita deceptio.* Xenophon: *Est ignis, qui tangentes urit, distantes inflammat.* Theocritus: *est eburneum detrimentum.* S. Hieronymus: *est Oblivio rationis.* S. Chrysostomus ep. ad Theod. lapsum: *est gypsum sepulchro inductum.* S. Gregorius Nazianzenus Or. 31. *est temporis & mor-*

rù & morbi ludibrium. Petrarcha Dial. 2. vocat Raptorem quietis & temporis, perpetuum tortorem, uberrimam discriminum causam, fomentum libidinum, non minorem odij, quàm amoris causam.

S. Bernardinus Serm. 36. scribit: Puellam deformem, nanam, gibbosam fuisse, quæ cothurnis alijsq; adminiculis & ornamentis ita personam immutârat: ut in conjugem à viro nobili sit adlecta. Verùm dum sub vesperam se exuit; maritus eam breviorem intuitus, & ingeniculare ratus, cùm assurgere jussisset, nanam, gibbosam, luscam, edentulam reperit, seque turpiter delusum advertit. Sic & naturalis pulchritudo non paucos decipit; & quàm monstrosos noxiosq; occultârit defectus, seriùs citiusq; patebit. Præterquam enim quòd nimiùm defectibilis & fluxa sit: 1. *Rara est concordia formæ atq; pudicitiæ:* teste Juven. Sat. 10. Et Ovidio: Lis est cum forma magna pudicitiæ. 2. *Fastus inest pulchris, sequiturq; superbia formam:* cecint idē 1. Fast. Amant sese ostentare, & obviorum admirationi propinare; cæteros autem despicere. Unde, ut solet evenire superbis, sequitur lapsus non unus, nec levis. 3. Eximia forma multas generat tentationes, provocat concupiscentias. *Sicut ignis, ubi fœnum corripuit, nihil moratur:* inquit S. Chrysostomus hom. 3. de verb. Isa. *sed simul ut attigit materiam, accendit flammam: sic ignis concupiscentiæ simul atq; per oculorum intuitum elegantem attigerit formam, protinus exurit animum.* Unde, ut refert Corn. à Lap. in c. 6. Prov. Matrona quædam sancta & sapiens in Belgio monebat Confessarios: ut caverent sibi quàm diligentissimè ab aspectu fœminarum pœnitentium, Tam illices enim, ajebat, sunt earum oculi; ut, si illos in quempiam configant, eum planè irretiant. Et certa sum, addebat, non esse virum adeò gravem & constantem; cui, si fixè eum per quadrantem aspexero, & ab ipso aspecta fuero; non persuasero, quidquid voluero. 4. Non pauciores aut leviores patitur, quàm generat, tentationes & pericula elegans species. Æquè periculosum ei est videri, ac alijs videre. Visa est Dina, Gen. 34. & rapta ad stuprum; visa Bethsabee 2. Reg. 12. & abducta ad adulterium. Insidiæ tenduntur undiq;, domi forisq;: quod si externæ desint, non desunt internæ. Ipse visus in speculo vultus elegantior plerumq; vanam & sensualem generat complacentiam, ex qua facile nascitur concupiscentia: cùm ab amore formæ propriæ facillimus sit transitus ad amorem alienæ. 5. Visa & adamata forma elegantior, non solùm temporalibus corripit ustulatq; cor ignibus, & florentissimam, cum integris patrimonijs, depascitur valetudinem: sed miserum, & super carbones denigratum amatorem æternis plerumq; involvit incendijs. Ita enim concitat affectus, implicat cor, dementat mentem: ut impossibile ei videatur odisse amatam.

Ex his similibusq; venustioris formæ defectibus & damnis consideratis; facile vilescet, imò exosa reddetur, corporum formosiorum species: nec placebit, tantis impensis & detrimentis emere Pœnitere, jacturamq; æternam facere illius veri, sinceri, perpetui, primi, summiq; Pulchri, cujus vel momentaneus conspectus æterna implere nos potest voluptate, quæ exuperat omnem sensum. Quin potiùs absq; diuturna deliberatione, omnia terrena cum Apostolo arbitrabimur ut stercora.

FERIA V. post Dom. VII. post Pentecosten.

De Innocentia Pulchritudinis DEI, JESU & MARIÆ.

1. ADora DEUM O. M. & considera: Pulchritudinem ipsius esse innocentissimam & sanctissimam. Quia non solùm non præbet ullam causam, vel occasionem alicuj inordinato affectuj: sed clarè intuentes ipsam, ut est in se, facit omnino impeccabiles. Ita enim afficit mentes & corda: ut plenè illa satiet, nullumq; relinquat locum inordinato alicujus speciej creatæ amorj. Infelicitas hæc est creatæ Pulchritudinis; ut, quò major est, eò fœdiores in animis corporibusq; excitet motus ac æstus, & funestiores in hominibus edat strages. *Viderunt Filij Dei*, Gen. 6. *filias hominum, quòd essent pulchræ*: & mox invaluit *malitia multa in terra ita; ut cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore; Deus tangeretur dolore cordis intrinsecus*, & ultricibus aquis expiari oporteret orbem terrarum. Quantam intemperiem in corde fratris concitavit pulchritudo Thamar? 2. Reg. 13. Vix tabernaculum Holofernis ingressa erat non minùs sancta, quàm pulchra Judith: & *statim captus est Holofernes*. Jud. 10. Sic, etiam sanctissima hominum pulchritudo, omnino innocens esse non potest. Quid igitur emissarios oculos spargamus per formas, quæ nos tam deformes, fœdos & miseros faciunt? Sursum oculos & corda: ubi Pulchritudo innocentissima.

2. ADora D. JESUM, & considera: quòd, quàmvis in divino ejus vultu infinitæ consederint gratiæ, omnes fuerint innocentissimæ, imò sanctificantes. Testes sunt, Mulier in civitate peccatrix, Samaritana Joan. 4. Zachæus ex Sycomoro cupiens videre JESUM, & plures alij, quibus saluti fuit vidisse JESUM. Promicabant enim ex illo Speculo sine macula, ex illa divinæ Bonitatis & Sanctitatis absolutissimâ Imagine, arcani quidam radij, quibus detegebantur & abstergebantur animarum labes, componebatur cordium intemperies, extinguebantur impuri æstus, & archetypo suo conformabatur homo ad imaginem & similitudinem DEI factus. O operetur similia in me hodie, & in omni tentatione, gratiosissimus & innocen-

innocentissimus vultus tuus, Speciosissime JESU; magis quàm Jonathas, *decore nimis & amabilis super amorem mulierum!* Faciem tuam illumina super servum tuum: ut videam, quid, quo commodo vel incommodo, amem.

3. VEnerare DEIparam V. & considera summam inenarrabilis pulchritudinis ejus innocentiam & sanctimoniam. Ita enim in Virgineo ejus vultu naturales & supernaturales gratiæ attemperatæ fuerunt, ita lacteum ruborem & omnia lineamenta illuminabat lux quædam divina: ut suavissimâ violentiâ intuentes raperet in amorem; nec amari posset, nisi castissimè. Ipsam descripsit Sapientia divina, quando Eccli. 24. de se dixit: *Flores mei fructus honoris & honestatis. Ego Mater pulchræ dilectionis. In me gratia omnis viæ & veritatis: in me omnis spes vitæ & virtutis.* O pulchræ dilectionis pulcherrima Mater, ô fœcundissima Radix omnis honestatis; ô Flos formosissime omnis virtutis; converte me ad amandam veram, solidam & innocentem Pulchritudinem. Quid mihi cum sepulchris dealbatis?

Propositum: *Examina amores tuos, & latentia in illis pericula maturè fuge! fuge!*

LECTIO PRACTICA.

Quàm noxius sit aspectus corporum formosiorum.

DUbium non est: insignem corporis pulchritudinem esse eximium donum DEI, & Conditoris sui luculenter commendare artificium atq; pulchritudinem. *Pulchritudo corporis bonum Dei donum est:* inquit Augustinus libr. 15. de Civit. & passim *gratior est pulchro veniens è corpore virtus.* Tertullianus lib. de cultu fœmin. c. 2. *Accusandus*, ait, *decor non est: sed habendus ut felicitas corporis, ut divinæ plasticæ accessio, ut animæ aliqua vestis urbana.* Inter noxia tamen communiter à sanctioris vitæ Magistris censetur corporum Pulchritudo: non quidem vitio suo, sed nostra pravitate & indomita cupiditate, quæ ex illarum intuitu plerumq; exardescit in vetita. Unde Chrysostom. hom. 22. in Gen. *Non est reprehendendus aspectus oculorum: sed voluntatis negligentia, & effrenata concupiscentia. Nam oculus propterea factus est: ut, dum videt creaturas Dei, ipsorum Conditor glorificetur. Itaq; oculi opus est, Videre: malè autem videre à mente est, quæ intrinsecus gubernat;* & facile in illicita se pertrahi sinit æstu concupiscentiæ.

Eandem proinde patitur notam & infamiam Pulchritudo corporum humanorum, quam pomum illud Paradisiacum; quod in se optimum, nobis, vitio protoparentum fuit summè noxium. Sola DEI-Hominis & Matris ejus incomparabilis, atque Divinum quid spirans, formæ venustas eo gaudebat privilegio: ut non solùm innocenter aspiceretur; verùm etiam aspicientibus singularem castimoniæ afflaret amorem. Cæterùm quàmvis

DEIpara V. ubertate gratiarum divinarum plena & superplena, non haberet, quam metue, ret contrahendam labem vel levissimam: oculos tamen semper habebat modestissimè dejectos, & alterius sexûs omnino incurios. Unde, ut notavit S. Eucherius, in Legatione Archangeli, non dicitur turbata in vultu ejus, vel aspectu ejus: sed *in sermone ejus:* non enim Angelum, sed verbum Angeli attendebat; (ait Eucherius) insigni exemplo nobis, cupiditatibus tam pravis æstuantibus, in cautelam relicto.

Cùm igitur tantâ laboremus infirmitate, atque passim, quò non licet, vi concupiscentiæ pravæ abripiamur: & unanimi SS. Patrum sententiâ, & Divinarum Literarum authoritate, & tragicorum exemplorum multitudine, meritò prohibemur libero fixoq; formosarum formosorumq; aspectu: ne & in nos cadat, quod Daniel. c. 13. exprobravit impuro Susannistæ: *Species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum.*

Providè monet Spiritus S. Eccl. 9. *Ne circumspicias speciem alienam. Propter speciem mulierū multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit* Opportunè S. Gregorius lib. 21. Mor. c. 2. *Deprimendi sunt oculi tanquam raptores ad culpam. Quisquis enim per has corporis fenestras incautè exterius respicit: plerumq; in delectationem peccati etiam nolens cadit; atq; obligatus desiderijs incipit velle, quod nolebat. Princeps quippe anima, dum cautè non providet, ne incautè videat, quod concupiscat: cœca pòst incipit desiderare, quod videt.* S. Laurentius Justin. c. 7. de Vita Solit. exclamat: *O quantis concupiscentiarum sagittis ex inordinato oculorum aspectu imprudentis cor transfigitur?* Quot & quantis fatale fuit, vel semel liberiùs vidisse? Divinum Oraculum est: *Nequius oculo quid creatum est?* Eccl. 31. *Gravis & vehemens est prædator oculus vagus, atque distractus:* ait S. Ephrem. Parœm. 37. Innumeris expressit pœnitentialem illum lessum: *Oculus meus deprædatus est animam meam.* Thren. 3.

Hinc S. Thomas Aquin. quàmvis Castitatis baltheo præcinctus ab Angelo, tam solicitè formosorum vultuum aspectum vitabat, atq; alij viperas & scorpiones fugere solent. S. Hugo Episcopus Gratianop. quàmvis singulari DEI dono à tentationibus carnis omnino liberrimus erat: per 50. tamen annos, quibus Episcopatui præfuit, in nullius unquam mulieris vultum oculos fixit. Ferdinandus II. Imp. pijssimus, nunquam fœminæ locutus est solus, sed aulâ spectante. Quodsi decoris causâ adesse aulici non possent: Imperatricem adesse colloquij arbitram volebat. Agebat autem eâ modestiâ: ut in colloquentis vultum nunquam intueretur: & fama est, eum in omni vita nullius fœminæ vultum ac venustatem consideràsse. *Lohn. in Bibl. V.*

Oculorum Custodia. S. Macarius volebat Monachos è cella fugere, si eam formosi pueri ingressi essent. *Lancic. Opusc. 2. cap. 2.* Alexander M. cùm nunciatum ei esset; captam uxorem Darij regis formosissimam; rescripsit Parmenioni: Ego non solùm non vidisse inveniar uxorem Darij, aut videre cogitâsse; sed nec verba facientes de ejus forma, audire sustinuisse. *Idem ib.* Quid ad hoc Christiani, præsertim Religiosi, alijq; Ecclesiastici?

FERIA VI. post Domin. VII. post Pentecosten.

Deus, Jesus & Maria tenerrimi amatores pulchritudinis animarum nostrarum.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quantus sit amator Pulchritudinis animarum nostrarum. Pulcherrimus ipse, imò ipsa Pulchritudo, fecit illas ad imaginem & similitudinem suam: nec verbo solùm, ut cætera, & quasi obiter produxit, aut è limo eduxit cum corpore, sed scitissimè elaborato corpori inspiravit animam, & etiamnum inspirat, tanquam divinæ particulam auræ, quasi anhelus ex æstu amoris erga tam pulchram creaturam. Quam ut pulchriorem proponeret Angelorum admirationi & suæ dilectioni; quàm nitidâ & pretiosâ vestivit illam in Protoparentibus innocentiæ stolâ? Quàm splendidâ etiamnum & variâ chlamyde gratiarum induit Animas in lavacro regenerationis, easq; vult comptissimas & ornatissimas tanquàm Sponsas & Filias Maximi Regis? Qualibus eas pingit divini Spiritûs unguentis: quali mundat hysopo, ut super nivem dealbatæ, totæ sint pulchræ & gratiosæ, atq; admirabili oris divini osculo dignæ. O Anima mea, vide, quæso, & sedulò recogita: cujus oculis placere debeas. Vide, quis, quantis te sibi instruxerit gratijs & monilibus. Audebis adhuc alios quærere, vel admittere amatores? Parce: ô Pulchritudo mea, DEUS. Deinceps Uni Tibi.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm Studiosus & ipse sit Pulchritudinis animarum nostrarum. Ut originali labe fœdatas mundaret, non ex aquis Jordanis, non ex vineis Engaddi, non ex eliquatis unionibus ipsis apparavit balneum; sed ex divino sanguine suo (cujus guttula pretij est infiniti) ex omnibus venulis, & toto corpore, sibi deprompto. *Se ipsum tradidit: ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi: sed ut sit sancta & immaculata.* Ephes. 5. Elevatas de stercore non satis habuit mundâsse: sed ad inæstimabilem Sponsarum dignitatem assumpsit, tamq; liberaliter pretiosissimo Sponsarum cultu ornavit; ut quævis cum S. Agnete gloriari possit: Dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæstimabiles margari-

margaritas. Induit me Dominus cyclade auro texta, & immensis monilibus ornavit me. Mel & lac ex ejus ore suscepi; & sanguis ejus ornavit genas meas. Quid insuper? *Posuit signum in faciem meam; ut nullum præter eum amatorem admittam.* Non admittam. Tibi soli, Divine Sanguinum Sponse, servabo fidem: Tibi semper florebit Pulchritudo animæ meæ.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quanto studio ipsa quoq; desideret expetatq;: Animas nostras in suis & divinis oculis quàm pulcherrimas apparere. Primiceria & Dux Virginum omnium est; *Afferentur ei Virgines post eam.* Psal. 44. vult sequaces suas dignas se, & conspectu Regis. Regina regnans est: gynæceum aulamq; suam vult speciosissimam splendidissimamq;. Mater est animarum fidelium; vult filias suas *circumornatas ut similitudinem templi.* Psal. 143. Vide igitur, Anima mea; quid in te displicere possit Duci, Reginæ, & Matri tuæ. Heu mihi! Quàm annosâ scabie scates? Admove ipsa manum & lixivium, ô Mater Gratiosissima.

Propositum, v. gr. *de Examinibus quotidianis diligentiùs adhibendis, speculorum instar.*

LECTIO PRACTICA.

De fugiendis etiam meris Imperfectionibus.

CErtum est apud Theologos & Ascetas: in hominibus probis, etiam Sanctis, dari subinde quasdam Imperfectiones, quæ nullam continent etiam venialem culpam, adeoq; peccata non sunt. Displicent autem DEO & Divis, atq; spiritualis vitæ Magistris, tanquam defectus, seu privationes perfectionis & spiritualis pulchritudinis, quæ alicui vi regulæ seu vocationis suæ inesse deberet. Unde Suarius tom. 4. de Relig. tr. 8. l. 1. c. 3. præter alios, docet: Imperfectionem latiùs patere, quàm venialem culpam. Recenset hujusmodi imperfectiones non paucas P. Nicol. Lancicius Opusc. 2. de Cura minimorum; & Opusc. 3. cap. 1.

Negligendæ autem non sunt, sed omni diligentiâ declinandæ, & corrigendæ, si quæ contractæ cernuntur: Siquidem DEO, JESU & MARIÆ tenerrimis, pariterq; zelosis pulchritudinis animarum nostrarum amatoribus, specialiter placere optamus. Nam quemadmodum qui in principum regumq; aulis & obsequijs versantur non gregarij famuli, in id sunt toti intenti; ut quàm comptissimi appareant in conspectu principum, non tantùm sordidum habitum & malos mores in familia sua versantium, sed etiam tenues defectus, si veniant in conspectum eorum: ita multò magis ea cura solicitos tenere debet famulantes summis orbis universi Principibus. Exponit hoc

ponit hoc disertiùs S. Laurentius Justin. de discipl. & perfect. Monast. cap. 17. *Mortalium regum ministri*, inquit, *& terrenis Imperatoribus famulantes, quotiescunq; se suorum præbent aspectibus dominorum; cunctas, quas vel in vestibus, vel in facie gerunt, sordes, diluere studiosè conantur; ne quid in ipsis incompositum aut indecorum appareat, quod oculis principis despicabile videatur. Dignum quippe est: ut, quidquid sordescit, quidquid deforme est, amoveant à se: quatenus aspectus eorum alliciant, quibus placere concupiscunt. Capitur enim animus plerumq; ex ornatu & speciositate creaturarum. Hanc regulam, hunc quoq; morem solerter custodire debent omnes æterno Regi militantes. Illis namq; congruit; ita exteriorem habitum, corporis gressus, morum actus, animæ cogitatus, animorum affectus componere: ut nihil in eis reprehensibile agnoscatur &c. Propterea Angelicam conversationem tenere conentur: quotquot cœlesti domino gratissimum desiderant exhibere famulatum.*

Quanto studio in omnibus tribubus Israel ministri regis David quæsierint puellam *pulchram nimis*, quæ ministraret seni, & dormiret in sinu ejus: docet Sacra Regum historia lib. 3. c. 1. Assuero regi, regnanti ab India usq; Æthiopiam super centum 27 provincias, quàm solicitè per universas tanti imperij provincias, quæri debuit Sponsa, quæ solo formæ suæ suffragio mereretur regnum: patet ex libr. Esther c. 2. Ephebos quales, de semine regio & tyrannorum, in quibus nulla esset macula, decoros formâ, & eruditos omni sapientiâ, desideraverit Nabuchodonosor rex Babylonis: docet cap. 1. Prophetia Danielis: Quomodo rex Evangelicus hominem non ornatum veste nuptiali, exturbârit è convivio suo: constat ex Matt. 22. Quantò magis in famulis, aulicis, ministris, & sponsis suis, competentem requirent ornatum, decorem & pulchritudinem DEUS, JESUS & MARIA?

Exigit autem hæc DEUS titulo tantò graviore, quantò plus contulit ad nos non solùm mundandos à sordibus peccatorum, sed etiam ornandos omnigenis gratijs. Nam ut ait Apostolus Coloss. 1. *Deus reconciliavit nos in corpore carnis Christi per mortem, exhibere sanctos & immaculatos & irreprehensibiles coram ipso.* Quodsi hoc exigit DEUS à Christianis omnibus, quanto magis à Religiosis, alijsq; ministris Christi: qui, ut loquitur Nazianzenus Apol. de sua fuga, debent *vitam agere rebus omnibus visibilibus superiorem; divinasq; species & imagines puras semper, nec ullis terrenis & errabundis permixtas in se ipsis circumferre: & dei, rerumq; divinarum purum omnino speculum esse.* Idem alibi Sacram DEO Virginem alloquens, *Illud*, inquit, *velim non ignores: rugam tibi unam turpiorem esse, quàm maxima vulnera ijs, qui in mundo vivunt.*

Eò proinde principaliter convertamus curas nostras: ut pulchri Pulchris serviamus, non solùm culpas, sed etiam imperfectiones meras studiosè devitantes. Versentur animæ nostræ in conspectu Domini, humili obsequendi studio Ancillæ, cultu animi & virtutum splendore Reginæ: & concupiscet Rex decorem earum, facietq; illas assistere à dextris suis, donec introducantur in thalamum gloriæ æternæ.

SABBATO post Dom. VII. à Pentecoste.

DEO, JESU & MARIÆ quàm ingratæ Animæ inquinatæ.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quantum ei placent Animæ mundæ & sanctæ, tantum displicent inquinatæ & sordidæ. Nam *mundi sunt oculi tui, ne videas malum, & respicere ad iniquitatem non poteris* (Hab. 1) sine ingenti abominatione. Nec sola peccata sic detestatur DEUS, verùm & animas ipsis inquinatas. *Similiter odio sunt Deo impius & impietas ejus.* Sap. 14. Nec lethalibus solùm noxis fœdatæ offendunt mundissimos illos oculos, sed etiam venialibus infectæ: quemadmodum non tantùm faciem cancro semesam horremus; verùm & leprâ vel scabie vitiatam ferre non possunt oculi cultiores. Unde quantumcunq; quibusdam pietatis officijs blandiatur DEO anima minoribus peccatis assueta; audire debebit: *Si laveris te nitro, & multiplicaveris tibi herbam borith; maculata es in iniquitate tua coram me, dicit dominus Deus.* Jerem. 2. Necesse est omnes, ad unam, labeculas etiam minimas vel pœnitentiæ lacrymis elui, vel purgantibus flammis exuri priùs, quàm in divinum admittatur conspectum. Hæc maturiùs considerantes quidam, cultu animorum magis elegantes, mori maluerunt, quàm fœdari, & ingratam DEO speciem exhibere. Quid nos? Quam faciem objicimus oculis divinis? Parce, DEUS: & ampliùs, ampliùs lava me.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm graviter necesse sit offendi oculos & cor ipsius, quando videt; Sponsas suas ex millibus lectissimas, animas fideles, tam speciosè quàm pretiosè à se mundatas, ornatas, enutritas, ultrò se inquinare fœdissimè, & scrofarum instar deliciari in volutabro luti. *Qui nutriebantur in croceis, amplexati sunt stercora. Candidiores Nazaræi ejus nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, sapphiro pulchriores! Denigrata est super carbones facies eorum; & non sunt cogniti in plateis;* (Thren. 4.) multo minùs in aula cœlesti. Imò nec minores nævos dissimulat in Sponsis suis Sponsus divinus JESUS. Paulò morosiorem expertus Sponsam (Cant. 5.) in aperiendo sibi: illico declinavit, & transijt; nec

reperiri

reperiri potuit, nisi post impositas illi à custodibus civitatis plagas. Angelum Ecclesiæ Ephesinæ, quàmvis fidelem sibi & fortem, Apoc. 2. graviter argui curavit; quòd charitatis primæ fervorem reliquisset. Vide igitur anima mea: quàm delicati visûs habeas Sponsum. Amove ocyùs, quidquid ei displicere potest. Ipsi placuisse, summa beatitudo est. Anima Christi sanctifica me. Aqua lateris Christi lava me.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsius oculis graves esse animas, voluntarijs maculis inquinari solitas; quemadmodum non uno prodigio indicavit; quando in Imaginibus suis visa est frontem severiùs contraxisse, oculos rigidiore supercilio armâsse, aut vultum penitus avertisse à devotis sibi, sed non satis mundis. Quæ enim conventio lucis ad tenebras, puritatis summæ cum sordibus? Parce Domina, quòd purissimos oculos tuos offenderim non paucis nec levibus nævis. Vitabo illos studiosiùs. Impetra gratiam.

Propositum, v. gr. *de certo vitando peccato, quo maximè inquinari soles.*

LECTIO PRACTICA.

Quali, quantæq; studendum Munditiei?

DE Christo D. & Ecclesia dicit Apostolus Ephes. 5. *Se ipsum tradidit pro ea: ut illam sanctificaret*, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ; *ut exhiberet ipsi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid hujusmodi: sed ut sit sancta & immaculata.* Munditiem ergo in fidelibus suis, præsertim qui sunt honoratiora Ecclesiæ membra, requirit Christus inprimis talem, quæ excludat tum sordes & fœditates gravium, seu lethalium peccatorum, tum etiam, quantum humana fragilitas patitur, minorum, seu venialium, peccatorum deliberatè commissorum maculas. Deinde ut alacres & vegeti ambulent in novitate Spiritûs, depositâ vetustate, & quasi exutis rugis, veteris mundanæ conversationis & habituum pravorum. Deformant enim speciosos aliàs vultus rugæ, instar macularum quarundam, minusq; amabilem reddunt sponsam. Insuper vult caveri peccata subreptitia (quæ non plenâ deliberatione committuntur ex fragilitate humana) & imperfectiones, de quibus Lect. præced. actum: prout indicant illæ particulæ, *aut aliquid hujusmodi.* Deniq; eam requirit munditiem, quam simul commendet eximius virtutum ornatus: ut ita exhibeamus ipsi animas nostras non solùm non inquinatas, sed etiam Sanctas & Gloriosas.

DEIpara V. lib. 2. Revel. c. 21. docuit distinctiùs S. Brigittam; qualis quantaq; munditia debeat commendare animam, quæ sit Sponsa Christi, secundùm illud 2. Cor. 11. *Despondi vos uni viro, virginem castam exhibere Christo.* Pri-

sto. Primò itaq; tenetur habere *Vestes decoras*, mundas & rite compositas; *ne fortè rideatur à famulis Regis, si in vestibus deprehendatur aliqua deformitas*. Secundò debet esse *morigerata juxta voluntatem Sponsi: ne si aliquid in actibus suis deprehendatur inhonestum, dehonestetur Sponsus propter eam*. Tertiò debet esse *mundissima: ut Sponsus non inveniat in ea unam maculam, pro qua contemni, & repudiari possit*: sive per separationem totalem, seu exclusionem ex gratia & amicitia, si macula sit gravis; sive per neglectum quendam, & subtractionem specialis favoris ac benevolentiæ, si macula sit levior.

Advertit autem S. Bernardus *Serm. de triplici custodia*: in animabus DEO specialiter dicatis, & sanctioris vitæ studiosis, magis apparere, & apprehendi etiam minores nævos, qui sub censuram non veniunt in alijs. *Quò nitidiores sunt manus, eò graviùs quivis minor nævus offendit: & sicut pretiosam vestem exigua quævis macula turpiùs decolorat. Nobis ad immunditiam minima quælibet inobedientia sufficit: nec jam nævus est, sed gravis macula, si in actionibus nostris vel minorum residet negligentia mandatorum.* In eundem sensum loquitur lib. 2. de Consid. ad Eugen, de immunditijs oris personarum DEO sacratorum. *Inter sæculares nugæ, nugæ sunt: in ore Sacerdotis blasphemiæ. Consecrâsti os tuum Evangelio: talibus jam aperire illicitum, assuescere sacrilegium est.* Quæ quàmvis secundùm literam nimium sonent rigorem: interior tamen verus sensus indicat; notabiliter aggravari delictum ex professione sacra delinquentis; minimamq; maculam in candidiore anima notari & displicere.

Patet id etiam ex reprehensionibus & pœnis, quibus subinde hujusmodi labeculæ perstrictæ sunt. Alphonsus Rodriquez notæ Sanctitatis Coadjutor è Societ. JESU in officina quadam per inconsiderantiam, idq; obiter, oculos in fœminam conjecerat. Non tulit eum defectum in servo sibi charissimo DEIpara V. sed graviter admonitum cautiorem esse jussit. Ille tam rigidum oculis suis frenum injecit; ut deinceps per annos 44. nunquam fœminæ faciem aspexerit. Alius ex eadem Societate, Joannes Carera, tam familiarem habuit Angelum Custodem: ut is etiam Consiliarij & excitatoris munere apud ipsum fungeretur. At ubi Joannes aliquando somno victus, non statim excitanti paruit; per dies aliquot ejus consuetudine privatus est; multisq; opus fuit precibus & jejunijs, ut offensum reconciliaret. Simili pœnâ mulctabat S. Franciscam Romanam familiarissimus ipsi Angelus, quoties levissimum defectum per inconsiderantiam commiserat. Graviùs luit Oza Levites 2. Reg. 6. tactum Arcæ leviter solùm irreverentem: ut multi PP. & Interpretes docent. Plura hujusmodi exempla videri possunt apud Lancic. Opusc. 16. c. 10. & seqq.

Proinde

Proinde qui inquinatus est, mundari festinet, & purissimos DEI, JESU & MARIÆ oculos offendere non præsumat. Qui mundus est, mundetur adhuc: ut animam suam exhibeat non solùm immaculatam, sed splendidam & gloriosam.

DOM VIII. post Pentecosten.

De Suavitate DEI, JESU & MARIÆ.

1. ADora DEUM O. M. & considera mirabilem & infinitam ejus Suavitatem. Consistit Suavitas agentium liberorum in blanda quadam morum & sermonis concinnitate & comitate, quâ corda demulcentur, & animi velut byssinis vinculis devinciuntur amori alterius, atque ad omnem ejus nutum leniter simul ac fortiter circumaguntur. De DEO testatur sacer Psaltes: *Gustate, & videte; quoniam suavis est Dominus: beatus vir, qui sperat in eo.* Psal. 33. Non tam prolixis & profundis Speculationibus vult nos discere Suavitatem DEI, sed ipso usu & experientiâ; eò, quòd omnino obvia sit, & facillimè deprehendi potest, instar cibi delicatioris & unguenti suavissimi. Modò enim nos reflectamus: quàm leniter, benignè, indulgenter, & amanter ad hanc usq; horam egerit nobiscum, durissima meritis: facillimè admirandam ejus Suavitatem videbimus, & mirabimur, præsertim ubi adverterimus; eam instar lucis solaris in omnes, malos & bonos, profusam esse. *Suavis Dominus universis!* Psal. 144. *O quàm bonus & suavis est, Domine, Spiritus tuus in omnibus!* Sap. 12. At quàm acerbus & rigidus spiritus meus?

2. ADora D. JESUM, & considera incomparabilem ejus Suavitatem in agendo & loquendo. Ipse enim est increata & æterna illa Sapientia, cujus Spiritum, seu genium, describit Spiritus Sanctus Sap. 7. quòd sit sanctus, certus, *suavis*, amans bonum, benefaciens, humanus, benignus, &c. Etiam dum jugum hominibus imponit, *jugum ejus suave est.* Matt. 11. Dum loquitur, verba vitæ æternæ habet; favos & ambrosiam cœlestem fundit. *Guttur illius suavissimum, & totus desiderabilis!* Cant. 5. Nos, quàm duri sumus in agendo, quàm asperi in loquendo? *Tu autem*, Suavissime JESU, *Deus noster, suavis & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia.* Sap. 15. Flecte duritiem meam, mitiga rigorem: fiat in me propter Te, duplex Spiritus tuus, suavis pariter ac fortis.

3. VEnerare DEIparam V. & considera ipsam ut merissimam Suavitatem. Ipsi præ omnibus convenit illud Cant. 4. *Favus distillans labia tua Sponsa, mel & lac sub lingua tua, & odor vestimentorum tuorum sicut*

 odor thu-

odor thuris, suavissimus. Et Cant. 6. *Pulchra es, amica mea, suavis & decora sicut Jerusalem*: & vultu gratiosissima, & moribus verbisq; ad omnem humanitatem & comitatem composita. Ipsa est venustissima & cultissima Sunamitis, in omnibus finibus Israel, imò mundi, diu quæsita; cujus nardus, dum esset Rex in accubitu suo, dedit odorem Suavitatis. O forma, & reforma, Suavissima Virgo, asperitatem morum meorum!

Propositum, v. g. *de suavitate & comitate in agendo & loquendo.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm necessaria nobis est Suavitas in loquendo & agendo.

QUi abstrusa eremi incolunt, ferarum concives; minùs soliciti esse possunt de Suavitate & Comitate morum. At qui in frequentia hominum degunt, cum hominibus in dies conversantur, & spiritualem inter illos, & ex illis fructum quærunt; tam necessariam habent Suavitatem in conversando; quàm necessaria est campis & agris pluvia leniter irrigua; ut vernâ rideant amœnitate, & æstivâ nos recreent ubertate. Animi hominum congenitæ libertatis sibi admodum conscij, ægerrimè violenta patiuntur imperia: byssino filo circumaguntur faciliùs, & in vota nostra ducuntur, quàm stridente ferreâ catenâ.

Hinc DEUS ipse populo suo Ducem pariter ac Judicem daturus in Ægypto, hominem elegit *Mitissimum super omnes homines, qui morabantur in terra.* Numer. 12. voluitq;: ut per annos 40 inter oves poneret rudimenta regendi in spiritu lenitatis, antequam applicaretur regendo populo durissimæ cervicis. Et successit feliciter gubernatio, meruitq; Moyses comitate suâ speciosissimum illud elogium Eccl. 45. *Dilectus Deo & hominibus, cujus memoria in benedictione est. In fide & bonitate ipsius sanctum fecit illum: & in verbis suis monstra placavit.* Quæ monstra? Inprimis passiones suas biliosas, deinde portenta illa contumaciæ & barbariei, duos hominum milliones incultorum: quos comitate & suavitate sua sibi subjecit, circumduxitq;. Similiter & alterum populi sui principem de post fœtantes accepit, indole mitissimâ & planè ovinâ, ideoq; vel eo solo nomine *Virum secundùm cor suum.* Rexit uterq; felicissimè & gloriosissimè: at non ita ille, qui ab asinis assumptus fuerat ad regnum, à quibus recalcitrare didicit.

In Lege Gratiæ tantò majore opus est tam in regimine, quàm in conversatione, suavitate; quantò suavius jugum populo suo, tanquam de libera in libertatem nato, incumbere voluit Christus. Unde primum, quod à se discendum præcepit, erat Mansuetudo, seu morum Suavitas: *Discite à me: quia mitis sum, & humilis corde*; addiditque blandissimum hujus studij illicium: *Et invenit.*

Et invenietis requiem animabus vestris. Matt. 11. Iracundi, litigiosi, & austeri rarâ gaudere possunt requie: vel enim infestant alios vel infestantur ab illis.

Quod docuit verbo, abunde præstitit exemplo Dominus; de quo testatur S. Laurentius Justin. c. 25. de triumph. agone: *Nemo ad plenum potest exprimere delectabilem Filij Dei conversationem, quoad vixit in carne.* Unde passim non tam suavis, quàm *Suavitas* dicebatur. S. Ambrosius lib. 2. Offic. c. 7. prolixè omnibus, præsertim Superioribus, commendat imitationem Christi quoad hanc virtutem. *Primùm noverimus*, inquit, *nihil tam utile, quàm diligi; nihil tam inutile, quàm non amari. Itaq; id agamus: ut omni sedulitate commendemus existimationem opinionemq; nostram; ac primùm placiditate mentis & animi benignitate influamus in affectum hominum. -- Legimus enim non solùm in privatis, sed etiam in ipsis regibus: quantum facilitas blandæ affabilitatis profuerit; aut superbia, verborumq; obfuerit tumor: ut regna ipsa labefactaret, & potestatem solveret.*

Quodsi tamen contingat; sive socium sive Superiorem alicuj contingere austeriorem: non propterea spernendus, aut accusandus ut intolerabilis, sed placidè supportandus erit. Ipse tu exhibe Suavitatem, quam in alio desideras. S. Gertrudi cùm contigisset Abbatissa moribus quidem sancta, sed austerioris indolis, & quæ asperiora dabat responsa: rogavit pia Virgo Dominum: ut hanc ab ea loquendi agendiq; asperitatem tolleret. Sed respondit Dominus: Cur hanc ab ea tolli cupis? Hæc quippe illi humiliter de se sentiendi occasio est. Nam cùm in impatientiam aliquam incidisse se comperit: illico demisse de se sentit, suamq; infirmitatem agnoscit. Adhæc, quid vos Religiosæ obediendo mereremini, si Antistita lenis & placida foret. Hunc itaq; in ea defectum ad exercitium & meritum vestrum, ut obedientiã solidam & perfectam discatis, vigere patior. *Rodriq. p. 3. tr. 5. c. 8.*

De Monachis veteribus scribit S. Athanasius in Vita S. Antonij: eos ita se Obedientiæ devovisse: ut austeriores & asperos ambirent Superiores, quibus etiam bene à se acta non probarentur, sed reprehensionem reportarent. Quò Superiores erant asperiores: eò illi obsequentiores & suaviores. Laudabilis est in omnibus, Superioribus & subditis, morum verborumq; suavitas: toleranda tamen etiam austeritas.

FERIA II. post Dom. VIII. post Pentecosten.

De dulcedine Dei, Jesu & Mariæ.

1. ADora DEUM O. M. & considera eum, ut immensum quendam Oceanum ineffabilis & infinitæ dulcedinis. *Dulcis & rectus Dominus!*

canis

canit David Psal. 24. Psalmo autem 30 attonitus exclamat: *Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te!* Dulcedo quidem propriè in rebus sensibilibus est; in DEO autem eminentissimè. Quidquid enim dulcedo sensibilis, v. g. lactis, mellis, vini &c. præstat in sensu gustûs: id longè perfectiore & uberiore modo præstat in anima DEUS. Incomparabiliter blandiùs afficit illam, suaviùs demulcet, delicatiùs inescat & penitus absorbet, quàm ulla cogitabilis dulcedo sensualis. Patet in Sanctis, qui vel unicâ divinæ dulcedinis guttulâ in mortali corpore degustatâ, omnes mundi delicias ingenti fastidio respuerunt, & omnium hujus vitæ amaritudinum, acerbitatum, tormentorum obliti, jam cœlesti mensæ assidere sibi videbantur. Imò si damnatorum cuipiam vel minima divini hujs nectaris stilla illaberetur; nihil tormentorum totius inferni sentiret. Quid ergo miseri in putridis mundi cisternis, in calicibus & ollis Ægypti illecebras sensuum cum interitu animarum quærimus? Sursum corda: ubi vera, ubi mera, ubi æterna & infinita dulcedo, DEUS!

2. ADora D. JESUM, & considera eum ut abyssalē quendā Fontē omnis dulcedinis, spiritualis & corporalis. In ipso comprehenditur, quidquid divinarum, vel humanarum honestarum deliciarum cogitari potest. Ipsa ejus, in mortali adhuc corpore prædicantis, eloquia, quàm plena divini nectaris, & dulciora super mel & favum? Quàm blandè trahebant, etiam in deserta, detinebantq; biduo triduove populos, corporis & cibi oblitos? Quantis affluebant delicijs SS Martyres in medio tormentorum, JESUM cogitantes? Quàm dulci jubilo exultant cum Bernardo, qui familiariùs cum JESU agere noverunt? Credamus expertis: *Jesu dulcis memoria, dans vera cordis gaudia: sed super mel & omnia, ejus dulcis præsentia. Nil canitur suavius, auditur nil jucundius, nil cogitatur dulcius, quàm Jesus dei Filius.* Hei mihi, quòd alios alibi favos quæsierim!

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; esse dulcissimam. Salutat illam Ecclesia ut Vitam & *Dulcedinem* nostram. Anhelat ad præsentiam & vocem ipsius cœlestis Sponsus Cantic. 2. *Ostende mihi faciem tuam; sonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis, & facies decora.* Et quid possit in MARIA cogitari amarum, quæ castissimis visceribus edidit, Virgineis uberibus lactavit nobis Dulcissimum JESUM? O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA! Instilla servo tuo vel guttulam de favis tuis.

Propositum, v. gr. *abstinendi ab acerbis amarisq; verbis.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm dulces esse debemus in sermone, etiam dum alij reprehendendi.

Ut nihil

UT nihil acerbius, & ad ciendas turbas accommodatius est in convictu humano, quàm sermo amarus: ita nihil jucundius, & ad pacem alendam conciliandamq; opportunius est, quàm sermo dulcis. *Favus mellis composita verba; dulcedo animæ, sanitas ossium:* inquit Salomon Proverb. 16. 24. Sermo enim prudentiâ & suavitate conditus, atque ad humanitatem compositus, non aliter afficit aures & corda, quàm palatum favus mellis. Insuper ut liquidissima voluptas, quâ favus mellis perfundit hominem, non in solo hæret palato; sed quasi ad intima animæ penetrat, eamq; demulcet suavissimè; ipsa quoq; ossa vegetat, & roborat, medullam eorum reficiendo & impingvando: sic sermo dulcis mentem pascit, delectat, reficit, turbatam componit ac firmat.

Sic SS. Marcus & Marcellianus cùm tormentorum immanitate consternati, aliquantum nutarent in fide; gravi & suavi S. Sebastiani sermone confirmati, fortiter tolerârunt mortem. Ursicinus medicus metu mortis similiter vacillans, S. Vitalis M. brevem, sed opportunam, orationem salutarem sibi sensit. Septem filios suos prudente suaviq; adhortatione, quàm fortes & invictos reddiderunt S. Felicitas, S. Symphorosa, & Machabæorum septem virago mater? Ad abstergendos animi mœrores, conciliandos dissidentes, mitigandos hostes, delendas culpas, & ipsos corporis leniendos morbos, quantum conferat sermo mellitus, quotidiana docet experientia; & elegans illa oratio, quâ matrona illa Thecuitis placavit Absalonii iratum patrem 2. Reg. 14.

Suspexit in Sponsa sua, prædicavitq; hanc dulcedinem Sponsus divinus Cant. 4. *Favus distillans labia tua, Sponsa: mel & lac sub lingua tua.* Illectus hoc nectare, non poterat vel modico tempore pati tacentem: sed Cantic. 2. *Sonet*, inquit, *vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis & facies tua decora.* Recreat nimirum & devincit mirificè cœlites hominesque sermo modestus, prudens & suavis: sicut è contrario graviter impingit, offenditque sermo amarus, biliosus & procellosus. Unde monet S. Chrysostomus: *Mel semper sit in ore: per ora mittamus nihil, nisi mellitum; nihil asperum, nihil amarum; sed omnia cœlis digna.*

Abstinendum ergo ab omni genere verborum, quæ acerbitatem & amaritudinem sapiunt: ideoq; non utendum verbis mordacibus, contumeliosis, fastuosis & austeris; nunquam dictis, quæ audaciam, insolentiam, impudentiam, & animi rancorem redoleant: Cavendi toni illi imperiosi accentus illi despoticâ authoritate tumentes, gestus illi præfracti insolentiam oris comitantes. Non enim in turbine Dominus, sed in sibilo auræ tenuis: ut

olim Eliæ indicatum. Animalia cùm simus socialia, conversationem nostram perpetuâ quâdam vultûs serenitate, & orationis suavitate condire debemus: ut nulli molestiam, nulli adferamus metum aut mœrorem; sed eâ utamur ipsi loquendi formâ, quam exigimus ab alijs. Imò etiam tunc *Favus distillans* debent esse labia nostra, quando de vitijs & defectibus alienis sermo instituendus est, quantumvis manifestis. Si enim dissimulari non possunt, non eâ tamen verborum acrimoniâ perstringantur, quæ animum aversum, ne dicam exulceratum, prodant: v. gr. appellando hominem elatum, ineptum, fatuum, scelestum &c. Quid? quòd tunc quoq; *mel & lac* sub lingua nostra esse debet, dum læsi querimur coram Superiore, aut ex officio arguere subditos debemus? Non sunt exaggeranda malè acta, sed mitiùs interpretanda: v. g. dicendo: te miuùs humaniter ab illo acceptum esse; alium ab ipso procedendi modum adhiberi potuisse &c.

Mundanorum quorundam persuasio est: quòd apud subjectos efficere nihil, aut parum possint, nisi diras vomant, Superos & Acheronta moveant. At eo procedendi modo efficiunt plerumq; minus, DEUM offendunt, & valetudini, bonoq; nomini suo nocent. S. Hedwigis linguam mellitam celebrat Ecclesia, quòd in objurgatione delinquentium eâ fuerit conteuta objurgatione: *Deus tibi parcat*. S. Franc. Salesius super astra tollitur: quòd, cùm nemo famulorum adesset, qui inter tenebras honoratum hospitem cum face deduceret; non aliter incuriam illorum, gravem objurgationem metuentium, castigârit; quàm dicendo: Quid facere voluistis? Duorum obolorum faculâ honori meo consuluissetis. S. P. N. Ignatius tam lenis & suavis fuit, etiam in reprehendendo: ut totus *Melleus* diceretur. Divinè Ecclesiasticus cap. 3. *Fili, in mansuetudine opera tua perfice: & super hominum gloriam diligêris.*

FER. III. p. Dom. VIII. p. Pent.

MEDITATIO: *De Magnitudine DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera Magnitudinem ejus summam & prorsus infinitam omni ex parte. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis: & magnitudinis ejus non est finis!* Psal. 144. Magnus naturæ excellentiâ, perfectionum omnium infinitate, potestatis illimitatione, majestatis splendore, possessionis amplitudine, gloriæ magnificentiâ, omnigenæ felicitatis æternitate. Major est omnibus creatis & creabilibus, montibus, cœlis, principibus, Angelis: major est omni laude, omni dignitate, omni cogitatione; excelsior cœlo, profundior inferno, latior mari &

infinitis

infinitis major mundis. Quis sicut Dominus DEUS noster, qui in altis habitat? Magnum quid sonant parvis Alexander Magnus, Constantinus Magnus, Leo Magnus &c. At quàm pusilla magnitudo? *Ecce gentes, quasi stilla situlæ, & quasi momentum stateræ reputatæ sunt ei.* Isa. 40. Quis ergo sum coram te, Magne DEUS? Et tamen fecisti mihi magna. Exinanivisti te, descendisti infra me, ut exaltares & magnificares me. Exaltabo igitur te summâ demissione mei propter te: & toto me magnificabo Te super omnia, omnia, omnia in æternum.

2. ADora D. JESUM & considera ipsius quoq; incomparabilem Magnitudinem. De nascituro prædixit Angelus: *Hic erit Magnus.* Magnus: non inani & adulatoriâ voce; sed eminentiâ dignitatis & potestatis, & magnificentiæ infinitæ. Magnus: quia par Maximo. Non solùm DEUM, sed *Magnum* DEUM appellat Apostolus. Tit. 2. Tunc enim vel maximè apparuit Magnitudo DEI, quando in parvitate nostra operatus est tam magna propter nos. Magnus JESUS altitudine Divinitatis suæ: Magnus humilitate humanitatis nostræ! Magnus in gloria Patris, Magnus in utero Matris, in præsepi, in cruce: imò ubi minor, ibi Maximus. Domine DEUS, & Redemptor meus, quàm magnificatus es vehementer & mirabiliter! O quâ Te submissione venerabor, Rex meus, & DEUS meus! Quanta tua dignatio, quòd Tantus respexeris tantillum; canem mortuum, & pulicem unum! Dignare me, obsecro, hâc unâ gratiâ, Magne JESU; ut sim magnus servus tuus.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: Magnitudinem quidem ejus longè esse infra DEUM: multò tamen superiorem esse quâvis altitudine creatâ. Quia fecit ei *Magna* (per antonomasiam) qui Potens est; ita ut ejus celsitudo nullâ mensurâ creatâ definiri possit. Unde gloriæ ejus, accommodatur illud, quod Eccli. 1. de Sapientia divina dicitur: *Ipse* (DEUS solus) *creavit illam in Spiritu S. & vidit, & dinumeravit, & mensus est.* Suspicio incomparabilem magnitudinem tuam, & ob illam exultat Spiritus meus, ô magnorum Maxima, Virgo. Unum præsta clienti tuo: ut sincerè velim dici & esse Minimus.

Propositum, v. g. *de corrigendo judicio, ne te suspicias, ut Magnum quiddam.*

LECTIO PRACTICA.

De Parvitate & Contemptibilitate Hominis.

MAgnitudo DEI ac Domini nostri infinita infinitè disertiùs nos admonet parvitatis nostræ, quàm enormis gigas nanum juxta se positum: ut non minimum è mundi miraculis sit: quòd homo sanæ mentis & prudens,

videri sibi possit magnum aliquid, & magni se facere. Si enim sano oculo se diligentiùs aspiciat, inspiciat, & circumspiciat: inveniet solidum nihil, quod ipsum attollat; innumera, & gravissima, quæ deprimant; seu potiùs assurgere non patiantur; atq; in Ordinem Minimorum redigant. Si corporis substantiam, quantitatem, qualitates, variasq; affectiones consideres: quàm exiguum & vile, quod tibi grandescit, deprehendes? Corporis substantiam detegit, monstratq; tibi DEUS Gen. 3. *Pulvis es & in pulverem revertêris.* Apertiùs eam nudat Bernardus in Formula honestæ vitæ, monetq;: *Ista tria semper in mente habeas: Quid fuisti? Quid es? Quid eris? Quid fuisti? Quia sperma fœtidum. Quid es? Quia vas stercorum. Quid eris? quia esca verminum.* Et cap. 3. medit. *Si diligenter consideres: quid per os & nares, cæterosq; corporis meatus egrediatur: vilius sterquilinium nunquam vidisti.* Unde meritò exclamat Innocentius III. Papa de Contemptu mundi lib. 8. *O vilis conditionis humanæ indignitas! O indigna vilitatis humanæ conditio! Herbas & arbores investiga: illæ de se ducunt flores, & frondes, & fructus; & tu de te lendes, & pediculos, & lumbricos. Illæ de se effundunt oleum, vinum & balsamum: & tu de te sputum, urinam & stercus. Illæ de se spirant suavitatis odorem: & tu de te reddis abominationem & fœtores!* Si ex fructibus substantia & bonitas tam arboris quàm hominis investiganda est, juxta doctrinam Salvatoris Matt. 7. quale jam ex prædictis & similibus fructibus feremus judicium de homine secundùm corpus suum spectato?

Quid verò magni ostentat *Quantitas*, seu statura hominis? Si gigantes, illos terræ filios, æquaremus: arrigere fortè animos è nativo pulvere minùs insipienter possemus; at nunc dum ad ulnas tres pleriq; non extendimur: quid magni in nobis suspicimus? Quid? quòd ad hoc ipsum staturæ nostræ modicum non voluntate, vel ingenio, & industriâ nostrâ extendimur, nec cubitum unum ei adjicere per omnem potentiam possumus? *Quis autem vestrûm cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* Matt. 6. *Qualitates* quoq; corpora nostra foventes vel adornantes, quid magni conferunt ipsis: cùm ea non evehant ad eum pulchritudinis & perfectionis naturalis gradum; quin jure dici possint sepulchra dealbata, vel nive candida fimeta. *Affectiones* deniq; & *Passiones* variæ corporum quid aliud sunt, quàm mentium perturbationes, vitiorum incentiva vel effectus, animarum pericula & interitus?

De *Anima* nostra quid sentiemus? Est quidem illa divinæ particula auræ, seu divini oris spiraculum quoddam, est ad imaginem & similitudinem DEI Opt. Max. condita: sed per insolentem libertatis suæ abusum, & in-

sanum corporis amorem, turpiter in jumentorum sortem degeneravit. Quanta ejus propensio ad malum, quanta difficultas ad operandum bonum, etiam naturale? Ad supernaturalia quanta impotentia? Non sumus sufficientes cogitare aliquid salutiferum à nobis, quasi ex nobis; testatur omnium nomine Apostolus: sed sufficientia nostra ex DEO est. Ut autem sufficientiam habeamus: quantis opus est auxilijs gratiarum & prævenientium, & concomitantium, & subsequentium? Quid? quòd his omnibus instructa copiosè, adhuc in actum non prodibit, quàmvis omnino possit; nisi singularissimâ arte Divina Sapientia ita illi attemperet gratiarum subsidia: ut & ultrò veniat, & fortiter trahatur ad operationem. Indomitum juvencum citiùs subegeris aratro, quam animam liberam impuleris ad cooperandum DEO. Scrofam faciliùs prolicias è volutabro luti, quàm spiritualem hominis animam è voluptatum carnalium, aliorumq; vitiorum cœno.

Quid igitur superbis terra & cinis? Quid magni habemus, unde nobis grandescamus, & in cœlum impudens os ponamus? Quin potiùs Magno DEO, imò propter ipsum etiam minimis hominum, nos substernimus in pedum scabellum? Irrevocabile stat decretum Matt. 18. *Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut Parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Quisquis id renuit tumidus, Magni quidem agnomen merebitur; sed fatui Magni.

FER. IV post Dom. VIII. post Pent.

De Altitudine DEI, JESU & MARIÆ.

1. ADora DEUM O. M. & considera infinitam ejus Altitudinem, quâ eminet super omnia creata & creabilia. *Quoniam tu dominus altissimus super omnem terram: nimis exaltatus es super omnes deos* Psal. 96. Exaltatus *nimis*: quia, quidquid concipiatur, quocunq; intellectu, magnum, altum, sublime, pulchrum, sanctum & quibusvis eminens perfectionibus; adhuc infinitè distat à DEO: & impossibile est, ut pura aliqua creatura perfectione suâ ita appropinquet DEO, ut non sit inter ipsam & DEUM infinitum intervallum, ut non sit infinitè infra DEUM. *Vidi dominum*, inquit Isaias cap. 6. *sedentem super solium excelsum & elevatum.* Nulla creatura vel plantas ejus, ut humano modo loquamur, attingere potest: sed per infinitum chaos ab eo remota est perfectione, quàmvis in ipso sit ut piscis in mari. O Altitudo ineffabilis, quomodo pertingam ad Te? Non potest mihi esse bene sine Te: sed quò magis mente provehor ad Te, magis exaltaris per me. De profundis ergo nihili mei adoro Te, & clamo: ut me assumas ad Te, vel gratiosè descendas ad me, ut stringam Te æternis amplexibus charitatis.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quoq; altitudine suâ infinitè transcendere omnem celsitudinem cujusvis puræ creaturæ. Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus *Altissimus*, JESU Christe: canit Ecclesia. Altissimus autem est tum dignitate Personæ & Officij sui; tum etiam sublimitate loci. Ab Apostolo Hebr. 7. dicitur *Excelsior cœlis factus*: & Ecclesia profitetur; eum ascendisse *super omnes cœlos*: ita nimirum, juxta magnorum Theologorum sententiam, ut summa cœli Empyrei superficies scabellum sit pedum ejus. Vide, & attentus observa: quò, ex infimo inter homines loco, evaserit D. JESUS. Placet sequi? Appetimus alta? Descendamus primùm oportet ad infima: deinde per calcata omnia mundi fastigia enitamur ad JESUM. Sublimissime JESU, Aquila grandis magnarum alarum, attolle implumes tuos.

3. VEnerare DEIparam V. & considera illam cum Isidoro Thessal. Or. de Assumpt. ut *Altitudinem Cœlestem*; in terris enim infima elegit Virgo regia: cum S. Joanne Damasceno in Menæis Græc. 25. Martij, ut *Altitudinem, ad cujus supremum fastigium cogitationes hominum ascendere nequeunt*: cum Ecclesia ut Exaltatam super omnes Angelorum choros, & Filij throno proximam. Ecce, quàm sublimis factus est fructus terræ nostræ! Quantopere exaltata est Soror nostra! Memento, ô Gratiosissima fratrum tuorum in hac miseriarum valle adhuc gementium.

Prop. v. gr. *fugiendi animi elationem, & crescendi per Humilitatem profundam.*

LECTIO PRACTICA.

De Profundo nihili nostri.

QUod in altissimi montis verticem eluctantibus, vel in altum Oceani provectis contingit: ut in subjecta valle, vel in litore posita, quantumvis grandia, sensim illis decrescant, tandem attenuentur in punctum, deniq; evanescat in nihilum: id à potiori accidit infinitam DEI & perfectionum ejus altitudinem, contemplantibus. Non humana tantùm omnia ipsis decrescunt: verùm & homo ipse cum omni pompa & gloria sua sibi vanescit in nihilum. Si secundùm se considerata ea, quæ hominem constituunt, vel circumstant aut afficiunt intimè, tam parvum & contemptibilem eum exhibent, prout Lectione præced. expositum: quantò magis cum imperfectionibus & vitijs suis moralibus comparatus DEO, & infinitis ejus perfectionibus, minuetur, ac tandem in nihilum disparebit: ut cum rege Psalmographo fateri cogatur; *Substantia mea*, cum omnium accidentium apparatu, *tanquam nihilum ante Te.* Proinde positâ omni jactantiâ & animi tumore, *Obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis*; quæ me efferebant. Psf. 38. Sancti

38. Sancti omnes, quantò magis divinitatis interna conspiciunt: tantò magis nihil suum agnoscunt.

Et quid mirum, si homo unus DEO comparatus recidat in nihilum: quando *omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, & quasi nihilum & inane reputatæ sunt ei?* Isa. 40. Unde memorabilem, & admodum utilem ad deprimendam elationem nostram, & evacuandum tumorem infert Apostolus conclusionem ad Galat. 3. 6. *Si quis existimat, se aliquid esse, cùm nihil sit; ipse se seducit.* Non dicit: Si quis existimat, se aliquid *magni* esse; sed simpliciter *Aliquid esse.* Ergo ex toto sumus nihil: imò si penitiùs nos inspiciamus, sumus profundissimum nihil, altissima abyssus nihili.

Nimirum 1. Considerati secundùm esse nostrum possibile, ab æterno fuimus nihil: nec ullis viribus nostris, aut ullius creaturæ, emergere potuimus ex nihilo, & fieri aliquid. 2. Quàmvis secundùm esse actuale simus aliquid: istud tamen aliquid tam exiguum est & debile; ut jure dici possit, & in Scripturis Divinis, & communi Doctorum sententiâ, dicatur *Nihil*: scilicet nihil ex se, nihil ex nobis, & nihil solidum. Quidquid enim istud esse nostrum est, non est ex nobis, sed ex DEO, & à DEO: & ita est à DEO, ut semper propendeat in nihilum ita: ut, nisi nos benignissimâ manu suâ continuò sustentaret DEUS, nec unico subsisteremus momento, sed in originarium relaberemur nihil cum omnibus bonis & dotibus naturæ. Unde Psal. 38. dicitur: *Universa vanitas omnis homo vivens.* 3. Considerari possumus secundùm statum gratiæ; qui quidem est excellentissimus & eminentissimus: verùm omnium, quæ in eo nos attollunt, nostrum est nihil; omnia sunt gratuita DEI dona & liberalia ejus beneficia, quæ, sicut ab ipsomet primò conferuntur, nobis nihil tale merentibus; ita conservari debent: cùm nos ex nobis nihil ad eorum conservationem, plurimum ad amissionem conferamus. 4. Deniq; spectari possumus in statu peccati lethalis: in quo si existimamus nos aliquid esse, planè fatui sumus. Existit enim peccator in statu, qui est pejor nihilo, juxta illud dictum de Juda Matt. 26. *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille.*

Hinc S. Bernardus Serm. 5. in Dedic. Eccles. miserum animæ nostræ statum considerans, inquit: *Si ipsam, prout in se est, & ex se, juxta rei veritatem intueor: nihil de ea verius sentire possum, quàm ad nihilum esse redactam. Quid modò necesse est singulas ejus miserias numerare: quàm sit onerata peccatis, obfusa tenebris, irretita illecebris, pruriens concupiscentijs, obnoxia passionibus, impleta illusionibus, prona semper ad malum, in vitium omne proclivis, postremò totius confusionis & ignominiæ plena. Nimirum si ipsæ quoq; justitiæ nostræ omnes*

ad lumen

ad lumen veritatis inspectæ, velut pannus menstruatæ inveniuntur; injustitiæ nostræ deinceps quales reputabuntur? Si lumen, quod in nobis est, tenebræ sunt; ipsæ tenebræ quantæ erunt? Facile est cuique nostrum, si sua meliùs universa, & sine dissimulatione vestiget, & judicet sine acceptione personæ, attestari per omnia Apostolicæ veritati, & liberè proclamare: Qui se putat aliquid esse, cùm nihil sit, ipse se seducit. Quæ jam nobis restat superbiendi materia?

FERIA V. post Dom. VIII. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Immensitate Dei & Imitatione ejus per Jesum & Mariam.*

1. ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus Immensitatem. Spiritus est per universum mundum ita diffusus; ut nullum omnino sit punctum ipso vacuum. Omnia implet, omnia sustinet, omnibus, quamcunq; vim habent, tribuit: cum omnibus & singulis operatur; totus ubiq; nullibi clausus; cœlos cœlorum excedit totus, acsi alibi non esset: quæcunq; fingantur spatia extra hunc mundum, in omnibus sine fictione est, & ultrà in infinitum. Omnia in ipso sunt, vivunt, & moventur, magis quàm atomus in radio solari, avis in aëre, pisciculus in mari. Quò igitur fugiet miser homo, si DEUM habeat inimicum? Ubi se abscondet à facie iræ ejus? *Si ascendero in cœlum; tu illic es: si descendero in infernum, ades. Si sumpsero pennas meas diluculo, & habitavero in extremis maris: etenim illuc manus tua deducet me; & tenebit me dextera tua.* Psal. 138. Quàm circumspectè, honestè, & piè vivendum in DEO. Si in templo DEI non nisi sanctè agendum: quantò magis in ipso DEO! Stupeo, Magne DEUS, Immensitatem tuam, me & omnia comprehendentem, atq; infinitè excedentem. Da gratiam, quâ, ut decet, vivam in Te. Parce præteritæ irreverentiæ meæ.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum secundùm Divinitatem suam eâdem cum Patre & Spiritu S. gaudere Immensitate: at secundùm Humanitatem, Corpus & Animam, exiguo circumscribi loco, & non esse ubiq;. Ad solatium tamen & subsidium fidelium suorum, atq; ad majorem sui communicationem innumeris locis per orbem universum, replicatur sub Speciebus Eucharisticis; ut de ipso quoq; dicere possimus: *Non longè est ab unoquoq; nostrûm.* Act. 17. Insuper vis infinita meritorum & sanguinis ejus extendit se in immensum, in infinitos, si crearentur, mundos: quibus omnibus sanctificandis & salvandis per se sufficeret abunde. Charitas deniq;, Benignitas & Clementia Domini JESU nullis arctatur spatijs, nullis evacuatur offensis, porrigitur in immensum etiam ad indignissimos. Quantum hinc nobis accrescit spei, quantum mutuæ charitatis incentivum?

Da & mi-

Da & mihi, Gratiosissime JESU, pectus amplum, & animos immensos pro gloria tua & animarum salute.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quomodo & ipsa imitetur amplitudinem Immensitatis Divinæ. Quàmvis enim corpore in summis cœlorum resideat; mente tamen, maternâ curâ, studio amplissimæ charitatis, & divinæ gloriæ zelo porrigitur in immensum; magis, quàm Apostolus ad Philipp. 1. *cupiens omnes in visceribus Jesu Christi.* Excita, ô Domina, in nobis quoq; tam profusos in gloriam DEI, & bonum proximi affectus: ut quàmvis angustiantur vasa carnis, dilatentur longè lateq; spatia charitatis. Propositum, v. g. *repetendi sæpiùs vivæ fidei actum de præsentia Dei per immensitatem suam.*

LECTIO PRACTICA.

Quanto solatio simul & timori nobis sit Immensitas Dei.

SOlatio, eoq; maximo & solido, est 1. Quòd non habeamus, quos timeamus, iniquos & falsos apud DEUM delatores, qui iniquè nos traducant & accusent. Cùm enim ipse per Immensitatem suam sit omnibus præsentissimus, & per Omniscientiam suam omnia clarissimè perspiciat: non potest malè informari, sed innocentiam nostram habet perspectissimam. *Omnes viæ hominis patent oculis ejus: spirituum ponderator est Dominus.* Prov. 16. Non solùm videt, quid agamus; sed etiam quo modo, quo affectu seu spiritu.

2. In laboribus, difficultatibus, periculis, tentationibus, alijsq; necessitatibus non est necesse, longinquam assumere peregrinationem, aut nuncios ad ipsum expedire pro consilio & auxilio; vel ingenti clamore, tanquam longè dissitum, invocare, ut illi sacrificuli Baal 3. Reg. 18. siquidem *non longè est ab unoquoq; nostrûm.* imò *in ipso sumus, & movemur, & vivimus.* Act. 17. Unde meritò canit Sacer Psaltes: *Providebam Dominum in conspectu meo semper· quoniam à dextris est mihi, ne commovear,* Psalm. 15. & Psal. 24, *Oculi mei semper ad Dominum: quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Modò faciamus nos, quod in nobis est, ipse non deerit nobis: luctantibus atq; pugnantibus & consilium viresq. subministrabit & coronas donabit. *Præliantes nos*, inquit S. Cyprian. ep. ad Tiburt. *& fidei congressione pugnantes, spectat Deus, spectant Angeli, spectat & Christus. Quanta est gloriæ dignitas, quanta felicitas, præsente Deo congredi, & Christo judice coronari?*

3. Quotiescunq; curis & negotijs varijs distracti, tædio & lassitudine laboraverimus: ad DEUM, semper nobis præsentissimum, tanquam in sinum paternum, securè nos recipere possumus, atq; in ipso respirare, imò & dulciter quiescere. Cum ipso communicare possumus consilia, ipsi com-

mendare negotia; in ipso habemus omnia, adeoque in ipso gaudere licet etiam tribulatis. *Omnia nobis videntur difficilia: quòd Dei præsentis nullam habemus memoriam, uti habere oportet:* inquit Chrysostomus. *Medius vestrûm stetit, quem vos nescitis:* ait S. Joannes Bapt. de Christo Joan. 1. Sic in medio nostri continuò versatur DEUS, & nos in ipso; nos autem, quasi non satis in fide instructi; ipsum nescimus: quia alijs cogitationibus & curis absorpti, super ipsum nos non reflectimus. Unde fit: ut negligamus ipsum, & negligamur ab ipso; consequenter variè impingamus, & miseram agamus vitam, cùm agere possemus felicissimam. Ipse enim est, de quo dicitur Sap. 8. *Non habet amaritudinem conversatio illius, nec tædium convictus illius, sed lætitiam & gaudium.*

Timorem quoq; justum ingerit nobis assidua DEI per Immensitatem suam præsentia. Si enim peccaverimus in illum, prout passim & sine verecundia facimus; non latebit ipsum ulla, etiam secretissima, cogitatio nostra. *Oculi ejus super vias hominum, & omnes gressus eorum considerat. Non sunt tenebræ, & non est umbra mortis, ut abscondantur ibi, qui operantur iniquitatem.* Job. 34. Unde Augustinus Serm. 46. de Verb. Dom. *Ipse timendus est in publico, ipse in secreto. Procedis? videris. Lucerna ardet? videt te. In cubile intras? videt te. In corde versaris? videt te. Si peccaveris: quære, ubi te non videat; & fac quod vis.*

Est autem hic Timor nobis perquam salutaris, servitq; instar fræni potentissimi, ad detinendos nos in peccata præcipites. Thaidem, formosam meretricem Alexandrinam convenit S. Paphnutius Eremita: ut miseram ad saniorem mentem perduceret. Simulans igitur, quasi ipsâ uti vellet, locum ab omni oculo remotum petijt. Inductus in cameram secretissimam, insinuavit; ibi ipsos non satis occultandos. Ergo in remotiorem & secretiorem aliam concedunt. Sed Paphnutius solicitè circumspiciens: Et hæc, inquit, latebra non omnem excludit arbitrum. Tunc Thais: Hominum certè nemo, nisi solus DEUS, nos hic viderit. Hic Paphnutius: *Si credis, nos hic extra Dei præsentis conspectum non esse: quâ fronte coram purissimis ejus oculis in ipsum peccare præsumes?* Progressus igitur ad demonstrandam gravitatem peccatorum in oculis DEI commissorum, perculit mulierculam, & honestati DEOq; lucratus est. Aliam ad scelus se solicitantem compunxit S. Ephrem, quando eam conditionem proposuit: ut non alibi, quàm in publico Edessenæ urbis foro, voluptati indulgerent. Perhorrescente illa, hominumq; oculos fugiente; Et quomodo, reposuit Ephrem, non timebis peccare in conspectu DEI, in omni latebra præsentis & videntis? Sic prostibulum

stibulum ad frontem & DEUM reduxit. Opportunè Ecclesiasticus cap. 2. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua; & in conspectu illius sanctificabunt animas suas.*

FER. VI. post Dom. VIII post Pent.

MEDITATIO: *De Æternitate DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera incomprehensibilem ejus Æternitatem. Nec initium habet, nec finem; nec fluentibus constat partibus, ut horis, diebus, sæculis: sed est unum indivisibile *Nunc*; merum & interminabile *Esse*; continens in se infinitas horas, infinitos dies, infinitos annos, infinita sæcula; è quibus alia & alia tanquam ex abysso infinita funduntur ab ortu mundi, & fundentur sine fine. O verè *numerus annorum ejus inæstimabilis.* Job. 36. Cogita ante conditum mundum mille milliones sæculorum: jam erat DEUS. Adde millies millenos milliones: jam erat DEUS. Quantumcunq; addideris, minus erit respectu æternitatis divinæ, quàm guttula aquæ respectu Oceani. Idem est, si animum vertamus ad sæcula ventura. Quotcunq; imaginemur: Semper & sine fine erit DEUS; erit Vindex malorum, erit Remunerator bonorum. O DEUS, æternum & ineffabile gaudium meum, si probè vixero! Æternum & immane tormentum meum, si malè.

2. ADora D. JESUM, & considera: æternitatem divinam cum temporali hominum ætate mirabili consensu in ipso convenisse. Ut DEUS, pari cum Patre gaudet æternitate: ut homo minorem, quàm Mater, numerat ætatem. Creator temporum natus in tempore; ut nos beatæ æternitatis suæ faceret participes, doceretq; minùs amare vitam temporalem, totis autem viribus aspirare ad æternam, atq; ad æternùm beatam. Relucet & illud in incarnato Rege sæculorum inæstimabilis dignationis Sacramentum: quòd naturam humanam indissolubili æternoq; fœdere sibi copulârit; ut, quàmvis per infinitæ charitatis excessum admiserit mortem Immortalis: nunquam tamen sive corpus exanime, sive anima separata, desierit esse DEUS. VERBUM, quod semel assumpsit, nunquam dimisit. Deniq; *Jesus Christus heri & hodie: ipse & in sæcula.* Hebr. 13 Ipse, æternus Dominus noster, æternum præmium nostrum, æterna beatitudo nostra. O tandem incipiam te amare, mi JESU, amore æterno, & nunquam interrumpendo! Quid fluxis & momentaneis adhæres Anima?

3. VEnerare DEIparam V. & considera ipsius quoq; felicissimam quandam æternitatem. Ipsi accommodat Ecclesia illud Eccli. 24. de

æterna Sapientia dictum: *Ab initio & ante sæcula creata sum, & usq; ad futurum sæculum non desinam.* Et Prov. 8. *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis, antequam terra fieret.* O quàm gratiosum, quàm jucundum, divinorum oculorum objectum, & divini cordis delicium ab æterno in æternum est MARIA, Virgo Mater! Pereunt Helenæ, tabescunt Isabellæ: MARIÆ forma, gratia & gloria perennat. Tibi ergo uni & oculorum aciem, & cordis ardorem servabo, ô æternùm Gratiosissima.

Propos. v. gr. *attentiùs & frequentiùs cogitandi de Æternitate.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm utilis sit frequens de Æternitate Cogitatio.

REgem Prophetam non ita absorbuerunt multiplices gravesq; regni populosissimi, & continuis hostium incursionibus infestati, curæ: quin identidem temporalia negotia dispungeret Æternitatis consideratione. *Cogitavi*, inquit Psal. 76. *dies antiquos, & annos æternos in mente habui.* Subditq;, quid in ipso operata sit talis cogitatio. *Et meditatus sum nocte cum corde meo, & exercitabar, & scopebam* (id est, varijs soliciti examinis & pœnitentiæ actibus tanquam scopis excutiebam & purgabam) *spiritum meum.* P. Christophoro Caro S. J teste Lohnero in Biblioth. Tit. 5. §. 5. apparens Christus, disertè commendavit pauca hæc verba assiduò mente volvenda: *O æternum! O momentaneum! O longum! O breve!*

1. Excitat enim hæc cogitatio in nobis Timorem, Amoremq; DEI, JESU & MARIÆ; ut in Medit. declaratum.

2. Facit homini desipere transitoria, & vilescere terrena. *Æternis inhianti, fastidio sunt transitoria:* inquit S. Bern. ep. 3. Quis enim prudens pro momentanea voluptate prodigat beatissimam, emat infelicissimam & omni tormentorum genere horrendam, æternitatem? Thomam Morum in carcere positum fidei causâ, rogavit obnixè Aloysia uxor: ne vitam & bona, quibus longo adhuc tempore frui posset, sibi præcideret. Quæsivit ex ea Thomas: Quot annis adhuc putaret ipsum vivere posse? Cumq; illa, viginti, responderet; subjecit ipse: Næ tu imperitissima es mercatrix, ô Aloysia; & quasi una de stultis mulieribus locuta es: dum viginti annis totam æternitatem beatam vis permutari! *Staplet. in vita.* Rectiùs æstimavit, & transitoria cum æternitate comparavit Tullius lib. 3. Tuscul. *Sapienti*, ait, *nihil potest videri magnum in rebus humanis, cui æternitas omnis, totiusq; mundi nota sit magnitudo.*

3. Facit sapere amara & molesta, pro DEO & salute æterna. Nam, ut dicit S. Augustinus apud Drexel. Cons. 8. de Ætern. *Melior est modica*

amaritudo in faucibus, quàm æternum tormentum in visceribus. Hinc Olympius senex cœnobita rogatus; quomodo in tam angusta cavea, tanto æstu, inter cyniphes & muscarum examina durare posset? respondit: Fili, ista tolero, ut cruciatus illos æternos evadam: cyniphes patior, ut vermem effugiam immortalem. Hos calores facile est perferre ei, qui ignem metuit æternum. Hæc mea etsi molesta, tamen finem habebunt, illa nullum. *Drexel. ibid. Consf. 9. Consid. verò 5.* adducit exemplum cujusdam Fulconis, hominis ad mundi leges facti: qui cùm quadam nocte dormire non posset, incidit ei opportuna & felix cogitatio: Si mihi in molli lecto jacenti, absque alio dolore, tamen tam molesta est cubatio fugiente somno: quantopere cruciabor, si in lecto igneo æternùm jacere & cruciari debebo! Quæ cogitatio tantum valuit: ut sine mora S. Cistercienf. Ordini nomen dederit.

4. Laborem pro cœlo alleviat, & ad eum incitat. *Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet: quo gloria æternitatis acquiritur:* ait S. Hieronymus. S. Franciscus suos animare similiter solebat: *Fratres, magna promisimus, sed majora promissa sunt nobis. Modica hìc voluptas, sed postea pœna immensa. Modicus hìc labor, sed postea gloria æterna.*

5. Contra quasvis, præsertim carnis, tentationes præsentissimum præbet remedium. Quis enim recenti memoriâ versans illud: *Momentaneum, quod delectat; Æternum, quod cruciat;* malit cupiditati suæ indulgere cum tanto periculo? *Quis tam insensatæ, tamq; obstinatæ mentis homo uspiam poterit inveniri; qui non expavescat, & omnino abhorreat, transitoria carnis blandimenta tormentis æternis mercari?* quærit & stupet Richard. de S. Vict. de Statu inter. hom. Inveniuntur tamen, proh dolor, innumeri eorum, quorum nec unus inveniendus putatur: quia rarus est, qui in animum admittat magnam illam & salutiferam de Æternitate felici & infelici Cogitationem.

Spiritûs Sancti oraculum est Eccle. 12. *Ibit homo in domum æternitatis suæ.* At quæ? quæ me, me, manet æternitas? Qualis ejus domus? Numquid omnium bonorum, vel omnium malorum aggregatione plena? Ingrediar illam, sed exibo nunquam. Æternùm miserrimus: si in domum infelicis incidero Æternitatis! Grandis profectò & necessaria Cogitatio, ÆTERNITAS!

SABB. post Dom. VIII. à Pentec.

MEDITATIO: *De Ineffabilitate DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: Ipsum esse simpliciter Ineffabilem tum hominum, tum Angelorum, imò quarumvis possibilium

creaturarum linguis. Ineffabilitas enim sequitur ex Incomprehensibilitate DEI; quæ nulli creato vel creabili intellectui competere potest, cùm fundetur in absolutissima Infinitate perfectionis divinæ in omni genere, & in limitata virtute omnis creati intellectûs. Quidquid ergo concipiatur vel dicatur boni de DEO, & quidem per omnem æternitatem ab omnibus hominibus & Angelis, infinitè minus est eo, quod dicendum restat. Si scribantur libri de Perfectionibus Divinis, quotquot mundus universus capere potest, & his millies millenis vicibus addantur totidem; alphabetarij id opus erit, non panegyristæ DEO digni. *Benedicentes dominum exaltate illum, quantum potestis: major enim est omni laude. Exaltantes eum replemini virtute; ne laboretis: non enim comprehendetis. Quis videbit eum, & enarrabit? & quis magnificabit eum, sicut est ab initio? Multa abscondita sunt majora his.* Eccli. 43. Nihilominus quàmvis Te non satis eloqui & extollere possim, Magne DEUS: loqui tamen & laudare non desinā. Da ut in sæcula sæculorū laudē te.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quoq; omnino Ineffabilem esse. Ineffabilis est secundùm generationem suam æternam, quâ ante Luciferum genitus, nunc quoq; generatur, & generabitur in æternum, semper tamen coævus Patri. Ineffabilis etiam secundùm generationem temporalem ex Virgine Matre, quam ut operata est, ita obumbravit Virtus Altissimi. *Generationem ejus quis enarrabit?* Isa. 53. Ineffabilis ejus sapientia, potentia, humilitas, mansuetudo, patientia: ineffabilia gesta; *quæ, si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Joan. 21. Ineffabilis ignominia Crucifixi, ineffabilis dolor & amor Morientis, ineffabilis gloria Resurgentis, atq; ad dexteram Patris sedentis. Gaudeo hâc tuâ ineffabilitate, JESU Admirabilis. Tu, qui linguas infantium facis disertas, linguam meam erudias; ut Te digna loquar de Te.

3. VEnerare Deiparam Virginem & considera: ipsam quidem jucundissimum & præclarissimum nobis esse dicendi argumentum; sed simul propter amplitudinem & eminentiam suam ineffabile. *Si linguis hominum loquar, & Angelorum: nihil dignè, nihil propriè de MARIÆ gloria* (idem de gratia, meritis & dignitate) *eloqui potero:* inquit Arnoldus Carnot. de Laud. Virg. Quantum tamen potero, tantum audebo. Dignare me laudare Te, ô Virgo Sacrata.

Propositum, v. g. *de laudandis liberaliùs DEO, JESU & MARIA.*

LECTIO PRACTICA.

In publicis & privatis sermonibus laudandi pro viribus D. J. & M.

Ineffabi-

INeffabilitas perfectionis & dignitatis DEI O. M. JESU & MARIÆ, non indicit nobis silendi necessitatem: sed exigit prudentem, & pijs plenam affectibus sermonis ubertatem. Ex eodem enim fonte oritur necessitas laudis, ex quo manat infinita copia materiæ laudabilis. Novo titulo mereretur lingua nostra dici *Universitas iniquitatis:* si profusa in laudem creaturarum, hæreret in laude Creatoris. Dum igitur sacer Psaltes præludit, & orbem universum in DEI laudem incitat: *Laudate dominum, omnes gentes, laudate eum, omnes populi*; dum Dominus ipse linguas infantium in laudem suam facit disertas, & ex ore lactentium perficit gloriam suam: piaculum esset non leve, si mutos pisces agerent ij, quos ad majorem laudem & gloriam suam specialiter elegit.

Quos igitur ratio Vocationis, & suscepti Officij admonet muneris hujus, intelligant: se illi nequaquam satisfacere; si eruditis discursibus politicis distrahant demulceantq; auditorem; si de virtutibus & vitijs multa disserant eleganter magis, quàm fortiter; & speculativè potiùs, quàm practicè: de DEO verò timendo & amando, venerando & laudando, parcè admodum agant & frigidè. In perfectionibus & operibus DEI, JESU & MARIÆ extollendis, totis viribus laboret, oportet, eorum eloquentia & zelus: ut populus maximam, prout decet, de illis concipiat æstimationem; consequenter revereatur eos, amet ac laudet, timeatque offendere. Sic enim diligentiùs peccata vitabit, & sedulo virtutum exercitio ipsis placere studebit: cùm naturaliter, quos magni facimus & sincerè amamus, offendere caveamus, & gratiam eorum captemus. Ad Prædicatores potissimùm pertinet illd Eccle. 43. *Benedicentes dominum exaltate illum, quantum potestis: major enim est omni laude.* Ipsi enim sunt rationales Cœli, qui enarrare debent gloriam DEI: ipsi sunt animales Seraphini, quorum concors & perpetua vox esse debet: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.*

In privatis verò Sermonibus, seu Colloquijs, quibus non rarò plus proficitur, quàm publicis, omnes omninò DEI, JESU & MARIÆ amatores suum erga illos affectum prodere decet, omnem non solùm arripiendo, sed etiam captando, opportunitatem ipsos laudandi, extollendi, & majori fidelium devotioni amoriq; commendandi. Nam ut Christus S. Brigittæ dixit l. 1. Revel. c. 13. *Quod magis diligitur, frequentiùs nominatur;* & impensiùs commendatur. Minùs diligere, aut non diligere convincimur: si amorem non spiret os, non testetur lingua: cùm *ex abundantia cordis os loquatur*, teste ipsâ Veritate Matt. 12. & *Os promptuarium sit voluntatis* S. Ambrosio lib. 6. hexam. c. 9. Verissimum est, quod ait Quintilianus: *Sermo-*

ne hominem, ut æra tinnitu dignosci: & ut Romulus dicere solebat! *Vasa fi-ctilia sono, hominem verò sermone explorandum esse.* Quidquid ergo dicamus de nostro in DEUM, J. & M. amore & studio: certiùs produnt colloquia nostra quotidiana; an Theophili, Christophili, & Mariani simus.

Quàm grata sint Domino familiaria nostra de ipso colloquia, ostendit Luc. 4. post Resurrectionem suam, apparens duobus in Emmaus euntibus discipulis. Ostendit & S. Theresiæ: quæ de se scribit c. 34. Vitæ. *Vidi Christum in maxima gloria & majestate, præferentem magnam lætitiam ex quodam colloquio (quod fiebat de pijs rebus cum quodam religioso) & dixit mihi, voluitque clarè à me videri: quòd talibus conversationibus ipse præsens adesset, & quantopere ipsi placeat; ut delectentur homines in colloquijs de illo.* Hujus complacentiæ etiam insignibus prodigijs argumentum dedit: quando q orandam, qui pijs assueverunt colloquijs, resoluto in pulverem reliquo corpore post mortem, linguam servavit integram; ex aliorum ore stellas exhibuit promicantes.

Graviter autem queri auditus est magno cuidam servo suo, apud Tauler. Instit. c. 28. quòd à famulis suis inhonoretur colloquijs frivolis. Coram S. Brigitta quoq; lib. 1. c. 47. amarè questus est Christus de malis Sacerdotibus: *quòd magis loquantur centum verba pro mundo, quàm unum pro honore meo.* Et sanè dolenda res est: quòd divino cultui, laudi & gloriæ specialiter addicti, tam rari & frigidi sint in miscendis sermonibus de divinis, rebusq; pijs. Miratur id, & ingemiscit S. Laurent. Justin. de discipl. & perf mon. c. 22. *Videmus*, inquit, *agricultores, cùm in unum coadunantur, repente & sine tædio de ijs, quæ agriculturæ sunt, sermocinari: Artifices de artificijs suis: Mercatores de suis mercimonijs: Oratores de suis facultatibus confabulari. Proh dolor! Soli servi Dei, quæ proprio congruunt statui, audire vel loqui non curant, vel ignorant!*

DOM. IX. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Varietate Nominum DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quòd, ut notavit S. Dionysius cap. 1. de divin. Nom. & nullum, & omne nomen perfectionem aliquam decentem sonans, ei conveniat. Nullum: quia nullum reperitur, quod vel soli illi conveniat, vel satis exprimat naturam ejus. Omne, decentem sonans perfectionem, ei convenit: quia in DEO omnis talis reperitur perfectio, sive formaliter, seu propriè, sive eminenter seu per excellentiam. Est enim DEUS propriè Sanctus, Sapiens, Justus, Benignus &c. Est eminenter Lux quædam, sed quam non cernit oculus: Verbum quod-

bum quoddam, sed quod non audit auris: Odor quidam, sed quem non capiunt nares: Dulcedo quædam, sed quam non gustat lingua &c. Dicitur DEUS deorum, Dominus exercituum, Dominus dominantium, DEUS verus, DEUS bonus, Omnipotens, Qui est, Principium & Finis &c. &c. Sed dum hæc omnia dixeris, quantillum est, quod de te dicitur, O. M. DEUS! Quantum est, quod dicendum restat! O DEUS; parvum nomen, Res infinita! Noverim Te; æstimem Te.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quoq; innumeris, nunc blandissimis, nunc splendidissimis, nunc maximis nominibus honorari tum in Divinis literis, tum devotorum amantium ore. Jam Magnus DEUS dicitur à Gentium Doctore, jam Filius Dei vivi ab Apostolorum Principe, jam Agnus DEI à magno Præcursore; ab Isaia Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis; ab Archangelo Divinæ Triadis Legato Magnus, & Filius Altissimi; à dilecto discipulo Primus & Novissimus: Princeps regum terræ, Dominus dominantium & Rex regum; à Sponsa in Cant. Dilectus, & nunc Frater, Botrus Cypri, nunc Fasciculus myrrhæ. At quo à Patre æterno & Matre Virgine insignitus est nomine, JESUS, Sacrosanctum Augustissimum, & nobis Amabilissimum est. Sunt & alia nomina; quibus eum insignivit iniquitas nostra, & charitas sua: ut Vir dolorum, Novissimus virorum, Vermis & non homo &c. &c. Utrisq; summè nobis æstimabilis, amabilis, & venerabilis es, Gratiosissime JESU. Imprime, obsecro, menti meæ altissimos de te sensus; dum nomen quodpiam tuum sonat in auribus meis.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm eximijs & ipsa honoretur Nominibus tum ab Ecclesia in Officijs & Litanijs; tum à Clientibus suis, honoris & amoris ejus studiosissimis. Recole præcipua, & ijs cum gustu inhære. Venerare Dominam & Reginam tuam titulis augustissimis: blandire Patronæ ac Matri tuæ speciosissimis. Doce me, ô Augustissima, ô Amabilissima: quo elogio vel maximè velis honorari à me.

Propositum, v. g. *utendi selectis quibusdam titulis in agendo cum Deo, & loquendo de Deo, J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

Homines modicis, Deus, J. & M. summis efferendi laudibus.

INvertit passim humana pravitas rectum rerum & actionum ordinem ac modum. Primos hominibus, postremos Divis defert honores. In hominum laudibus immodici, in DEI Divorumque admodum parci sumus. Quanti titulorum congeruntur acervi, è quibus eruuntur vetustatis ruderibus cu-

ribus cunabula, quæ confinguntur naturæ ac fortunæ dona, quæ consarcinantur gestorum mendacia: ut miser homuncio attollatur super homines, & ostentetur non solùm Magnis non minor, sed similis Altissimo? Putidum est id genus assentationum in panegyristis gentilibus: at in Christianis, ac potissimùm Religiosis, omnino intolerabile. Dicenda concio funebris? inscribendæ Mæcenati cuipiam Scholasticæ Theses? provecto ad illustrius officium offerendus Panegyricus? Confestim vix uno alterove digito eminentibus supra vulgus, summi decernuntur honores, tribuuntur novi titulorum splendores, dedicantur encomiorum magnalia vix summis congrua: homines conditione, naturæ fortunæq; dotibus, rectè gestis vix mediocres, æquantur, imò præferuntur Scipionibus, Alexandro, Augustino, Hieronymo &c. atq; insanâ apotheosi Deorum choro inferuntur à Christianis, à Catholicis, à Religiosis! Non timent isti colaphos à Sigismundo Imperatore, & Ladislao Polonorum Rege, impactos adulatoribus, qui nimiis laudibus ipsis blandiebantur. *Cur me mordes, adulator?* adjecit Sigismundus. *Ego percutientes me repercutio:* addidit Ladislaus. Non timent, inquam: quia nôrunt; hunc orbis nunc esse stylum; & adulatores olim canum feliumq; loco habitos, nunc Prophetarum instar veracissimorum observari. Ita pleriq; amant à panegyristis altiores sibi induci cothurnos, quibus emineant, quàm acceperint à natura, forma & virtute. Placent splendida mendacia, etiamsi palpabilia sint. Fertur barbitonsor cujusdam è summis Pontificibus, post peractum opus suum, de more objecisse ipsi speculum, ut observaret: an rectè suo functus esset munere? adjecisse autem: Vultum hunc planè dignissimum esse universi orbis Christiani imperio. Cui Pontifex: Tu mihi quidem adularis; attamen places.

Quantò rectiùs & æquiùs hujusmodi eloquentiæ dispendia impenderentur illis laudandis, quibus laus nulla, etiam ab Angelicis decantata mentibus, par esse potest? De Divina Excellentia & Majestate prædicat Ecclesiasticus cap. 43. *Exaltantes eum replemini virtute: ne laboretis; non enim comprehendetis. Quis magnificabit eum, sicut est ab initio?* In ipso enim est omne laudabile; & quidem perfectiùs est in ipso, quàm in se. Ipse, ut ait Dionysius de divin. nom. c. 1. est *Omne principium, omnis finis, vita omnis, omnis immortalitas, omnis sapientia, omnis ordo, omnis concentus, omnis vis, omnis conservatio, omnis firmitas, omnis distributio, omnis intelligentia, ratio, sensus, habitus: Omnis status & motus, omnis connexio, omnis temperatio, omnis amicitia, omnis convenientia, omnis divisio, omnis terminus, cæteráq; omnia:* quæ scilicet magna, pulchra, & quocunq; titulo laudabilia sunt. Ipse est verissima & sum-

ma tam sua, quà nostra Laus. Unde Moyses Deut. 10. *Dominum Deum tuum timebis, & ei servies. -- Ipse est laus tua, & Deus tuus, qui fecit tibi hæc magnalia.* Et Exod. 15. *Fortitudo mea & Laus mea Dominus.* Ergo & nos totos decet fieri *Laus DEI.*

De Salvatore ac Domino nostro canit Ecclesia, præcinente Angelo Aquinate: *Quantum potes, tantum aude: quia major omni laude; nec laudare sufficis.* Secundùm Divinitatem enim non minor est Maximo & Laudabilissimo: secundùm Humanitatem, & eminentiâ dignitatis, & consummatione omnis perfectionis, & gestorum gloriâ infinitè excedit omne creatum ingenium, & exhaurit omnem etiam Angelicam eloquentiam: ut meritò audita sit Apoc. 5. *omnis creatura, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo,* concinere: *Sedenti in throno & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum.*

De Virgine DEIpara cum omni Sanctorum Ecclesia dulcissimè canit Virgineus Poloniæ Princeps Casimirus: *Omni die dic MARIÆ, mea, laudes anima. Sine fine dic Reginæ mundi laudum cantica. Omnes mei sensus ei personate gloriam. Nullus certè tam disertæ extat eloquentiæ: qui condignos promat hymnos ejus Excellentiæ. Nullus fingat, quod attingat ejus Celsitudinem. Quàmvis sciam, quòd MARIAM nemo dignè prædicet: tamen vanus & insanus est, qui illam reticet.*

Ergo benedicamus Domino & Dominæ in omni tempore: Semper laus eorum in ore nostro.

FER. II post Dom. IX. post Pent.

MEDITATIO: *De Vita DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera admirandam Vitam ipsius. Non est DEUS noster, ut dij gentium, qui oculos habent, & non vident; aures habent, & non audiunt, vivorum simulacra sunt, & non vivunt. At DEUS noster vivus est & ipsa Vita. Non enim vita ipsi accidentalis est, quam habeat ab alio, & quæ ipsi auferri possit. Vitam vivit sibi essentialem, æternam, jucundissimam, gloriosissimam, atq; omni ex parte beatissimam. Vita ipsius fons est, & regula, & vigor omnis vitæ. O Vita, per quam vivunt omnia, sine qua intereunt omnia: Vita meæ vitæ, Vita vitalis, dulcis & amabilis, tota desiderabilis, quando deficiam in me, & totus per te vivam tibi? Sine te & gratia tua cadaver est ipsa anima mea, horridum, putidum, sordidum. Per Te mihi licet vivere vitam Cœlestem, Angelicam, Divinam. O quòd hactenus tam terream & animalem vixerim vitam!

 2. Ado-

2. ADora D. JESUM, & considera duplicem ejus Vitam; Temporalem, à Conceptione usq; ad mortem crucis; & Æternam, à Resurrectione in sæcula sæculorum sine fine. Utraq; divina, beata & mirabilis: sed mirabilissima Temporalis illa. Mirabilius enim longè est: quòd DEUS vivat vitam humanam, temporalem & miserè beatam; quàm quòd Homo-DEUS vivat divinam, plenè beatam, & æternam. Beata equidem fuit etiam Temporalis vita Christi; siquidem indefectibiliter fruebatur clarissimâ Visione DEI Anima ejus: sed miserè beata fuit; cùm Christus ipse ultrò se privaverit illis gaudijs, delicijs & prærogativis, quæ naturaliter Visionem illam comitantur; & sese objecerit infinitis incommodis, miserijs, doloribus, ac morti ipsi ignominiosissimæ. Docere nimirum voluit: quâ vitâ temporali perveniremus ad æternam, & æternùm beatam. Non enim in utroq; statu licet agere beatam & gloriosam. Suspicio & amplector, Divinissime JESU, temporalem Vitam tuam ut regulam & ideam meæ: sed quàm longè aliam egi! Pudet, & pœnitet.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: Vitam ipsius temporalem fuisse longissimè remotam à vita reliquorum omnium filiorum & filiarum Adæ. Fuit innocentissima, nullâ unquam labe inquinata; fuit felicissima, quia in suavissimo convictu DEI Hominis acta; fuit summè meritoria, imò unum continuum diu noctuq; meritum, unus non interruptus actus ardentissimi amoris divini, unum assiduum virtutum omnium exercitium. Unde colligere licet: qualis jam sit Vita Ipsius Beata in cœlis. Gratulor Tibi, ô Beatissima, utramq; hanc vitam. O quantum distat mea à tua! O quando tandem incipiam vivere Christianè & Marianè!

Propositum, v. g. *de Vita rectè instituenda.*

LECTIO PRACTICA.

De eligendo vel corrigendo vitæ statu.

UNa è maximi momenti Deliberationibus, quæ in omni vita nobis occurrere possunt, est Deliberatio de Eligendo Vitæ Statu. Ab hoc enim pendet vita juxta placitum divinum agenda, & mors felix, & salus æterna. Nam certum est 1. DEUM non velle unumquemq; salvare in quocunq; statu: sed sicut varios instituit in Ecclesia sua vitæ status: ita hos ad hunc, illos ad illum vocat: nec licet nobis pro arbitrio nostro hunc Providentiæ Divinæ ordinem invertere; & vivere, non ubi, aut quomodo, DEUS vult, sed prout nobis placet. Gravis enim nobis imminet sententia, Proverb. 1. 24. *Quia vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: Ego*

quoq; in

quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo. Expertus id est non nemo, de quo S. Antoninus 3. p. tit. 24. c. 9. §. 7. qui cum se vocari sentiret à DEO ad Religionem S. Francisci, & propositum eam ingrediendi voto firmâsset: postea mutato consilio factus est Canonicus. Post paucos menses incidit in morbum lethalem. Admonitus ergo à suis de anima per Confessionem expianda, respondit: nil esse opus; quoniam ostensum sibi esset, se esse damnatum; quare, ne ampliùs sibi essent molesti, quia non posset confiteri. Apparuit enim mihi, inquiebat, Dominus iratus, dicens: *Vocavi, & renuisti: ideò vade ad pœnas inferni.* Quo dicto expiravit.

Quando igitur tam vehementibus urgemur stimulis ad certum statum, v. g. Religiosum; seu tam manifesta habemus indicia, nos à DEO vocari ad certum statum; ut nullum maneat rationabile dubium: deliberatione ulteriore opus non est, sed parendum omnino, & quàm primùm fieri potest. Quando autem animo fluctuamus ob pares, vel ferè pares in utramq; partem rationes; solicitâ opus est, & prudente deliberatione; ne postea electionis nos pœniteat. Ad hoc negotium ritè expediendum, perutiles erunt sequentes Regulæ, excerptæ ex ijs, quas S. P. N. Ignatius, peritissimus Magister Spiritûs, generaliter tradit in suo Exercitiorum Spiritualium libello, de quavis electione in Spiritualibus ritè instituenda.

1. Determinandum est certum & commodum tempus, in quo hæc deliberatio instituatur. Ut autem fructuosiùs expediatur, juvabit plurimum ad illam se præparare per Confessionis & Communionis Sacramenta, aliaq; pietatis exercitia, & ardentem Spiritûs S. invocationem &c. ingeminando frequentiùs: *Domine, quid me vis facere? Veni, Veni, S. Spiritus,* &c.

2. Secedendum à turbis & negotijs alijs, nec ulli tunc admittendi arbitri, præter DEUM, DEIparam V. & S. Angelum Cust. cum Tutelaribus Divis. In hac Solitudine statuendi sunt ante oculos varij hominum status: inprimis Sæcularis, Ecclesiasticus & Religiosus. Quodsi quis jam antè determinatus esset ad non agendam vitam sæcularem, v. g. conjugalem: proponatur solùm Status Ecclesiasticus & Religiosus. Si autem jam esset constitutum, Vitam amplecti Religiosam: proponendi solùm erunt varij Ordines Religiosi.

3. Revocetur in mentem Finis, ad quem homo conditus est & ordinatus à DEO Opt. Max. scilicet, *ut eum amet, laudet, revereatur, eiq; serviendo salvus fiat.* Deinde animo tranquillato, ponatur Voluntas in quodam æquilibrio, cum omnimoda indifferentia ad hunc illumve statum, & cum plena resolutione eum, & non alium, amplectendi, quem ex divino lumine intel-

lexeris magis tibi serviturum, ad obtinendum finem illum tuum, idest, ad obsequium, amorem & gloriam DEI, salutem verò propriam.

4. Expendenda diligenter sunt cujusvis Statûs commoda & incommoda, lucra & detrimenta; & hæc cum illis conferenda respectivè ad personam tuam, & pro toto vitæ tempore. Incommoda autem non sunt comparanda tantùm cum viribus tuis naturalibus, sed adjutis divinâ gratiâ.

5. Imploranda identidem Divina bonitas: ut mentem illuminare, & voluntatem impellere velit ad illud vitæ genus; quod ipsius obsequio & saluti tuæ videt accommodatius.

6. Facienda reflexio super animi illustrationes & voluntatis motus: in quamnam partem, & quantùm inclinet, seu feratur. Quodsi advertatur, in unum certum statum, quisquis ille sit, non ex appetitu carnis, vel vanæ alicujus gloriæ, sed ex motivo Divini amoris, & studio æternæ salutis, propendere notabiliter, & cum animi quiete: concludenda erit deliberatio, facienda talis Statûs Electio præ cæteris, DEO agendæ gratiæ, & petenda in proposito confirmatio ad majorem ipsius gloriam.

7. Videndum: an Electio hæc talis Statûs ita sit à te facta: ut si aliquis ex tibi amicissimis in simili negotio te consuleret: non aliter illi suaderes? Item An, si esses in extremo agone constitutus, aut coram tribunali divino; & Electio Statûs tibi esset facienda: an, inquam, aliter, vel omnino, ut nunc, eam faceres? Si non aliter: concludendum est negotium, & communicandum cum aliquo viro prudente, docto, & perito, præsertim eo, cui aliàs conscientia tua nota est. Consanguinei passim sua commoda spectant, & spiritu mundi ac carnis aguntur. Sic factam, ac deinceps ferventer DEO commendatam Electionem communiter sequitur Vita & Mors felix.

FER. III. post Dom. IX. post Pent.

MEDITATIO: *De Immortalitate DEI, JESU & MARJÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera eum cum Apostolo 1. Timoth. 1. ut Regem sæculorum Immortalem. Reges terreni, etiam potentissimi, quàm imbelles sunt hac in parte! Non sæcula tantùm, sed nec horas vel momenta vitæ propriæ habent in potestate sua, millenis obnoxij morbis, nullâ vi sive armorum, sive opum, sive medicaminum satis armati contra vim mortis. At DEUS noster Rex est sæculorum & fluentium, & possibilium, educens de thesauris æternitatis suæ tempora jam pacifica, jam turbida & procellosa, dispensans omnia arbitrio suo. Vita ipsius beatissima

tissima nec ulli vicissitudini, nec fini obnoxia est. Immortalis ipse per essentiam, dispensat immortalitatem per gratiam, etiam Spiritibus: in quantum Vitam illis liberè & gratiosè, ut dedit, ita conservat, conservabitq; æternùm. Suspicimus, miseri mortales, beatissimam Immortalitatem tuam, Rex Magne sæculorum. Da, obsecro: ut ita transigamus vitam mortalem; ut mereamur immortalem, tuo amori & laudibus æternùm impendendam.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quidem per naturam humanam, secundùm se spectatam, mortalem fuisse; sed quatenus Persona erat Divina longè potius habuit jus ad immortalitatem, seu perennem existentiam, quàm anima nostra aut Angeli. Non tangebat ipsum illud Gen. 2. *In quocunque die comederis ex eo* (ligno scientiæ) *morte morieris*. Præstò ei erat & scientia, & facultas, facillimo negotio resarciendi, si quid detrimenti divino corpori intulisset pugnax primigeniarum qualitatum indoles. Quando igitur morti succubuit; non debitum prævaricatricis naturæ persolvit, nec victus occubuit: sed remedium contra mortiferum serpentis antiqui virus mortalibus paravit, & quàm fortis esset ejus erga nos dilectio, demonstravit. Et non impendam Tibi ultrò, ô Amator fortissime, miseram hanc & brevem vitam pro repudiato jure ad immortalitatem; pro morte, & tali morte, ultro mei amore oppetita?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; potentem, nec unum, habuisse titulum ad Immortalitatem: ut, quòd in Adam non peccârit, quòd Immortalitati vitam dederit &c. maluisse tamen conformari Filio per supremum dilectionis actum. *Majorem hâc dilectionem nemo habet; quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* Joan. 15. Honoravit liberalem hanc resolutionem Filius, quando Matrem non permisit ferreo doloris, sed aureo amoris telo concidere: & post triduum redivivam, in beatam asseruit immortalitatem. Vive, regna, triumpha, Immortalis Regina nostra: servulos autem tuos dona morte justorum.

Proposit. v. gr. *de tali præparatione ad mortem, ut hæc mihi sit janua ad vitam æternam.*

LECTIO PRACTICA.

Per Vitam temporalem rectè institutam tendendum ad gloriosam Immortalitatem.

QUis mortalium non optet gloriosam immortalitatem? Quis corporis vel animi ægritudine gravatus, non queritur cum Apostolo. Rom. 7. *Infelix ego homo: quis me liberabit de corpore mortis hujus?* O quando corruptibile hoc induet incorruptionem? Sed advertendum diligenter: ad glo-

riosam Immortalitatem ordinariè non perveniri, nisi per Vitam temporalem rectè institutam, & ritè transactam. Qualis vita, mors est ita. Et: Mors qualis, Immortalitas est talis. Vitam bonam lege ordinariâ sequitur mors bona, mortem bonam excipit infallibiliter Immortalitas bona in gloria cœlesti. In id ergo omnibus cujusvis statûs hominibus incumbendum perquam diligenter: ut vitam suam rectè instituant, ordinent, transigant. Quod ut fiat:

1. Totus vitæ cursus dirigatur ad debitum finem: id est, ad DEUM, & Majorem ejus Gloriam. Nemo enim nascitur, ut sibi, vel mundo aut carni vivat; sed DEO, Creatori, Redemptori & Sanctificatori suo; juxta illud Rom. 14. *Nemo nostrûm sibi vivit: & nemo sibi moritur. Sive enim vivimus, Domino vivimus: Sive morimur, Domino morimur. Sive ergo vivimus, sive morimur, Domini sumus.* Ipsius obsequijs & honori nascimur; & ab ipso magnis sumptibus in hunc finem sustentamur.

2. Vita secundùm Leges Divinas & Ecclesiæ Præcepta instituatur. Improbi enim mores vitam temporalem abbreviant passim, & mortem inducunt æternam. Probo autem promittitur Psal. 99. *Longitudine dierum replebo eum; & ostendam illi salutare meum.* Et Prov. 6. *Ne dimittas legem Matris tuæ*, potissimùm Ecclesiæ, *quia mandatum lucerna est, & lex lux, & via vitæ increpatio disciplinæ.*

3. Si post electionem Statûs, procuranda habetur Domus & familia: ordinanda ea est quàm prudentissimè secundùm Regulas Christianæ Oeconomiæ. Inprimis videndum: quàm amplam domum & familiam æquum sit habere, attendendo tum ad personæ qualitatem & officia, tum ad ordinarios proventus. Deinde considerandum: quibus modis alenda, ordinanda & gubernanda sit: quibus instruenda monitis & exemplis? Negligentibus in hac parte gravis imminet sententia Apostoli 1. Tim. 5. *Si quis suorum, & maximè domesticorum, curam non habet, fidem negavit; & est infideli deterior.* Infideles enim naturali instinctu & pietate suorum curam gerunt. Hic enim est ordo charitatis, etiam naturalis, ut domesticis præ externis prospiciamus: inquit ibi Corn. à Lap. Religiosus de cellæ suæ 4 angulis facilè disponet; ac ferè solicitus tantùm erit: ne in ea oculos S. Angeli sui Custodis offendat; & ut quàm maximè sit vacua & inanis, nihil omnino importando superflui, & aliquem, etiam necessariorum, defectum patiendo.

F 4. Tempestivè, providè, & piè disponendum de bonis fortunæ, præmissâ accuratâ consideratione; quantus de possessis facultatibus & ordinarijs proventibus sumptus in usus proprios seu domesticos sit convertendus;

quantus

quantus in negotia gerenda; & quid superesse possit, quod erogetur in pauperes, aliosq; usus pios? Sicut enim gravis error est bona sua prodigere in res aut personas, ususve alios non competentes: ita magnus est prudentiæ defectus, juxta Christi D. monitum Luc. 16. non facere sibi maturè amicos de mammona iniquitatis, qui ex hac villicatione migrantem nudum, recipiant in æterna tabernacula. Bene Tobias Senior, paterfamilias veteranus, c. 4. filium instruens: *Quomodo potueris, ita esto misericors. Si multum tibi fuerit, abundanter tribue: si exiguum tibi fuerit; libenter impertiri stude.*

5. Ordinanda negotia, v. g. initio Anni, considerando: quid, & quibus modis ac medijs eo anno sit agendum? initio mensis, quid eo mense? initio diei, vel pridie vesperi, quid eo, vel sequente die? Magnum enim est compendium, si agenda agantur suo tempore & modo. Magnum est prudentiæ argumentum; si nihil, aut vix aliquid, improvisum occurrat. *Omnia tempus habent* teste Sapiente Eccle. 3. quàmvis sæpè nos queramur, ipsum nobis deesse; scilicet Inordinatis.

6. Dispositio tempestivè facienda pro felici morte, & aditu gloriosæ Immortalitatis; considerando diligentissimè, & ordinando; quibus medijs & meditationibus comparare nobis possimus Gratiam finalem. Quid enim prodest, si vitam longam & sanissimam lucreris: beatæ verò Immortalitatis jacturam patiaris? Sic igitur instituta vita temporalis sine dubio nos faciet expertes mortis æternæ, participes verò vitæ & gloriæ æternæ.

FERIA IV. post Dom. IX. post Pentec.

MEDITATIO: *De Beatitudine DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera summam & incomprehensibilem ejus Beatitudinem. Beatitudo dicitur Status omnium bonorum aggregatione perfectus. In hoc statu perfectissimè & plenissimè fuit ab æterno DEUS, est, & erit in æternum. Quidquid ipse esse potest, est perfectissimè: quidquid desiderare potest ad voluptatem se dignam, habet copiosissimè. Neminem habet, quem timeat, supremus omnium & potentissimus Dominus: neminem, cui aliquid debeat; ipse sibi quoad omnia sufficientissimus. Antequam ulla existeret creatura, beatissimus erat: si intereant omnes, non minùs beatus erit. Omnia enim indefectibiliter, & meliore modo, quàm existant extra causas, continet in Essentia sua infinita, cujus comprehensivâ contemplatione uti & divinarum personarum jucundissimâ societate continuò pascitur, & delectatur; cujus infinitâ Bonitate per amorem infinitum incessanter fruitur, nec mundi gubernatione distra-

ctus, nec peccatorum multitudine & gravitate conturbatus, nec ullâ unquam animi ægritudine tentatus. Gaudeo medullitus, Beatissime DEUS, de tanta beatitudine tua. Da: ut æternùm illâ gaudeam.

2. ADora D. JESUM, & considera ipsius quoq; summam & consummatissimam omni ex parte Beatitudinem. Vendicant illam sibi summo jure tum dignitas Personæ ejus Divinæ; tum infinita, quæ per omnem vitam mortalem studiosissimè cumulavit merita; tum immanissimi dolores, quos in anima & corpore passibili sustinuit patientissimè. Si Servis DEI, modicùm passis, in paucis vexatis, in modico fidelibus, promittitur Luc. 7. præmiorum, gaudiorum & voluptatum *mensura conferta, & coagitata, & supereffluens*: si non solùm illis datur eminùs aspicere, vel guttatim degustare bona cœlestis beatitudinis; sed jubentur *intrare in gaudium Domini sui* Matt. 25. & torrente voluptatis potantur. Psal. 35: quid non honoris, gaudij & omnigenæ felicitatis Filio, & tali Filio detulit, non solùm infinita charitas, sed summa Justitia Patris æterni? Fruere, Beatissime JESU, fruere tam excellenti & penitus consummatâ beatitudine tuâ; fruere præmijs laborum, consolationibus dolorum, delicijs omnibus paternorum bonorum: & memor esto servulorum tuorum in hoc exilio laborantium.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quantam esse oporteat Beatitudinis ejus excellentiam & plenitudinem. Nec oculus vidit, Apostolo teste, 1. Cor. 2. nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparavit DEUS ijs, qui diligunt illum: quæ ergo erit Beatitudo Virginis Matris ejus, quæ super omnes & purior corde, & ferventior amore dilexit; quàm non solùm dignitas Matris, sed etiam humilitas ancillæ extollit super omnes? Gratulor tibi felicissimam hanc sortem, ô Beatissima. Fac: ut videntes JESUM, semper collætemur.

Propositum, v. gr. *de cumulandis meritis pro eximia beatitudine in cælo.*

LECTIO PRACTICA.

Quis Status in vita mortali beatior?

DUos tantùm placet hic inter se comparare Status, proponendo singulorum commoda & incommoda, seu lucra & detrimenta: scilicet Sæcularem conjugatorum, & Religiosum. Decisio quæstionis sit penes ipsum Lectorem.

Sæcularis Conjugatorum Statûs *Commoda*, solatia, & lucra quædam sunt Propagatio generis humani, ex qua sequitur multiplicatio servorum DEI, & augmentum gloriæ divinæ: Educatio proba liberorum ad DEI gloriam, Ecclesiæ ministerium, patriæ præsidium, & parentum liquidissimum

solatium, quod percipiunt non solùm ex tenerioribus, sed etiam maturioribus bene moratis liberis: Partitio onerum humanæ vitæ in duos, unde alter alteri est adjutorio, Jucunditas ex multorum consanguinitate & affinitate conjunctorum Societate, Consolatio ex libertate vivendi, opibus, honoribus, famulorum & clientum copiâ, Deniq; Gratiæ Sacramentales, quæ percipiuntur ex contractu conjugali elevato à Christo D. ad dignitatem Sacramenti.

Incommoda, tribulationes, & detrimenta ejusdem statûs sex, volunt quidam indicata esse per 6 illas in Nuptijs Canæ Galilææ hydrias, aquâ tribulationum repletas usq; ad summum, quæ non nisi ingenti miraculo convertatur in vinum. *Prima* tribulatio est ex ipsis conjugum personis. Cùm enim passim ingenio, indole, moribusq; sint discordes, hoc ipso pariunt sibi plurima dissensionum & contentionum incommoda, ut experientia docet. *Secunda* ex tribulatione carnis, dum alter alteri stimulo est, fomitemq; ministrat, juxta illud 1. Cor. 7. *Si nupserit virgo, non peccavit: tribulationem tamen carnis habebunt hujusmodi*; scilicet majorem, quàm in cœlibatu. *Tertia* ex ipsis liberis, dum vel sterilibus non dantur, vel nimis copiosi dantur ubi curta supellex; dum immaturo funere eripiuntur, vel gravibus & diuturnis morbis affliguntur; ac potissimùm dum corruptis moribus sæpissimè non respondent etiam probæ educationi. Unde applicari parentibus potest illud *Multiplicâsti gentem, & non magnificâsti lætitiam.* Isa. 9. *Quarta* ex Consanguineis, familia domestica & vicinis malis. Consanguineorum mala jure naturæ pertinent ad nos, molestantq; non leviter, dum remedium vel non potest adferri, vel importunè & indiscretè exigitur. Familia cervicosa, infida, infidelis, ignava, furax, quantas generat curas & turbas: quibus non paucæ, nec leves accedunt à malis vicinis. *Quinta* ex rei domesticæ detrimentis & inopia, imò & proventuum copia: quæ quò major est, majorem parit solicitudinem. *Sexta* ex indissolubilitate Sacramenti Matrimonij: si nimirum intercedat discordia. S. Basilius multa paucis complexus, *Conjugio mancipatum*, inquit, *curarum agmen excipit: in orbitate desiderium prolis, in liberorum acquisitione pro educatione solicitudo; uxoris custodia, domestica procuratio, servilium officiorum constitutio, damna in civilibus contractibus accepta, digladiationes cum vicinis, forenses concertationes, negotiationis alea, agriculturæ labores: unaquæq; dies suam adfert caliginem. Jam verò noctes diurnas curas excipientes, per easdem rerum species imposturam mentis factitant.*

Religiosi Statûs *Incommoda* sunt, Vincula perpetuæ castitatis, paupertatis, obedientiæ, & si quæ sunt alia particularium Ordinum propria? An-

guſtiæ habitationis; Victûs parcitas, Veſtitus vilior, labor aſſiduus, operum pœnitentialium auſteritas, abnegatio ſui, & omnium ſenſualium, alibi licitarum delectationum.

Commoda ſunt inprimìs hæc ipſa incommoda. Quàmvis enim carni & ſanguini ſint incommoda: at cùm *diligentibus DEUM omnia cooperentur in bonum*, teſte Apoſtolo Rom. 8. ijs, qui ſtudio placendi DEO, & Chriſtianæ perfectionis tenentur, valde ſunt commoda & opportuna ad eum finem obtinendum. Accedit, quòd incommodorum illorum voluntaria perpeſſio liquidiſſimam, quam animalis homo capere non poteſt, ac planè divinam habeat voluptatem conjunctam. Jucundiſſimum enim eſt; eſſe certificatum: quòd momentaneum hoc & leve incommodorum, & tribulationum, æternum gloriæ pondus operetur in nobis in futurum, admirabile autem Centuplum in hac vita, cum Satisfactione pro peccatis commiſſis. Deinde ipſa vivendi ratio, victus & veſtitus neceſſitati ſufficiens, occupationum varietas & honeſtas, temporum accurata diſtributio, curarum mordacium defectus, Superiorum paterna providentia, fratrum jucundiſſima ſocietas, conſcientiæ limpidiſſima tranquillitas, ſalutis æternæ fere certa ſecuritas, mortis non ſolùm abſq; formidine, ſed cum dulcedine & aviditate expectatio, frequens cœlitùs infuſa conſolatio &c. quàm honeſtam, quàm copioſam generat voluptatem! *Nonne hæc eſt*, inquit Bern. *Religio ſancta, imò & jucunda, in qua homo vivit puriùs, cadit rariùs, ſurgit velociùs, incedit cautiùs, & irroratur, cœleſtibus gratijs, frequentiùs?*

Quid jam ex paucis his lineis de utroq; ſtatu videtur? Non decido, quis ſit beatior: ſed unum ſimpliciter dico: *Beati, qui habitant in domo tua, Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt Te!* Pſal. 83.

FER. V. poſt Dom IX. poſt Pent.

MEDITATIO: *De Magnificentia ſeu Majeſtate DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & conſidera incomparabilem ejus Magnificentiam & Majeſtatem. *Admirabilis magnificentia ejus*. Eccli. 43. tum quia nulla regum terræ ipſi comparari poteſt; tum quia non minùs ad amorem quàm timorem concitandum compoſita eſt; tum quia per orbem univerſum & ultrà extenſa eſt. Quis ſimilis tui in fortibus, Domine? Magnificus in Sanctitate; terribilis atq; laudabilis. Exod. 15. Magnificentia principum terrenorum plerumq; ex faſtu & luxu conflata eſt: DEUS noſter *Magnificus in Sanctitate*. Aliorum magnificentia ſupra terram non extollitur: DEI noſtri *magnificentia & virtus in nubibus*. Pſal. 67. imò *elevata eſt magnificentia*

ficentia tua super cœlos. Psal. 8. Magnificus est in solio gloriæ suæ, magnificus in scabello pedum suorum; magnificus in voce sua, magnificus in omnibus operibus suis. Quis non humilietur in conspectu ejus? eriget cristas vermiculus terræ? Absit. Tua est, Domine, magnificentia & gloria: mea vilitas & abjectio.

2. ADora D. JESUM, & considera: quòd, quàmvis in mortali vita de industria magnificentiam Divinitatis suæ sub nube carnis assumptæ occultârit; subinde tamen radius aliquis occultatæ majestatis velut è nubilo promicuerit, prodideritq; personam humanâ majorem: ut dum adoraretur à Magis, baptizaretur à Joanne, transfiguraretur in monte, invaderetur à Pontificum satellitibus: imò ipsum opprobrium crucis non ita obruit Majestatem, quin Longini, centurionis, & aliorum oculos perstringeret. At quanta magnificentia resurgentis, quanta gloria ascendentis, quanta majestas ad dexteram Patris sedentis? Qualis, quantusq; veniet, vivorum ac mortuorum Judex? *Cum virtute multa & majestate?* Matt. 24. *Cum potestate magna & majestate.* Luc. 21. Quàm magnificus & gloriosus, post debellatos & æternis carceribus atq; tormentis mancipatos omnes hostes suos, cum splendidissimis hominum & Angelorum exercitibus redibit in cœlum, & regnabit in sæcula sæculorum? Quis tali ac tanto non serviat Principi? Quis deses sit in ejus obsequio?

3. VEnerare DEIparam V. & considera ipsius quoq; admirandam magnificentiam, quâ gloriosa regnat in cœlis. Thronum occupat Filio proximum, elevata super omnes Angelorum choros. Omnes cœlestium Principum exercitus quàm splendidis agminibus illi assistunt, & nutum observant? Quali quantâq; luce circumfunditur, & totum illuminat cœlum? In terris quoq; in Imaginibus & Ecclesijs ipsi dicatis quantus nitor & splendor? Quanti reges & reginæ se ipsi sternunt suppedaneos? Magna, Magna es, Domina, & inenarrabilis magnificentia tua! O videam Te aliquando in solio gloriæ tuæ!

Proposit. v. gr. *magnâ diligentiâ peragendi ordinaria pietatis exercitia.*

LECTIO PRACTICA.

Magnificè colendi DEUS, JESUS & MARIA.

QUæ laus Jeremiæ Prophetæ tribuitur 2. Mach. 2. quòd *Magnificè Sapientiam tractârit*: ea & nobis communis esse potest; si in id intenti simus, ut magnificè tractemus cultum DEI, J. & M. Est enim hæc non vulgaris Sapientia; scire, velle, & indefesso studio procurare: ut magnificè colatur Magnificentissimus DEUS. Unde Gregorius Nazianz. in Carmine ad

Nicobulum dicit: *At se mensurâ magnâ, magno ac pede debet metiri, quicunq; sapit.* Id est: Ad magna in materia virtutum aspirare debet, & non contentus esse; ut taliter qualiter bene operetur, DEUMq; colat: sed magnus, eximius, præcellens, dignus DEO, sit ejus cultus, oportet. Cogitas DEO, aut Matri ejus, sacram struere ædem? Magnifica sit, & digna ipsis, quantum facultates tuæ & industriæ assequi possunt. Vis illos pro concione laudare? Magnifica, & digna ipsis, sit Concio. Placet Psalmodiâ, vel simili oratione ipsos honorare? Magnifica, & digna ipsis, sit oratio. Placet pium quoddam opus in ipsorum honorem exercere? Magnificum sit, & dignum ipsis, opus. Quàmvis enim exiguum fuerit in se: conandum est, ut excellenti agendi modo extollatur, & pretium splendoremq; acquirat. Quod quomodo fieri possit, dicetur Lectione sequente. Hic stimulos tres, ad id nos impellentes, quos suppeditat Cornelius à Lap. in cap. 33. v. 23. Eccli. notare & apprehendere juvat.

Primus est ipsa DEI, JESU & MARIÆ Excellentia, majestas, & magnificentia, considerata in Medit. Si enim regum principumq; terrenorum majestas & magnificentia tantam exigit in cultu suo diligentiam, curam, & omnino proportionatam sibi ac dignitati suæ venerationem: quanto potiore jure eam requirat Excellentia & Magnificentia infinita? Hinc S. Theresia, & alij quidam non simpliciter proposuerunt, sed voverunt: se in qualibet re & actione facturos id, quod optimum & excellentissimum viderent. Sic Sancti, Athanasius, Basilius, Augustinus, Bernardus, Hieronymus, Ignatius, cæteriq; eximij Sancti, sua omnia agebant modo quodam supra homines elevato: ut non tam hominum, quàm Angelorum incarnatorum videretur actio. Nimirum *vivebant ut Numina, loquebantur ut Oracula.* Nam si, ut dixit S. Cyprianus de singular. Cleric. *Sanctum non est, quod geritur sanctum: nisi sanctè, quod sanctum est, peragatur:* pari ratione magnum non erit, quidquid magni fecerimus DEO, nisi magnificè fuerit factum.

Secundus stimulus est: ut cogitemus; *Semel dictum aut factum æternum esse.* Manet enim, manebitq; per omnem æternitatem in conspectu DEI & Sanctorum ejus, atq; in æterna retributione & mercede. Proinde quidquid in honorem & cultum DEI præstamus, studeamus præstare excellenter & magnificè, animo nimirum magnâ charitate, religione, & humilitate pleno: ut in tali opere DEUS per omnem æternitatem maximum gustum habeat, & nos ex eo magnum solatium, præmium & gaudium reportemus per omnem æternitatem. Imitandus Zeuxes celebris pictor, qui rogatus: cur tam

cur tam morosus & accuratus in pingendo esset: responsum dedit picturis suis pulchrius: *Æternitati pingo*. ut habet Plutarchus in Pericle, & Plin. l. 35. Sic nos ante actiones nostras in honorem & gloriam DEI exercendas, cogitemus: nos *Æternitati operari. Colere Regem sæculorum immortalem, atq; æternum*; quem nulla unquam capiet oblivio præstiti obsequij.

Tertius stimulus est; quem suis dedit moriturus S. Antonius, & Barlaam regi Josaphat apud S. Damasc. *Quotidie dum surgimus, cogitare: illum diem nobis fortè ultimum fore, & actionem, quam præ manibus habemus, ultimam.* Sic enim excitabimur, ad obsequia nostra DEO tam exactè & studiosè deferenda, acsi, re verâ, nihil ampliùs in hac mortali vita in ejus gratiam & honorem præstituri essemus. Incertus omnino nobis est vitæ terminus; & cultus, quem DEO deferunt Beati in cœlo, liber non est: ergo dum tempus habemus, libero obsequio nobis DEUM, JESUM & MARIAM demerendi; particula tam boni doni nos non prætereat. Præstemus, quod possumus; & optimo, quo possumus, modo; juxta monitum Spiritûs Sancti apud Eccl. cap. 33. *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Magna Magnum decent DEUM. Si fortè præstare magna non potes; etiam exigua fac magnificè, magnâ virium applicatione, magno fervore, magnâ alacritate & charitate. *Satius est bene agere aliquid exiguum, quàm multa perfunctoriè:* inquit Plato in Theæteto.

FER. VI. post Dom. IX. post Pent.

MEDITATIO: *De Gloria DEI, JESV & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera eum inter omnes & super omnes gloriosissimum. Si enim Gloria, propriè dicta, est Eximia de aliquo existimatio & fama longè lateq; diffusa: quis sicut Dominus DEUS noster, *laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula?* Dan. 3. Infinita ejus perfectio & excellentia, summa potentia, Sapientia & Bonitas, quantam merentur æstimationem? quàm gloriosè celebrantur in cœlo & in terra? *Plena est omnis terra gloriâ ejus* Isa. 6. *Cœli enarrant gloriam ejus.* Psal. 18. *Excelsus super omnes gentes Dominus, & super cœlos gloria ejus.* Psal. 112. Ad hoc conditi sumus homines: ut glorificemus DEUM Creatorem nostrum. *Cunctas gentes creavit in laudem, & nomen, & gloriam suam.* Deut. 26 Frustra vivimus, & perversè vivimus; si id non agimus. Vivendum ad Gloriam DEI, imò ad majorem gloriam DEI; in id scilicet convertendo vires omnes, ut non ipsi solùm summè æstimemus & super omnia amemus DEUM; verùm & alij longè lateq; id præstent. O quòd tam se-

gniter id egerim! Omnia deinceps, Magne DEUS, ad Majorem gloriam tuam.

2. ADora D. JESUM, & conſidera ipſum quoq; in univerſo orbe, titulis graviſſimis & excellentiſſimis, glorioſiſſimum. Agnoſcunt, laudant & glorificant eum Angeli, ut ſupremum Principem ſuum, Reſtauratorem ruinarum ſuarum, Regem gloriæ magnificentiſſimum, DEUM de DEO, Lumen de Lumine. Agnoſcit eum Pater ut Unigenitum ſuum: *Filius meus es tu; ego hodie genui te.* Pſal. 2. & omnium venerationi atq; obſervantiæ proponit: *Hic eſt Filius meus dilectus, in quo mihi complacui: ipſum audite.* 2. Pet. 1. Et quia ſemetipſum exinanivit, factus noviſſimus virorum, opprobrium hominum & abjectio plebis: *exaltavit eum, & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen*; ſtatuitq;, ut *omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jeſus Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.* Philipp. 2. Non eſt jam natio tam remota & barbara, quæ non agnoſcat & glorificet Salvatorem mundi D. JESUM. O magis magiſq;, etiam meâ operâ, agnoſcatur, æſtimetur, ametur, glorificetur Glorioſiſſimus JESUS!

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera: gloriam ipſius ijſdem diffundi ſpatijs, ac gloriam D. JESU. Quicunq; enim agnoſcit JESUM, Filium DEI, agnoſcit eum etiam Filium MARIÆ: ideoq;, quiſquis ſanâ mente eſt, æſtimat & extollit MARIAM DEI Matrem ſuper omne, quod non eſt DEUS, totoq; corde effunditur in amorem & laudem ejus. Tu Gloria Jeruſalem cœleſtis & terreſtris, triumphantis & militantis Eccleſiæ: tu Honorificentia populi DEI, ô Glorioſiſſima Mater DEI. Parce deſidiæ meæ in promovenda gloria tua.

Propoſitum, v. g. *de ſtudioſiùs promovenda Dei, Chriſti D. & Matris ejus gloriâ.*

LECTIO PRACTICA.

Quomodo actiones noſtras elevare poſſimus ad magnam excellentiã, & Dei gloriã.

HOrreſcere ſolent minores animæ, dum audiunt: Magnum DEUM magnis eſſe colendum, & eximijs officijs. Parvitate enim ſuâ ſe metientes, neſciunt; ſe magna, & eximia præſtare poſſe etiam in minimis & ordinarijs pietatis exercitijs, ſi Sanctorum induſtrijs uti velint. Scitè dixit S. Bernardus, apud Gerſon. in dial. Franc. & Ang. tom. 2. *Deum non remunerari Verba, ſed Adverbia.* Id eſt, non tam ſpectare; quòd v. g. oras, laboras, prædicas, doces, &c. ſed quòd bene & præclarè oras, laboras &c.

Ut igitur actiones noſtras, quantumvis exiguas, elevemus ad eximiam excellentiam, & valorem apud DEUM, adeoq; fiant cum magna DEI gloria: Sex alas ſuppeditat inſignis Aſceta P. Ludovicus de Ponte tr. 4. de Perfect. Chriſt.

fect. Christ. c. 15. scilicet ut fiant 1. cum Viva præsentis DEI Memoria. 2. Ex pura ipsius majoris gloriæ Intentione, & ad suavissimum ejus gustum. 3. Præmissâ Oratione, seu divini auxilij imploratione, sine quo nihil possumus. 4. Cum insigni Fiducia in DEUM. 5. Magnâ animi fortitudine, ad superandas occurrentes & comitantes difficultates. 6. Infractâ Perseverantiâ, tolerando omnes molestias & perfringendo omnia impedimenta, usq; ad felicem exitum suscepti operis pro DEI gloria. Bene Ecclesiasticus, cùm dixisset cap. 33. *In omnibus operibus tuis præcellens esto*, subjunxit: *Et ne dederis maculam in gloria tua.* Sic age: ut & in operando, & in consummatione operis, & finito opere, non contrahas maculam aliquam, sive per torporem animi, sive per vanam gloriam &c.

Magnus, & fidelis etiam in minimo, DEI Servus P. Gaspar Druzbicki S J. valde accuratus, & in id intentissimus semper fuit: ut ordinarias actiones suas, etiam exiguas, magnâ & non ordinariâ perfectione perageret, redderetq; valde excellentes & pretiosas: prout tradit Daniel Pawłowski in ejus Vita c. 17. unde sequentia excerpo. Præscripserat sibi & fideliter observabat P. Gaspar hunc agendi modum.

1. Ut omnes actiones suas perageret in statu gratiæ: quod est fundamentum omnis bonæ & DEO placentis actionis. 2. Ut advertenter, liberè, & ex electione. 3. Intentione supernaturali, sublimi, purâ, rectâ, ad gloriam & gustum Divinum. 4. Omni possibili fervore intensionis. 5. Semper majore & majore diligentiâ & fervore, atq;, si fieri posset, millies & millies majore diligentiâ atq; fervore, quàm antè. 6. Cum applicatione omnium potentiarum animæ ad perfectè operandum requisitarum: & omnium atomorum corporis. 7. Nihil præsumendo de viribus suis, sed omnem fiduciam in DEO collocando. 8. Imitando Christum operantem, seu operando Christiformiter, Seraphicè & Marianè. 9. Uniendo singulas actiones meritis, sanguini, toti vitæ & morti Christi. 10. In præsentia Divina, & cum reverentia abyssali præsentis Majestatis. 11. Heroico, & quàm proximè ad divinam ideam rationemq; accedente conatu, fervore, defæcatione, nuditate, paupertate Spiritûs. 12. Resignatione Sponsali in divinam voluntatem & providentiam. 13. Ad gustum æternæ Sapientiæ: & ex mente, ritu, ardoreq; Societatis Seraphicæ. 14. In finem adorationis, laudis, gratiarum actionis, impetrationis mihi & alijs necessariorum auxiliorum; atq; Satisfactionis pro peccatis. 15. Supplendo hâc actione obligationes omnium creaturarum. 16. Cum Impersonatione in omnes creaturas: id est, nomine omnium, & cum omnibus agendo, laudando, ve-

 nerando

nerando &c. DEUM. 17. Agendo gratis, & sine respectu ullius commodi & præmij. 18. Optando potiùs à DEO sterilitatem consolationum divinarum; à creaturis ingratitudinem, censuras, reprehensiones, interpretationes sinistras &c. 19. Desiderando avidissimè majores cruces, confusiones, & Martyrium, saltem cordis. 20. Agendo punctualiter quoad tempus: obedienter quoad internum imperium seu instinctum; adæquatè quoad lumen & affectum. 21. Sacrificativè; sacrificatione seu oblatione tui holocaustaria in Latriam SS. Trinitatis, & JESU Christi adorationem ac exaltationem. 22. Dignè DEO, & Affectu SS. Trinitatis, Christi, Pretiosissimæ Parentis &c. 23. Semel pro semper, & ita: acsi hæc actio esset ultimum, finale, & efficax medium Prædestinationis, sine quo salvandus non esses &c. &c.

En quibus industrijs, reflexionibus, asceticis subtilitatibus, & medijs elevari possit brevis & exilis quælibet actiuncula nostra bona ad valde eminentem excellentiæ & meriti gradum. Si nimis difficiles videntur tot reflexiones: deligantur initiò paucæ aliquæ, seu una alterave, & sensim procedatur ad plures. Frequens exercitium facilitabit negotium. In Examinibus quotidianis diligens fiat reflexio super assumptam agendi methodum: prout accuratè, imò severè, faciebat memoratus DEI servus.

SABB. post Dom. IX. à Pentec.

MEDITATIO: *de Honore & Cultu debito DEO, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quòd, quemadmodum Magnificentia & Gloria ei convenit summa, ita honor & cultus competat summus, utpote Excellentiæ & Majestati supremæ. Præter Gloriam, quæ in æstimatione magnifica & amplis laudibus potissimùm consistit, Honor & cultus dicunt alia quædam signa, quibus Personæ alicujus dignitatem, nostram verò reverentiam & submissionem testamur. Cùm igitur DEI O. M. dignitas, authoritas & potestas sit suprema, & quâ major esse & concipi non potest: necesse est, ut ei quoq; à creaturis deferatur honor, quem Cultum Latriæ vocant, summus, quo major cogitari non possit. Unde nobis oritur inexplicabilis causa doloris: quòd tam multi agnoscant DEUM, per fidem firmissimè, & non pauci per demonstrationem evidentissimè; non tamen honorent & colant ut DEUM. Utinam ipse in eorum non essem numero! Utinam & Christianis exprobrari non posset: *Populus hic labijs me honorat: cor autem eorum longè est à me.* Matt. 15. Fundamentalis & solidus DEI cultus est, submissio ad accuratè observanda mandata ejus Supremæ Majestatis: & per Sacrificium Missæ.

2. Ado-

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsi quoq; debitum esse honorem & cultum summum Latriæ, tanquam DEO vero, sive illum spectemus in solio gloriæ suæ, sive in præsepi Bethlehemitico, sive in crucis patibulo. Nullibi enim desijt esse DEUS. Insuper debetur illi, etiam ut Filius hominis est, supremus honor & cultus propter summa merita erga Patrem & genus humanum; quorum intuitu data est ei omnis potestas in cœlo & in terra, constitutus Judex hominum & Angelorum, concessa Sessio ad dexteram Patris; mandatum, ut in nomine ejus flectatur omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum &c. Si enim Salvator ille Ægypti, & palatij regij Custos Mardochæus, tantopere meruerunt honorari à regibus suis: quem meruit honorem & cultum Salvator universi Mundi JESUS? At ego quàm rarus & frigidus ejus cultor! Parce, Dignissime JESU. Agnosco debitum, deprecor culpam, promitto meliora.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsi post Filium, deberi honorem & cultum summum, super omnes principes & reges terræ, super omnes Sanctos gloriâ & honore coronatos, super omnes cœlestes Potestates, Dominationes & Principatus: siquidem ob incomparabilem & quodammodo infinitam, Divinæ Maternitatis dignitatem evecta est super omnem puram creaturam, & nacta thronum Filio proximum. Omne igitur genu, quod curvatur DEO, curvetur oportet & Matri DEI O quibus ego Te submissionis officijs venerabor Augustissima Mater DEI! Quid honoris deferre possum homuncio vilissimus?

Propositum, v. gr. *de restaurando vel concipiendo fervore in cultu Dei, Jesu & Mariæ.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm studiosi esse debemus Honoris Divini & Mariani.

HAc conditione gignimur: ut generanti nos DEO justa & debita obsequia præbeamus: inquit Lactantius *libr. 4. Instit. divin.* Porrò *justa*, quæ DEO debemus, obsequia, ea sunt; quæcunq; omni meliore modo præstare possumus. Cùm enim non possimus præstare ea, quæ supremæ & infinitæ ejus Excellentiæ commensurantur: saltem omni studio & diligentiâ ea præstemus, oportet, quæ ipsi gratissima intelligemus. Inter hæc autem primas ferè obtinet Studium indefessum Divini Honoris ex sincera charitate. Ut enim inter bona humana facilè princeps est Honor, teste S. Thomâ 2. 2. q. 129. a. 1. cùm illi assequendo & conservando homines libenter cætera omnia impendant: ita inter exteriora bona, quæ DEO à creaturis deferri possunt, primarium est Honor & Gloria ipsius.

Porrò duo potissimùm circa Honorem Divinum nobis præstanda sunt; primùm, ut illæsus conservetur; alterum, ut continuò magis magisq; augeatur. Primo intenti sunt, quicunq; pro viribus impedire nituntur; ne quid indignum DEO sentiatur de ipso, dicatur, aut fiat. Sic S. P. N. Ignatius ad impedienda peccata, nunc acri fustuario sese objiciebat, nunc in stagnum frigido tempore se immergebat, nunc ad omnes labores & molestias se offerebat, si vel unius meretriculæ peccata per noctem unam impedire posset. In eodem studio inter cæteras Seraphicas animas eximia fuit B. Catharina Bononiensis, cujus corpus etiamnum incorruptum Bononiæ visitur. Dicere solebat hæc: DEUS scit, qui æstus illos amoris ipsemet in corde meo accendit; me sæpiùs cum lacrymis & suspirijs, & firmâ comparatâq; ad patiendum voluntate, illi supplicâsse, ut mihi hanc faceret gratiam; si per meam ad inferos relegationem & condemnationem, Honori ejus gloriæq; posset aliquid accedere; mihi ipse locum in profundissimo Inferorum recessu præpararet, in quem ego, totius orbis peccatrix maxima & abominabilissima, recludar, & tanquam incus omnium carnificum malleis exposita, tormenta omnia, quæ sunt, fuerunt, & erunt, meo corpore excipiam. Ego ex cordis intimo affectu, & re consultatâ, verbisq; ad trutinam libratis, offero me continuò ad has pœnas subeundas, plus inde capiens voluptatis; quòd inferno exhausto, nullæ ampliùs inde blasphemæ in DEUM voces erumpent; & ex tot animarum redemptione, quæ DEUM æternis laudibus efferent, quàm de mea unius salute. Pennequin in Isagoge p. 1. c. 18.

Inter Studiosos divini honoris, exquisitis modis augendi, jure numeratur Frater quidam, nomine Joannes, officio hortulanus, ex Ordine S. Francisci. Is cùm Salmanticæ in Hispania versaretur, ubi tunc rex Castellæ degebat, ac regiam adiret stirpis petendæ causâ, jussus est aliquando conclave intrare, ubi rex prandebat. Vidit, & accuratè observavit omnes ritus, quibus regi inserviebatur, actus venerationis, musicam & omnem apparatum mensæ regiæ. Domum reversus, statuit eadem obsequia exhibere, quantum imitari posset, Christo. Adit igitur templum, comportat & disponit omnes calices sacros & patenas coram tabernaculo Eucharistico, ex complosis vasis sacris musicam adornat instrumentalem, cui ipse suam adjicit vocalem, frequentatis quàm scitissimè poterat, genuflexionibus veneratur aulicorum more Venerabile, identidem exclamando: *Tuus est, tuus hic honor, quem exhibeo, ô Rex cœli & terræ, qui omni honore dignus es.* Ita diu perrexit, nullâ habitâ adstantium ratione: donec bene fatigatus, lacrymis madente vultu, ac animo incenso, oculis in Venerabile defixis, se humi toto

mi toto ac porrecto corpore prostravit, animi suspirijs debilitatem corporis supplens. *Barry in Anno Sancto.*

Studium Mariani honoris à porcis discere possunt, qui illum vel sacrilegi negant Reginæ cœlorum, vel incurij negligunt. Formellum Romani agri pagus est, qui subulcum aluit unimanum. Is dum gregi invigilat, advertit scrofarum unam quotidie statâ gregem deserere horâ, in vicinum collem contendere, & iterum sub vesperum redire. Miratus, quid rei esset, secutus aliquando est vestigia abeuntis, & per densa vepreta ad locum venit cespite viridi tectum, arboribusq; vacuum, præter unam, quæ in loci medio assurrexerat. Ad hanc vidit scrofam erectam sedentis in morem, os sublime gerere, cœlumq; tueri, pedes item anteriores ita erectos tenere, ut solent, qui Superis preces fundunt. Interea pastor arborem diligentiùs lustrans, Imaginem DEIparæ V. conspicit arbori appensam; & mox, ne porcâ esset irreligiosior, procidens in genua, veneratur Dominam in statua sua. Illa orantem alloquitur, & Vade, inquit, Formellum, pagi incolas in supplicationis ordinem coge, visurus hic grandia, quæ ipsis paro, beneficia. Ut fidem invenias, brachium mancum sinui immerge, & vivâ instructum manu educes. Facta sunt omnia ex ordine: & Diva in templo ibidem sibi structo, prodigiosis gratijs se beneficam præbuit. *Atlas Marianus, ex Joan. Bapt. Alberti lib. 2.* Vade jam non ad formicam tantùm, sed etiam porcam, piger in cultu DEI & Matris ejus: ac recole illud 1. Reg. 2. 30. *Quicunq; honorificaverit me; glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

DOM. X. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Dominio DEI, JESV & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum gaudere duplici Dominio, eoq; perfectissimo & absolutissimo in res omnes creatas; scilicet Dominio *Proprietatis* & *Jurisdictionis.* Illud dicit Jus, seu potestatem in res omnes creatas quoad substantiam earum; & omnes usus possibiles. Quam potestatem non acquisivit aliunde; sed habet eam à se ipso varijs titulis: ut, Titulo Creationis, Conservationis &c. Dominium Jurisdictionis dicit potestatem gubernandi subditos: quam habet DEUS etiam à se ipso, titulo Supremæ suæ Excellentiæ, & quatenus est Author & Regula prima omnis honesti & recti. Utrumq; hoc Dominium tam perfectum, illimitatum & absolutum est in DEO: ut per Antonomasiam mereatur dici *Dominus* & *Solus Dominus.* Unde Prophetæ absolutè dicebant: Hæc dicit Dominus; non

addendo, quis, vel qualis Dominus. Et Heli 1. Reg. 3. *Dominus est: quod bonum est in oculis suis faciat.* O Magne DEUS, in cujus ditione cuncta sunt posita; cujus voluntati nemo potest resistere (Esth. 13.) agnosco & adoro supremum & absolutissimum Dominium tuum. Fac me idoneum servum tibi.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsi quoq; non solùm ut DEO, sed etiam ut Homini perfectissimum competere Dominium tam Jurisdictionis, quàm Proprietatis in res omnes creatas. Si enim puella, quantumvis pauper & ignobilis, assumpta in Sponsam & Conjugem regis, hoc ipso fit Domina regni, & quæ subjiciuntur Regi, subjiciuntur & ipsi; potiori titulo Humanitas Christi à VERBO assumpta in Unionem hypostaticam, & non moralem tantùm, sed physicam unitatem Personæ Divinæ, acquisierit oportet Jus & Dominium universale in res omnes DEO subjectas. Accessit titulus ingentium Meritorum. Unde Christus ipse Matt. 28. dicit: sibi datam esse omnem potestatem in cœlo & in terra: scilicet per positivam ordinationem & Decretum Patris æterni; ut meritò queritur S. Judas in ep. sua Cathol. inventos esse homines, qui Solum Dominatorem & Dominum nostrum JESUM Christum negarent. At ego, coram cœlo & terra, Te meum & omnium Dominum confiteor, Salvator Gloriosissime. Tibi servire, unicus erit honor meus.

3. VEnerare DEIparam V. & considera ipsam, ut supremam & universalem totius mundi Dominam. Obtinuit hanc dignitatem & potestatem tum à Patre æterno, tanquam Filia ex omnibus electa, & super omnes dilecta; tum à Filio; qui dum dignatus est ei subditus esse, Luc. 2. quomodo non simul omnia ei subjecit? Ad plantas igitur Majestatis tuæ procido, ô Magna mundi Domina. Ne despice, quem varijs alijs titulis, & liberâ electione servum habes.

Propositum v. g. *de humillima Subjectione præstanda DEO, JESU & MARIÆ.*

LECTIO PRACTICA.

Qualem DEO debeamus Subjectionem.

SIne multa deliberatione respondet Ratio naturalis: 1, debere esse Voluntariam, Liberam & Spontaneam. Quàmvis enim DEUS non minùs perfectum habeat Dominium & absolutissimam potestatem in creaturas omnes rationales & liberas, quàm in irrationales: vult tamen rationales non eo modo regere, quo jumenta, sed accommodatè ad naturam earum liberam, cui congenita est prærogativa Electionis; quòd scilicet ex rationis directione possint agere electivè eligendo bonum hoc præ illo; quàmvis illud majus, hoc minus videatur: ac insuper positæ in circumstantijs ad aliquid

aliquid agendum requisitis, possint agere, vel non agere, & hoc illove modo agere.

Deinde cùm creaturæ rationales, v. g. homines, cognoscant tùm ex revelatione & institutione Fidei, tum ex naturali mentis acie DEUM, ut liberum ac ultroneum Conditorem, Conservatorem ac Gubernatorem suum, regentem se non solùm per plenitudinem potestatis, sed etiam per plenissimum paternæ benevolentiæ & providentiæ affectum: æquissimum est; ut non tantùm quasi pressi ineluctabili mole juris & Dominij Divini, subjecti sint & subjaceant DEO: sed potiùs ex voluntaria, libera & spontanea resolutione ac electione sua: adeoq; seipsos liberè ac ultroneè subjiciant ipsi. Et hoc est, quod optat DEUS, tanquam sibi magis honorificum; dum & Scripturarum suarum oraculis, & liberalissimæ manûs incessantibus beneficijs invitat allicitq; homines ad serviendum sibi, idq; servitute ingenuâ, tamq; honoratâ; ut longè superet quævis hominum in homines imperia. Ipse enim est, ut scribit S. Ambrosius ep. 87. ad Demetriadem, *cui appropinquare clarescere est, quem timere gaudere est, cui servire regnare est.* Servos DEI spontaneos & fideles vocat S. Gregorius Nazianz. ep. 87. ad Hellenium, *Clarissima sidera, præstantissima Christi membra, immortalis DEI sigilla, & astra carne convestita.* Serm. de Hominis utilitate appellat: *Angelos potiùs quàm homines.*

2. Debemus DEO Domino nostro Subjectionem *Gratuitam*: ut ipsum colamus, eiq; serviamus gratis: non propter lucra & commoda nostra: sed quia id Excellentia supremi dominij, & dignitas ejus, (præter plures alios titulos) requirit. Ipse DEUS frequenter in Sacris Scripturis, dum aliquid præcipit, vel ordinat: non aliam, aut hanc primariam, obediendi causam allegat: *Ego Dominus.* Contentos nos ergo sorte nostrâ esse oportet: & parere DEO in omnibus: quia ipse Dominus, non quia Remunerator est. Hinc S. Prosper exponens illud Psal. 118. *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam,* scitè advertit & ait: *Orat; ut in ipsa voluntate proficiat, & cor non in avaritiam, sed in testimonia DEI habeat inclinatum: quæ testimonia hoc insinuant, hoc docent: ut DEUS gratis colatur. Quia si cor non in avaritiam sit declinatum, DEUM non colimus, nisi propter DEUM; ut DEI cultus ipse sit merces. Nam qui DEUM ideò colit; ut aliquid aliud promereamur, quàm ipsum: non, quem colit, diligit; quia non ipsum, sed alium concupiscit.*

3. Debemus DEO Subjectionem Filialem potiùs, quàm Servilem. Non enim decet: nos ei parere, eumq; colere tantùm formidine pœnæ, sed potiùs amoris impulsu. Tum quia est Dominus Mitissimus, Beneficentissimus, Li-

mus, Liberalissimus, Gratiosissimus &c. Tum quia ita Dominus est, ut simul sit Pater noster: qui titulus plus amoris quàm timoris spirat: & Christianis magis commendatus est, quàm titulus Domini. Docens enim nos modum orandi DEUM Christus; non voluit, ut diceremus: Domine noster, qui es in cœlis: sed *Pater noster.* Unde dum Lactantius libr. 4. Instit. Divin. dicit: *Servire nos ei, ut Domino: & obsequi ut patri, necesse est*; indicat: utrumq; affectum, timoris & amoris, seu unum potiùs *Filialis timoris* nos ipsi debere: ut & offendere timeamus, & parere amemus.

4. Deniq; debemus DEO Domino nostro Subjectionem *Constantem*: ne & nobis insana, nescio cujus, libertatis cupiditate abreptis, exprobret aliquando; ut olim populo Judaico Jerem. 2. *Confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, & dixisti: Non serviam.* Eò nimirum insolentiæ progreditur non rarò humana pravitas: ut DEO, naturali, imò essentiali Domino suo, hinc mitissimâ indole gratiosissimo, inde armato summâ potestate & corpus & animam perdendi æternùm, non solùm negemus servitutem; verùm & vincula tam beneficiorum ejus, quàm votorum nostrorum violenti rumpamus & ipsum jugum legum ejus confringamus. Sed quo demum commodo nostro?

FER. II. post Dom. X. post Pent.

MEDITATIO: *De potestate Jurisdictionis in DEO, JESU & MARIA.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: Dominium, seu Potestatem Jurisdictionis ipsi competere amplissimam & eminentissimam, quo ad omnes ejus actus: qui sunt, Præcipere, Prohibere, Permittere, Punire, Præmiare. Habet enim eam omnem potestatem à se ipso, & independentem ab ullo alio. Deinde extendit se ad omnem naturam rationalem, ad omnes reges & monarchas, ad omnes Angelicas potestates, cœlestes & infernales: ut meritò dicatur 1. Tim. 6 *Rex regum & dominus dominantium*, meritò ante thronum ejus viginti quatuor Seniores deponant coronas suas Apoc. 4. Ipsius ministri sunt etiam Supremi Cherubinorum & Seraphionorum, ipsius plebecula sunt omnes reges terræ, ipsius Justitiæ ministri sunt omnes principes tenebrarum. Imò ad irrationales etiam & insensibiles creaturas porrigitur potestas ejus præceptiva & prohibitiva. Percipiunt enim quodam modo imperia ejus & prompte obediunt, mare, venti, & omnia elementa. Proh nefas! Solus homo non rarò obfirmat cervicem, & dicere præsumit: *Non serviam*, Jerem. 2. *Quis est dominus, ut audiam vocem ejus? Nescio dominum.* Exod. 5.

2. Adora

2. ADora D. JESUM, & considera: etiam illi perfectissimè & summo jure competere prædictam potestatem & omnes actus ejus. De ipso dicitur Isa. 33. *Dominus legifer noster, dominus judex noster, dominus rex noster: ipse salvabit nos.* Ipse silentium indicebat dæmonijs, & obmutescebant; ipse præcipiebat morbis, & fugiebant; ipse imperabat ventis, & sine mora fiebat tranquillitas magna; ipse ab inferis revocabat mortuos, & resurgebant vivi; in ipsius manu sunt claves tam regni cœlorum, Matt. 16. quàm mortis & inferni Apoc. 1. Unde Apoc. 5. audita est Omnis creatura, quæ in cœlo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, dicere: *Sedenti in throno, & Agno, benedictio & honor, & gloria, & Potestas in secula seculorum.* Adoro amplissimam & supremam Jurisdictionem tuam, Gloriosissime JESU. O Domine, quia ego servus tuus: ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsi valde eminentem competere potestatem gubernativam. Cùm enim sit Mundi Domina, & cœlorum terrarumque Regina: non potest intelligi negatum illi esse Jus imperandi, & fideles sedulosq; servos suos regendi atq; præmiandi. *A Dominatione vel potentia Filij Mater non potuit esse sejuncta*: inquit Arnoldus Carnot: O quàm sublime, quàm suave est regimen tuum, ô Augustissima. Protege, rege & guberna servulum tuum.

Proposit. v. gr. *de libenter acceptanda omni circa nos dispositione divina.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm Universalis debeat esse Subjectio nostra erga DEUM, JESUM & MARIAM.

VIget in orbe politiore, utinam tam sincera, quàm frequens, ceremonia: ut, dum alter alterum, quantumvis inferiorem, familiariter convenit, aut ab eo discedit; in servos, seu Servitores, eosq; humillimos perpetuosq;, se sibi mutuò prolixè addicant. Lusus est plerumque in verbis pariter ac affectibus. Nam dum se se dat occasio, ut Voluntarius ille servus aut servitor aliquid præstet officij, nedum obsequij: sine multa deliberatione allegat præsentem infelicitatem suam; quòd in hac occasione servire non possit; in alijs omnibus promptissimum se futurum. In altera, tertia, & ulterioribus occasionibus eadem passim adhibetur respondendi formula; patetq;: quàm restricta innumeris exceptionibus sit politica hæc serviendi ratio: siquidem communissimè in liberalibus hujusmodi promissis & subjectionibus tacita hæc includitur conditio; *Si, & ubi visum fuerit*, serviam.

Non probant DEUS Diviq; conditionatos hujusmodi restrictosq; Servitores; sed universalem volunt subjectionem, promptumq; ac sine exceptio-

ne, in omni occasione obsequium, etiam cum incommodo non levi; ubi illud requisierint. Si Titum cap. 2, 9. monet Apostolus; ut doceat *Servos domi-nis suis subditos esse, in omnibus placentes, non contradicentes; non fraudantes, sed in omnibus fidem bonam ostendentes:* quantò magis id præstandum ijs, qui se DEI, JESU & MARIÆ profitentur servos. Parendum promptè fortiterq;, in omnibus universaliter & sine exceptione: ubicunq;, quandocunq;, & qualecunq; obsequium nostrum & operam desiderârint, aut certè Patientiam.

Egregium hujus rei documentum habemus in Leone Henricio, juvene Lusitano, nobili ac perdocto, sed à statu religioso penitus averso. Huic, dum in Solemnitate SS. Corporis Christi Conimbricæ processioni publicæ assistit, incidit cœlitùs immissa cogitatio: quòd solus ipse, in tanto fidelium plausu, & DEI Eucharistici cultu, nihil deferret honoris Domino suo. Inseditq; hic stimulus menti tam pertinaciter; ut anno toto identidem fodicaret juvenem, solicitè meditantem: quem tandem cultum à se vellet DEUS? Nec quievit, antequam se totum DEO permitteret. Ergo sanctâ insequentis anni hebdomadâ, dum solus præcipuâ pietate sacras circumit ædes; in quadam flexis ante SS. Christi Corpus genibus, uberes inter lacrymas se se offert DEO, paratum ad omnia, etiam ad religiosum quemvis ordinem, exceptâ solâ Societate J. ingrediendum, si vocari se intelligeret. Ita precatus, ut primùm levare parabat genua, videbatur semper obsistere DEUS, atq; ob exceptionem adjectam, totam respuere oblationem: donec luctando & reluctando fessus, tandem se totum, absque omni exceptione committeret Voluntati Divinæ. Contigit paulò pòst, ut templum Societatis ingressus, tam acri interiore voce percelleretur: acsi expressè inclamantem audiret DEUM: *Da te Societati.* Non potuit ampliùs contra stimulum calcitrare. Dedit se; atq; ita vixit: ut Sancti nomen & famam obtinuerit. *Hist. Soc. par. 5, lib. 9.*

Simile contigit celebri, etiam apud Carolum V. Imp. Doctori Martino Olavio: qui cùm è turbido mundi ad tranquilliora & securiora Religiosi alicujus Ordinis se recipere cogitaret: à Societate nostra animo toto abhorrebat. Operanti ad aram ipso triumphali resurgentis Christi die, atq; ab eodem, quem manibus gestabat, consilium & opem petenti, diserta allapsa vox est: *Hic ego te esse volo. In hac tibi Societate & vivendum & moriendum est. Durum est tibi contra stimulum calcitrare,* Tum ille: *O Domine, servus tuus sum ego, & filius Ancillæ tuæ Societatis Jesu!* Et mox eam resolutionem voto firmavit, ac sine mora executus est. *Nadasi in Anno Dier. Mem. 17 Aug.*

Altera

Alteri ex eadem Societate, Concionatori in Hispania opere & verbo potenti, incidit quâdam die cogitatio: Quidnam occurrere posset adversi, quod non libenter ferret amore DEI? Recensitis crucibus varijs, conclusit cum Apostolo: Nec fames, nec nuditas, nec persecutio, nec gladius &c. &c. nos separabit à Charitate Christi. Feram singula & omnia non solùm patienter, sed libenter. Sic triumphanti de adversis omnibus, occurrit deniq; importuna cogitatio: Quid? si ad tribunal S. Inquisitionis rapereris, tanquam suspectus in fide? Hæsit hìc, atque exhorruit: & conversus ad DEUM; Unum hoc averte, Domine: cætera immittas, ut placet. Inter hæc pulsantur cubiculi fores: jussus ingredi, apparet ministerialis S. Inquisitionis, jubetq; ad tribunal illud sequi. Non potuit acrius telum in viscera hominis adigi. Collecto tamen in DEUM animo, eiq; se totum sine exceptione tradens, secutus est promptè; & paulò pòst cum honore dimissus. Ita DEUS contentus non est subjectione nostrâ, nisi sit plena, & universalis sine Exceptione.

FERIA III. post Dom. X. post Pentec.

MEDITATIO: *De Dominatu DEI, JESU & MARIÆ in cœlis.*

1. ADora DEUM O. M. & considera eum dominantem gloriosissimè in cœlis. In Cœlo Empyreo posuit sedem gloriæ suæ, explicuit divitias suas, & perpetuum festum agit cum Optimatibus suis & innumerabili populo Sanctorum. Inde mittit Angelos suos, interpretes & executores voluntatis suæ: illuc recipit servos suos fideles, & præmijs se dignis remuneratur. In Firmamento quæ ab initio, miro ordine & splendore fixit astra, imperturbata conservat, perenni lumine fovet, irrequieto motu circumagit. In cœlo planetico errantium siderum cursum ita moderatur: ut & à vijs suis exerrent nunquam, & varia tam secum, quàm cum fixis stellis conjunctione benigniùs foveant terram, anni tempestates distinguant, & alternantibus dierum noctiumq; spatijs, labori quietiq; tempora definiant. In aëre constanti vicissitudine nunc nubila, nunc serenum dispensat; nunc emittit, nunc coërcet imbres, grandinem, fulgura, fulmina & spiritus procellarum. Magnus in altis Dominus, & admirabilis dominatus ejus in cœlestibus! Quis non serviat tanto?

2. ADora D. JESUM & considera; quantâ potestate & majestate dominetur & ipse in cœlis, post graves ærumnas toleratas in terris. Ibi universæ cœlestium Spirituum legiones throno ipsius circumfunduntur, & nutum Regis sui expectant: Ibi fidelibus suis congruas parat & assignat mansiones:

siones: ibi gloriâ & honore coronat milites suos revertentes è prælio: ibi cum amicis suis epulatur indefectibili convivio: ibi JESUS est omnia in omnibus. Inde expedit pro confligantibus servis suis auxiliares Angelorum copias: inde mittit in terras decreta gratiæ & justitiæ, mortis & vitæ: inde spargit cœlestia lumina, fundit rorem divinarum consolationum, induit electos suos virtute ex alto, & ipsum largitur Spiritum divinum in Paracletum & Doctorem. Gaudeo tantâ auctoritate & potestate tuâ in cœlis, Salvator Gloriosissime. Utere, obsecro, illâ gratiosè in bonum servorum tuorum adhuc conflictantium in terris.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; amplissimum exercere dominatum in cœlis. Ibi enim dominium pluribus communicatum non parit confusionem, sed auget gloriam & majestatem. Dominatur ergo MARIA, ut vera cœlorum Regina, in omnes Angelicos exercitus, in totam Beatorum rempublicam, in omnes quoq; aëreas potestates. Sidera calcat dominatrice plantâ, tempestates componit imperiosâ manu, &, quidquid in altis nutum observat Filij, ad arbitrium etiam componitur Matris. Vive, regna, impera in Summis, ô Reginarum potentissima, sole amicta, stellis coronata: & mentes nostras erige ad superna.
Propositum, v. g. *sæpiùs per diem in venerationem Dei, Jesu & Mariæ, flectendi genua, & eorum majestatem adorandi.*

LECTIO PRACTICA.

Ad arctam cum cœli Domino conjunctionem plurimum conducit profundissima Subjectio, & sui abjectio.

NIhil in hac vita mortali habere possumus, aut optare, majus vel melius; quàm perfectam (qualem scilicet hic status patitur) cum DEO Domino nostro Unionem: ut scilicet idem sapiamus, idem velimus, quod DEUS; ipsi in omnibus acquiescamus, & in ipso securi quiescamus; deniq; Unus quodammodo Spiritus efficiamur cum DEO. Quod quàmvis proximè & formaliter fit per Charitatem: Dispositivè tamen, idq; valde compendiosè, obtinetur per Humilitatem, seu profundissimam nostri Subjectionem & abjectionem. Habet enim Humilitas specialem quandam vim attractivam respectu DEI: ut notavit S. Augustinus Serm. 2. de Ascens. *Altus,* inquit, *est Deus. Humilias te, & descendit ad te. Erigis te? & fugit à te. Quare? quoniam excelsus est, & humilia de proximo respicit, ut attollat & bonis repleat; alta, id est, superba, de longè cognoscit, ut deprimat.*

Experta est, & indicavit hanc Altissimi propensionem ad specialem cum humilibus conjunctionem DEIpara Virgo: quando in Cantico suo non aliam pro-

am protulit causam supervenientis in se Spiritûs Sancti, obumbrantis Altissimi, & incorporati VERBI, quàm *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ.* Unde Guerricus Abbas Serm. 3. de Assumpt. illud Sapientiæ increatæ, In omnibus requiem quæsivi &c. applicans DEIparæ V. ait: *In omnibus requiem quæsivi, sed apud humilem ancillam inveni. Non est inventa similis illi in gratia humilitatis: ideo in plenitudine humilitatis requievit etiam corporaliter omnis plenitudo Divinitatis.*

Eandem Humilitatis vim dispositivam ad unionem arctissimam cum DEO sonantibus verbis indicavit Spiritus Sanctus per Moysen Deuter. 10. *En Domini DEI tui cœlum est, & cœlum cœli, terra & omnia, quæ in ea sunt: & tamen patribus tuis conglutinatus est dominus, & amavit eos.* Quasi diceret: Vide, Israël, & admirare dignationem Domini DEI tui. Dominus universorum ipse est, dominio gaudet supremo in cœlo & in terra; Sufficientissimus ipse sibi, hominum & bonorum humanorum non eget: *Et tamen* (nota energiam) Patres tuos Abrahamum, Isaac, Jacob, &c. *amavit:* nec qualitercunq; amavit; sed liquefactivâ quâdam vi amoris *conglutinatus est eis:* ut avelli non potuerit, & unum quid cum ipsis fuerit. Recole, quàm arcta fuerit conjunctio inter DEUM, & sanctos illos Patriarchas: quomodo non tam ut Dominus, quàm ut intimus amicus, ut alter ego, cum ipsis egerit; nec minùs amanter & confidenter, quàm Jonathas cum Davide, de quibus dicitur 1. Reg. 18. *Anima Jonathæ conglutinata est animæ David: & dilexit eum, quasi animam suam.*

Quod verò fuit glutinum, quo DEUS, Spiritus purissimus & sublimissimus, *conglutinatus est* Patribus illis? Non aliud certè, quàm Charitas eximia in profundissima Humilitate fundata. Ex hac enim tanquam ex radice trahit ardens Charitas humorem quendam viscosum, quo & alatur, & indissolubiliter conglutinet amantes. Sine glutine humilitatis non diu perseverat nexus charitatis. *Si amittitur humilitas: virtutum aggregatio non nisi ruina est*; ait S. Bernard. ep. 41. Quàm verò non solùm charitate ardentes, sed etiam humilitate profundi & solidi fuerint SS. illi Patriarchæ: notum est ex Scripturis Divinis. Proinde & nobis hoc *glutino bonum est*: ut monet Isaias c. 41. imò necessarium omninò est, si DEO Domino nostro intimè & indissolubiliter conjungi volumus. *Humilitas est omnis nostræ virtutis, & operationis fortificativa, & omnis spiritualis roboris augmentativa*; ait S. Bonaventura Orat. 2. de Confess.

S. Gertrudis aliquando memoriâ beneficiorum à DEO acceptorum, & conscientiâ ingratitudinis suæ, ita pudore suffusa est: ut sibi exosa, con-

vino indigniſſimam ſe judicaret, optaretq; aliquod nanciſci latibulum, quo turpitudinem ſuam abſconderet; &, quod divinis non poterat, humanis ſaltem oculis & naribus tantum fœtorem ſubduceret. Quid ageret hic Chriſtus? Continuò tantâ benevolentiâ ſe ad eam dimiſit è throno gloriæ ſuæ: ut præ admiratione tota cœleſtis curia à tanta demiſſione illum dehortari velle videretur. Quibus Chriſtus dixit: *Sinite: continere enim me non poſſum, quin me totum ei impertiar, quæ tantâ ſui dejectione cor meum ad ſe pellexit.* Pennequin p. 2. Iſagog. c. 18. n. 2. Videtur vera profundaq; Humilitas moliri ſeprationem Hominis à DEO, & DEI ab Homine, juxta illud S. Petri: *Exi à me, Domine, quia homo peccator ſum*: at re verâ DEUM magis attrahit, hominiq; intimè conjungit: ut patet etiam in ipſo eodem Apoſtolo à Chriſto in Vicarium aſſumpto. Recipiamus ergo nos in abyſſum nihili noſtri, & peccatorum noſtrorum: ut dignetur in amplexus noſtros deſcenre dominans in cœlis Dominus.

FER. IV. poſt Dom X. poſt Pent.

MEDITATIO: *De Dominatu DEI, JESV & MARIÆ in terris.*

1. ADora DEUM O. M. & conſidera plenâ ſummâq; poteſtate dominantem in terris. *Meus eſt*, inquit Pſal. 49. *orbis terræ, & plenitudo ejus.* Dominatur in eo, omnia arbitrio ſuo ubiq; diſpenſando, nunc fertiles nunc ſteriles annos inducendo; terram nunc mirâ varietate veſtiendo, nunc omni decore ſpoliando; maria nunc ad ſidera attollendo, nunc ad inferos deprimendo. Omnia, quæ in mari natant, in montibus ſaliunt, in antris repunt, in campis & ſylvis paſcuntur, audiunt vocem Domini, & ad nutum obediunt, etiam contra naturam ſuam. Dominatur in homines, vivificando & mortificando; deponendo potentes de ſede & exaltando humiles; exercendo bonos per malos, & malos ſervando in diem malum. Reges & principes regit in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringit: regna & imperia ad placitum fundat, transfert, evertit; nec eſt, qui ejus reſiſtat voluntati; aut dicat: quare ſic feciſti? Dominus eſt: nos autem populus ejus, & oves paſcuæ ejus.

2. ADora D. JESUM & conſidera ipſius quoq; ſupremum dominatum in terris. Ipſi, etiam ut homini, convenit illud Pſal. 23. *Domini eſt terra & plenitudo ejus: orbis terrarum, & univerſi, qui habitant in eo.* Abſq; ipſius nutu nemo vel digitum attollit: *Sine me nihil poteſtis facere.* Joan. 15. Exercet autem poteſtatem ſuam magis ſecundùm clementiæ, quàm juſtitiæ canones. *Filius hominis non venit animas perdere, sed ſalvare.* Luc. 9.

Vocat o-

Vocat omnes non tam ad laboriosa obsequia, quàm ad refectionem: Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis; & ego reficiam vos. Si aliquod impono onus, seu jugum legum: suave est & leve, non deprimens, sed erigens portantem. Non sua tantùm omnia, sed se totum dat omnibus accipere volentibus; & beneficijs, non flagris provocat ad serviendum sibi. Talis est Dominatus Suavissimi D. JESU super terram. Quis non amet? quis offendere præsumat?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam ut in cœlo, ita in terris communes cum Filio habere dominationis terminos; atq; ad eandem dominandi formam componere dominatum suum. Imò Matrem potiùs agit, quàm Dominam, pronior ad propinanda ubera, quàm infligenda verbera. Servulos filiorum loco habet, fovet & regno parat, unum præ omnibus ab eis requirens: Ne scilicet serviant mundo & carni. Non serviam, ô Domina. Tibi iterum iterumq́; me devoveo totum.

Propositum, v. gr. *singulis diebus, aut aliquoties in diem renovandi formulam aliquam, se mancipandi DEO, JESV & MARIÆ.*

LECTIO PRACTICA.

Ut in nobis pacificè dominentur DEVS, JESVS & MARIA non permittendum dominium passionibus nostris.

ITa quidem ab initio constituit Conditor hominis DEUS: ut penes ipsummet hominem esset imperium in rebelles passiones & seditiosos affectus suos: *Sub te erit appetitus ejus* (peccati seu actionis illicitæ) *& tu dominaberis illius*, Gen. 4. at contra plerumq; evenit; ut homini dominentur pravi affectus ipsius; adeoq́; non tam id agat, quod ratio suadet, sed quod jubent illi. Unde S. Gregorius Nyssenus in illud, *Beati, qui lugent*; inquit: *Quivis eorum, qui in nobis sunt, affectus, cùm prævaluerit, dominus subacti, & in servitutem redacti, existit: ac veluti tyrannus quispiam arce animi occupatâ, vexat ac affligit obedientes, ministris ad id, quod ei placitum fuerit, nostris cogitationibus abutens.* Sic ira, sic metus, sic timiditas, sic audacia, ægritudinis pariter & voluptatis affectus &c. tyrannorum quorundam instar imperium exercent in animam durissimum, tamq́; diuturnum: ut totius vulgi, imò & quorundam in Schola Virtutis minùs eruditorum, sit sententia: Non posse hominem in hac vita acquirere dominium passionum suarum perfectum.

Verùm hi metiuntur alios pede suo, & sunt ex eorum numero, *qui*, ut scripsit Seneca ep. 72. *non putantes fieri, quæ facere non possunt, ex infirmitate sua de virtute ferunt sententiam*: & ut ait S. Gregorius Papa lib. 2. Mor. c. 15.

renuunt

renuunt bona credere, quæ nesciunt operari: deniq; magis perspecta est illis infirmitas propria, quàm Virtus Divinæ gratiæ. Contra hos ex communi Theologorum & Ascetarum sententia latè ac eruditè agit P. Nicolaus Lancicius in Opusc. Speciali de Humanarum passionum Dominio. cap. 12. toto. Probat communem sententiam multâ & gravissimâ authoritate SS. Patrum: quorum doctrina fundatur in citato textu Gen. 4. & confirmatur authoritate Christi D. qui inter Regulas 20 traditas S. Mariæ Magd. de Pazzis, Regulâ undecimâ sic loquitur: *Sis dominatrix tuarum passionum, petendo talem gratiam à me, qui sum dominator omnium creaturarum.* Ratio à priori est: quòd immediata causa & radix rebellionis passionum sit *Fomes peccati*; seu, ut appellatur à S. Paulo & Concilio Trid. *Lex membrorum*, & *Concupiscentia*; id est, vehemens inclinatio ad actus contrarios rectæ rationi, ex objectis sensibilibus eorum excitatos, & rationem prævenientes. Atqui per virtutum, præsertim heroïcarum, frequens exercitium & incrementum; & per Sacramentum Ven. Eucharistiæ minuitur ac decrescit concupiscentia, seu fomes peccati; ut expressè & passim cum S. August. & Thom. docent Theologi. Ergo per serium & diuturnum talium virtutum & Sacramenti usum subigi tandem plenè poterunt, & dominio nostro subjici: imò à multis Sanctorum & Sanctarum hujusmodi dominium fuisse re verâ obtentum, patet ex Vitis eorum.

Porrò dum possibilitas Dominij in passiones asseritur homini: non id agitur; ut tribuatur homini in hac vita, absq; speciali privilegio divino, immunitas ab omni absolutè motu appetitûs rationem præveniente, quam veteres *Apathiam* dixerunt; id est, Impassibilitatem, seu Imperturbationem omnimodam, qualem asseruit Evagrius quidam Ponticus: sed ad prædictum dominium sufficit & requiritur juxta memoratum P. Lancicium 1. Ne unquam ulli inordinato motui passionis, ad aliquod peccatum inclinantis, liber præbeatur assensus. 2. Ne unquam ullo voluntariè acceptato motu passionis, inducamur ad actum etiam semideliberatè illicitum. 3. Ne unquam aliqua voluntaria committatur negligentia in reprimendis passionibus, postquam notatæ sunt consurrexisse. 4. Ne in nobis ordinariè, vel frequenter, etiam involuntarij consurgant passionum motus, vehementer mentem perturbantes, aut corpus; prout in malè passionatis contingere solet, etiam cum detrimento sanitatis. 5. Ne passionibus etiam non vehementibus, nec inquietantibus, sæpe & diu infestemur. 6. Ut à passionibus, quibus antea valde & sæpe infestabamur, simus omnino liberi. V. g. Si quis antea solitus fuit pati graviores carnis concupiscentias, aspiciendo personas formosas:

postea in hujusmodi aspectu & conversatione nullum prorsus sentiat inordinati amoris motum. 7. Ut repræsentato objecto, circa quod solemus passione moveri, non tantùm non moveamur tali passione, v. g. amore; sed contrariam potiùs experiamur, v. gr. odium. 8. Ut motus ultrò, ex rationis imperio aliquando concitati, statim ac ampliùs necessarius non fuerit, conquiescat, & homini pristinam tranquillitatem relinquat. 9. Ut semper simus in eodem tranquillo animi statu, & æquè in varijs circumstantijs dispositi ad omnia. 10. Ut non tantùm non sentiamus motus ad illicita; sed positivam inclinationem ad virtutum exercitia, & studium sincerè DEO placendi experiamur. Huc qui ductu & auxilio divinæ gratiæ pervenit, plenum passionum suarum dominium obtinuisse, censendus est. De hoc quàm maximè dici potest: *Regnum DEI intra vos est:* in quo habitent, & gloriosi dominentur DEUS, JESUS & MARIA.

FER. V. post Dom. X. post Pent.

MEDITATIO: *De dominatu DEI, JESU & MARIÆ apud inferos.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quantâ potestate dominetur apud inferos, in purgatorio, in limbo puerorum, cum originali peccato defunctorum, & in ipso inferno. In limbo lenitate temperatam exercet justitiam, animas ibi detentas privans æternùm beatâ sui visione, sed pœnâ sensûs non affligens. In purgatorio & beatum sui conspectum ad tempus negat, & acerrimâ pœnâ sensus cruciat, misericordiæ tamen non immemor; dum admissis piorum viventium suffragijs, pœnam vel remittit, vel tollit penitus, quantumvis justitiæ nondum sit satisfactum. In inferno totum exerit Justitiæ rigorem in spiritus rebelles, & impias reproborum animas, quas unà cum illis, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit; ut nec effugere liceat, nec in aliqua luce divinarum miserationum respirare. Magnus Dominus & formidabilis nimis: cui tanta in Superos inferosq; potestas! Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Non fugiam: sed Domino universorum adhærebo constantiùs, serviam fideliùs in Spiritu timoris & amoris.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsius etiam dominium & imperium se extendere à Superis ad inferos omnes: nec esse, qui se abscondat à calore ejus, sive amore ardentis, sive justitiâ zelantis. Ipse est Fortior ille Luc. 11. qui fortem armatum debellavit, vectes atrij ejus confregit, universa arma abstulit, & spolia distribuit, captivam ducens captivitatem Patrum è limbo. Ipse deducit ad inferos & reducit: ad vocem tu-

bæ ejus terra & mare reddent mortuos suos. Ipse vivifico sanguinis sui rore refrigerat animas in flammis lustralibus æstuantes, &, prout libet, donat æternâ felicitate etiam ante solutum novissimum quadrantem. Ipse Tartareos spiritus torsit, & torquet in energumenis, cruciat æternis supplicijs in inferno, & cœli principatu dejectos, satellites habet vindicis justitiæ suæ. Magnus Dominus D. JESUS! Quis est hic, cui tam mali, quàm boni Angeli obediunt? Nonne ipsi subjecta eris anima mea?

3. VEnerare DEIparam V. & considera ipsam quoq; dominantem à summis cœlorum ad infima terrarum. Quàm pia, quàm dulcis, quàm amabilis est Domina detentis in ergastulo expiatorio? Quàm terribilis spiritibus malignis luentibus in inferno, aut oberrantibus in terra? Urit ipsos in obsessis, eludit eorum astus & vires in tentatis: eripit, quas jam devoraverant animas, & chirographa sacrilega extorquet ex unguibus. O Domina, quàm magna est potestas tua, & ingens amplitudo dominationis tuæ! Contere vires hostium meorum; & vindica servulum tuum de manibus eorum.

Propositum, v. gr. *non cedendi Satanæ: sed in tentatione ardenter implorandi opem DEI, JESV & MARIÆ.*

LECTIO PRACTICA.

Quanta sit potestas DEIparæ Virginis in spiritus malignos.

QUàm callidi & potentes genus nostrum irrequieto studio infestent hostes infernales, non solùm Divinæ Literæ; verùm & quotidiana experientia, & continuæ animarum ruinæ atq; interitus docent. Hinc & serpens antiquus, & draco magnus, & latro ab initio, & princeps hujus mundi vocatur diabolus in S. Scripturis: atq; ipsius DEI testimonio, Job. 41. *Non est super terram potestas, quæ comparetur ei; qui factus est, ut nullum timeret.* Providè tamen consuluit Divina Bonitas infirmitati nostræ, & periculo: quando è fragili sexu tenerrimam elegit puellam, quæ contereret caput ipsius superbissimum.

Quanta sit hujus Virginis in Stygios hostes nostros potestas, innumeri docent libri, & quotidiana exempla. Pulchrè applicatur ipsi illud Numer. 24. *Consurget Virga de Israël: & percutiet duces Moab.* Illa nimirùm Virga, de qua vaticinatus est Isaias cap. 11. *Egredietur Virga de radice Jesse:* cujus flos & fructus est gloriosissimus inferni domitor JESUS. Hæc Virga percutit & profligat Duces Moab, id est, tenebrarum principes continuò nobiscum concertantes (Moab enim significat *Litem*, Moabitæ *Litigantes*) & litem gravissimam potissimùm in extremo agone nobis moventes. Unde S. Bona-

ventura in Spec. c. 3. alludens ad illud Psal. 109. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion; dicit: *Est virga virtutis MARIA contra inimicos infernales, quibus magnâ virtute dominatur.*

Quod Job 24 dicitur: Manè primo consurgit homicida, interficit egenum & pauperem: per noctem erit quasi fur: Oculus adulteri observat caliginem, dicens: non me videbit oculus, & operit vultum suum, perfodit in tenebris domos, sicut in die condixerant sibi, & ignoraverunt lucem: Si subitò apparuerit Aurora, arbitrantur umbram mortis: intelligenda à potiori sunt de malignis spiritibus, continuò intentis in deprædationem, adulteria (quibus data DEO tanquam à Sponsis fides violatur) & interitum animarum nostrarum; in quem finem utuntur tenebris, quas mentibus nostris concupiscentiæ nostræ, inflammatæ à gehenna, inducunt. At quàm primùm consurgit Aurora Solis Justitiæ, MARIA, confidenter & humiliter invocata; tanquam fulmine icti disperguntur Orei tenebriones. Unde S. Bonavent. in Spec. c. 11. Attendite Charissimi: quòd Aurora nostra MARIA nobis est contra dæmones defensatrix, sicut signatum est in Job, ubi de homicida, fure & adultero dicitur: *perfodiunt in tenebris domos* &c. Si enim subitò apparuerit hæc Aurora; arbitrantur umbram mortis: id est, sic timent dæmones, sic trepidant; sicut homines timent ac fugiunt umbram mortis.

Patet id in B. Ægidio Pœnitente Ord. Præd. de quo sup. fer. 4. post Dom. 3. à Pentec. Is ad veram rigidamq; pœnitentiam sincerè conversus, quàmvis de Domino sentiret in bonitate, nec ullatenus de ejus clementia desperaret: semper tamen eum solicitum tenuit chirographum illud, quo se dæmoni olim devoverat; præsertim cùm per continuos 7 annos à dæmonibus tam horrendâ specie infestaretur; ut diceret: se millies malle, caput sibi amputari, quàm horribilia illa monstra videre. Ergo sub potentissimum DEIparæ V. præsidium confugiens, perdius & pernox, in ejus Sacello humillimis precibus, & uberrimis lacrymis Dominam solicitabat; ut sibi adesset Patrona, & hostibus suis datum extorqueret chirographum. Quadam nocte in ejusdem sacello tam infesti irruerunt in hominem dæmones: ut præ horrore & angustijs fere exanimis conciderit: Desiste, desiste, vociferabantur, ab importuna invocatione: aliàs te in frusta discerpemus. At Ægidius tantò ardentiùs clamabat: O MARIA, adesto misero: & eripe me è faucibus hostium meorum. Et ecce videt, per foramen fornicis decidere chirographum: dæmones verò audit horrendo ululatu clamantes: *O maledicte monache, tua fiducia in hostem nostram vicit nos Hæc nobis maledictum chirographum tuum extorsit. Ulciscemur tamen.* Inter has voces sub specie tæterrimorum dra-

rum draconum diffugerunt, eâ rabie in se ipsos desævientes, acsi se discerpturi essent. *Cochem histor. parte 3.*

Nimirum, ut in Sermone Angelico, Revel. S. Brigittæ c. 20. dicitur: Matrem suam DEUS sic potentem effecit: ut, quotiescunq; dæmones aliquem hominem MARIÆ auxilium implorantem impugnaverint, ad ipsius Virginis nutum illicò pavidi procul aufugiant, volentes potiùs pœnas suas & miserias multiplicari, quàm MARIÆ potentiam super se totaliter dominari. Rectè Richardus lib. 4. de Laud. Virg. *Ita terribilis*, inquit, *est dæmonibus, sicut collectio Sanctorum universa.* Quid ergo trepidemus hâc Patronâ? Curandum autem, ne officio clientum desimus.

FER. VI. post Dom. X. post Pent.

MEDITATIO: *De communicata hominibus potestate à DEO, JESU & MARIA.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum, ut aliarum perfectionum suarum, ita Dominij esse liberalissimè communicativum. Inprimis Christo ut homini amplissimè communicavit omnem suam in universum mundum Jurisdictionem seu potestatem gubernativam, constituendo eum *Caput omnis principatûs & potestatis.* Coloss. 2. ita; ut ab ipso & per ipsum descendat omnis, quæ est in cœlo & in terra, sive Ecclesiastica, sive Sæcularis potestas. *Non est enim potestas nisi à DEO: quæ autem sunt, à DEO ordinatæ sunt.* Rom. 13. Unde infert ibidem Apostolus: *Itaq; qui resistit potestati, DEI ordinationi resistit. Qui autem resistunt: ipsi sibi damnationem acquirunt.* Proinde *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Veneror igitur reverentissimè, & venerabor, ô Magne DEUS, Potestatem tuam supremam in omnibus Præpositis & Superioribus meis, constitutis à te in directionem & protectionem bonorum, in vindictam autem malorum. Ipsis me propter Te submitto totum. Gaudebo bonis, tolerabo malos: utrosq; debito colam honore.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm varia, & sapientissimè ordinata ab ipso descenderit potestas. Quàm admirabilem constituit in Ecclesia sua Hierarchiam! Universæ præfecit unum Vicarium suum, apud quem summa sit potestas, cui pareant humiliter etiam maximi principes, reges, & potentissimi Imperatores cum omni fidelium natione. Per hunc derivatur omnis jurisdictio gubernativa in varios Prælatos, aliosq; Ecclesiæ Ministros, eâ officiorum varietate, splendore & sanctitate: ut meritò ab ipso Christo Ecclesia non rarò appellata sit Regnum cœlorum. Reliquit in hac imperium in elementa, morbos, mortem, & in ipsos dæmones exor-

nes ex obsessorum corporibus ejiciendos. At maximè stupenda potestas remittendi peccata, & homines reconciliandi DEO, aliaq; Sacramenta, gratiæ supernaturalis operativa, conficiendi. Quin ergo cum pia illa turba Matt. 9. glorificamus Dominum, qui dedit potestatem talem hominibus?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ab ipsa multam potestatem communicari tum Imaginibus suis, quas innumeris locis per orbem universum facit miraculis stupendis illustres: tum sinceriùs sibi addictis clientibus, quos induit virtute, ut mores suos probè componant, affectus exorbitantes doment, & non regnet peccatum in mortali eorum corpore; sed potiùs exhibeant corpora sua hostiam viventem, sanctam, DEO placentem. Et me, obsecro, ô Domina, infirmissimum servorum tuorum instrue hâc virtute, quæ mihi æstimabilior erit virtute multâ signa patrandi.

Proposit. v. gr. *de observanda & veneranda in Superioribus potestate divina.*

LECTIO PRACTICA.

De Potestate varia communicata Sacerdotibus, & Veneratione ipsis debita.

I. COmmunicata est à Christo & tota SS Trinitate Sacerdotibus in Lege Gratiæ admiranda potestas in Elementa, Corpora mixta, & Actiones varias humanas: quòd hujusmodi res naturales elevare possint ad ordinem quendam supernaturalem, & tribuere ipsis virtutem producendi Gratiam supernaturalem; dum ex ipsis & verbis suis varia conficiunt Sacramenta: juxta illud S. Augustini tract. 80 in Joan: *Accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum.* Potestate igitur ab initio mundi, usq; Christi Ecclesiam inauditâ, conficiunt mysteria Sacramentorum: *per quæ*, ut loquitur Concilium Trid. Sess. 7. *omnis vera justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa reparatur.* Meritò Acta Eccl. Mediol. p. 12. Conc. 11. *O magna & inclyta DEI instrumenta Sacerdotes: à quibus omnium populorum pendet beatitudo!* Quorum quivis Thaumaturgus est major, quàm si aquam mutaret in vinum, aut montes transferret, totamq; rerum naturam arbitrio suo subjectam haberet.

II. Communicata est Sacerdotibus potestas spiritualis in mysticum Corpus Christi: id est, in Christi fideles, etiam principes maximos, reges & Imperatores: ut eos regant, instruant, pascant, judicent, ligent, solvantq; cœlum ipsis aperiant, claudantq;. *Quantò anima corpore præstantior est, tantò est Sacerdotium regno excellentius. Solvit enim aut ligat supplicio vel remissione dignos:* inquit S. Clemens lib. 2. Constit. Apost. c. 34. Miratur eam excellentiam S. Chrysostomus lib. de Sacerdot. c. 3. *Qui in terris versantur, his*

 commissum

commissum est; ut ea, quæ in cœlis sunt, dispensent: ijs datum est, ut potestatem habeant, quam DEVS O. M. neq; Angelis, neq; Archangelis datam esse voluit. Habent quidem & terrestres principes vinculi potestatem, verùm corporum solùm: id autem, quod dico, Sacerdotum vinculum etiam animam contingit, atq; ad cœlos usq; pervadit. Quid? quòd summos principes oporteat ad genua Sacerdotum procumbere, & eorum judiciariæ potestati coronata capita submittere, ut delictorum suorum consequantur veniam?

III. Communicata est Potestas in spiritus malignos, idq́; tam largè: ut eâ polleant etiam in minore Ecclesiasticorum Ordinum gradu consistentes Exorcistæ. Sacerdotibus vel maximè convenit illud Psalmi 90. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.*

IV. Communicata ineffabilis quædam Potestas in ipsum physicum & vivum Corpus Christi regnantis in cœlo: ut pro arbitrio suo, pauculis verbis possit præsens sistere sub speciebus panis & vini, atq; fidelibus in animarum alimentum & delicias distribuere. Verè admiranda potestas, & veneranda Sacerdotum dignitas: *in quorum manibus DEI Filius velut in utero Matris incarnatur*: inquit Augustinus hom. 2. in Psal. 37. Quæ cogitari potest potestas major, quæ puræ creaturæ communicetur?

Ex his colligent 1. Sacerdotes ipsi: quo in honore habere debent se ipsos; & non redigere se in ordinem vulgi, ut sit sicut populus, sic Sacerdos. *O quàm mundæ debent esse manus illæ*, inquit Kempensis libr. 4. de Imit. c 11. *quàm purum os, quàm sanctum corpus, quàm immaculatum cor erit Sacerdotis, ad quem toties ingreditur* (& è cujus ore velut egreditur in consecratione Eucharistiæ) *auctor puritatis! Ex ore Sacerdotis nihil nisi honestum & utile procedere debet verbum, qui tam sæpe Christi accipit Sacramentum. Oculi ejus simplices & pudici, qui Christi corpus solent intueri: Manus puræ, & in cœlum elevatæ, quæ Creatorem cœli & terræ solent contrectare. Sacerdotibus specialiter in Lege dicitur: Sancti estote: quoniam ego Sanctus sum Dominus DEVS vester.*

Colligent 2. qui non sunt Sacerdotes: qua in veneratione ipsos habere oporteat. Meritò Basilius Imp: (in Biblioth. Patrum tom 5. c. 3.) Leoni filio suo diligenter commendavit honorem & obedientiam præstandam Ecclesiæ Ministris: *Honor enim, qui Sacerdotibus habetur, ad DEVM refertur: & sicut propter te ministros tuos in honore habere justum est, ita & te propter Deum Sacerdotes ejus magnificare & in pretio habere, Sanctum.* De Constantino Magno Imp. scribit Euseb. in Vita lib. 3. quòd in Concilio Nicæno, positâ modicâ quadam sede, non sedit, priusquam à ministris Ecclesiæ annueretur. Dequaezius, S. Francisci Salesij Confessarius, vir sanctus, & familiari Angeli sui

geli sui Custodis familiaritate uti solitus; antequam Sacerdotio initiatus esset, Angelus ipsum præcedebat: suscepto Sacerdotio semper ipse præcedere jussus est. *Nadasi in Anno Angel.*

SABB. post Dom. X à Pentec.

MEDITATIO: *Quàm gloriosos faciant servos suos Deus, Jesus & Maria.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm gloriosos faciat servos suos fideles & strenuos. Est quidem mundo paradoxum non intelligibile: quòd servire DEO, regnare est; intelligunt tamen illud evidenter, qui toto corde serviunt DEO, non mundo. Si enim proportione quâdam crescit dignitas famulantis ex dignitate Domini: qui servit, & non serviliter, Domino infinitæ dignitatis, infinitis gradibus superet oportet servos mundi, servosq; summorum principum & imperatorum; inter quos & DEUM interjacet chaos infinitæ vilitatis. Veri & strenui servi DEI, etsi sint de fæce plebis, digniores sunt omnibus principibus terræ. Et quidni sint: cùm in sortem filiorum DEI & hæreditatem totius cœli assumantur. *Gloria magna est, sequi Dominum.* Eccli. 23. Quid ergo inflantur Servi hujus mundi, quantumvis purpurati; *quorum gloria in confusione ipsorum, quorum finis interitus?* Philip. 3. Iterum iterumq;, & quamdiu halitus erit in me, ingeminabo: O Domine, quia ego servus tuus. Hæc Gloria mea.

2. ADora D. JESUM & considera: quâ gloriâ & honore extollat & ipse servos suos. Attollit eos ad dignitatem intimorum amicorum suorum, communicatque confidenter Secreta sua. *Jam non dicam vos servos; quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus. Vos autem dixi Amicos: quia omnia, quæcunq; audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Joan. 15. Communicat illis judiciariam potestatem, non solùm in homines, sed etiam Angelos. *Sedebitis & vos super sedes 12, judicantes 12 tribus Israël.* Matt. 19. *Nescitis, quoniam Angelos judicabimus: quantò magis sæcularia.* 1. Cor. 6. Facit cœli principes & commensales suos. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus, regnum: ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo.* Luc. 22. Unde Apostolus, quasi non reperiret digniorem titulum, hunc ponit in fronte Epistolæ suæ ad Romanos: *Paulus, servus Jesu Christi.* Utinam & mihi gloriari liceret hoc nomine! At quàm ignavus ego servus Christi? Promitto, Domine, meliora.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam inprimis intentam esse, ut servos suos faciat Magnos coram Domino, non subjectos carni & sanguini, superiores mundo, & gloriosos victores sui ipsorum. Tal

enim fa

enim famulitium talem decet Dominam. Hic est honor maximus, quo in hac vita eminere possumus. O Domina Augustissima, hoc honore dignare servulum tuum. Sentiat de me mundus, quidquid volet, ringatur & fremat, ut libuerit: non adiget, ut serviam ipsi. Tibi æternùm, & gratìs.

Proposit. v. gr. *de serviendo voluntariè & gratìs DEO, Jesu & Mariæ.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur exemplis gloria eximiorum Dei servorum.

CUm ex gloria & honore servorum elucescat gloria & magnitudo ipsius Domini: ad concipiendam majorem DEI Domini nostri æstimationem, juvat, præsertim in Sanctorum Solemnitatibus, eorundem gloriam considerare attentiùs. Ecclesiasticus cap. 44. solitò facundior est in celebranda veterum Sanctorum gloria. *Sunt*, inquit, *quorum non est memoria: perierunt, quasi qui non fuerint; & nati sunt, quasi non nati, & filij ipsorum cum ipsis. Sed illi viri misericordiæ sunt, quorum pietates non defuerunt; cum semine eorum permanent bona. hæreditas sancta nepotes eorum, & in testamentis stetit semen eorum; & filij eorum propter illos usq; in æternum manent: semen eorum, & gloria eorum non derelinquetur. Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomen eorum vivit in generationem & generationem.*

Pergit deinde in particulari celebrare quosdam à primordijs mundi usque ad Simonem Pontificem Oniæ filium. Paucos excerpimus. *Henoch placuit DEO: & translatus est in Paradisum, ut det gentibus pœnitentiam*; scilicet in fine mundi. *Noë inventus est perfectus, justus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Testamenta seculi posita sunt apud illum, ne deleri posset diluvio omnis caro*, futuris temporibus. *Abraham magnus pater multitudinis gentium: & non est inventus similis illi in gloria, qui conservavit legem Excelsi, & fuit in testamento cum illo*, icto fœdere æterno inter ipsum & DEUM. *Et in Isaac eodem modo fecit propter Abraham patrem ejus. Benedictionem omnium gentium dedit illi dominus: & testamentum confirmavit super caput Jacob*: quem non in Palæstina solùm, sed totâ Ægypto, imò orbe universo gloriosum fecit in Joseph & posteris ejus. *Dilectus DEO & hominibus Moyses; cujus memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria sanctorum, & magnificavit eum in timore inimicorum, & in verbis suis monstra placavit. Glorificavit illum in conspectu regum, & jussit illi coram populo suo, & ostendit illi gloriam suam.* Prædicat deinde virtutes & gloriam, quâ magnificati sunt à DEO Aaron, Phinees, Josue, Caleb, Samuel, Nathan, David &c. &c.

In honorandis & glorificandis Sanctis novæ Legis non fuit, nec est parcior, imò liberalior DEUS. Hos potissimùm videtur respexisse David, quando glo-

quando gloriâ eorum attonitus cecinit: *Mihi autem nimis honorificati sunt Amici tui, DEVS: nimis confortatus est principatus eorum.* Psalm. 72. Isti enim sunt per Antonomasiam *Amici DEI*, Fratrum quoq; Christi titulo honorati. Matt. 28. Quanta sit eorum gloria in cœlis, nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. Quantâ majestate considet ibi gloriosissimus Apostolorum Senatus? Quanto splendore & plausu triumphat ibi innumerabilis fortissimorum Martyrum exercitus? Quanto decore & honore rutilat ibi venerabilis Confessorum corona? Quàm illustris refulget candidus & rubicundus Virginum chorus?

In terris quoq;, quàmvis non sit par cœlesti, summa tamen est eximiorum DEI servorum gloria. Apostolos suos constituit Dominus Principes super omnem terram tam gloriosos: ut ad ipsorum limina cum Diadematibus capita prona deponant regum imperatorumq; maximi. Regnat etiamnum in Vaticana orbis arce Petrus, regitq; universam Christi Ecclesiam. Triumphat etiam hodie in cathedra orbis terrarum Doctor gentium Paulus, de idololatria, hæresi & omnigenâ impietate. Non capit gloriam Compostella Jacobi, Achaïa Andreæ, Asia Joannis, Thomæ India: cætera quoq; Apostolici, Episcopalis & Religiosi Ordinis lumina incomparabiliter majore extolluntur cultu, quàm summi quiq; principum regumq;.

Quâ famâ & gloriâ utrumq; implevit orbem Indiarum Apostolus Franciscus Xaverius? Cùm adhuc viveret mortalis, & religiosâ humilitate obscurus, non aliter vocabatur passim, quàm Magnus Pater, Divinus Thaumaturgus, Cœlestis homo, DEUS terrestris: nec defuerunt Ethnici, qui, ut Paulo Apostolo, divinos ei deferrent honores, nec aliter quàm de genibus, eum affari præsumerent; nonnulli multis milliarium millibus emensis ad eum virum conspiciendum properabant, quidam è Secta Maurorum & rex Travancoridis Mahometis sectator etiam templa viventi erexerunt, liberaliq; censu dotârunt. Magnus Mogor Legatos Goam expedivit ad venerandum defunctum, qui non nisi detractis calceis, & crebrâ corporis proclinatione ad ejus sepulchrum accessêre. Quidam è novis Christianis Goâ in Europam milliarium quindecim millia enavigavit: ut in paterno Xaverij castro cubiculum cerneret, ac veneraretur, ubi Sanctus in lucem venerat; sparsoq; pijs lacrymis & osculis pavimento, & decerpto sibi ex parietibus exiguo calculo, lætus ad suos redijt. Rex Lusitaniæ Joannes etiam Proreges suos Xaverio, ut sibi, obtemperare voluit; &c. &c. *Bartoli in Vita.* Sic honorantur eximij DEI nostri servi. *Erimus sicut isti: si fuerimus sicut isti:* ferventes scilicet atq; humiles in obsequio Domini.

MEDITATIO: *Quomodo DEO, JESV & MARIÆ subjectæ esse debent omnes rationales creaturæ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: qualem & quantam ei debeant subjectionem omnes rationales creaturæ, ratione plenissimi & eminentissimi Dominij jurisdictionis, quod habet in illas. Debent illi ut supremo Domino 1. agnitionem & confessionem omnimodæ subjectionis suæ per actus Adorationis, & variæ Humiliationis. 2. Debent ei subjici secundùm omnes potentias suas rationales, Intellectum, Voluntatem & Memoriam: ut non obliviscantur Domini sui, & mandatorum ejus; nihil cogitent, velint, nolintq; , quod ipsi displiceat, sed quod ad suavissimum ejus gustum accidat. 3. Secundùm omnes sensus suos, si ijs instructæ sunt. 4. Secundùm totam substantiam suam & omnia sua bona extrinseca & intrinseca: plenè ac libenter acquiescendo omni dispositioni divinæ circa se & sua. *Dominus dedit, dominus abstulit. Sicut domino placuit; ita factum est.* Job. 1. O Domine, quisquis sum, & quidquid sum; tuus sum. Quidquid habeo, & habere possum, tuum est. Utere, ut libet: & parce, quòd aliquando recalcitravi, ac mihi vixi.

2. ADora D. JESUM, & considera: omnimodam subjectionem & ipsi deberi ab omni creatura rationali; idq; non solùm ut DEO, sed etiam ut Homini. Ipse enim est ille *Filius hominis*, ut declarat Apostolus Hebr. 2. sub cujus pedibus subjecisse DEUM omnia, dicitur Psal. 8. & quidem tam plenè: ut *nihil dimiserit non subjectum ei*, teste eodem Apostolo. Non solùm igitur homines, verùm & Angeli debent ei summam reverentiam, amorem, & omnigena, quæ præstare possunt, obsequia; ut scilicet throno Majestatis ejus assistant, assiduò laudent & glorificent, prompti sint ad nutum ejus, ut non solùm hominum, sed minimarum etiam creaturarum curam gerant, tanquam administratorij spiritus. Nos autem tantò profundiorem & arctiorem ei debemus subjectionem, quantò profundiùs se submisit propter nos. Quæ submissio cùm omnino sit infinita & inæstimabilis: quomodo me tibi subjiciam, quò me submittam, Domine mi? Si totius cœli terræq; rex essem, & propter Te ut vilissimus vermis omnium pedibus calcandum me subjicerem; quid magni præstarem? Et adhuc optabo magni fieri, & eminere?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: nos ipsi debere subjectionem plenissimam submissionis, amoris & timoris; ut Matri DEI, nostræ autem Dominæ & Matri. Ipsius servi sumus: quia DEUS subjecit

sub pedibus ejus; quia nos emit pretio sanguinis Filij sui, quia non semel à portis inferi reduxit animas nostras, quia innumeris periculis eripuit vitam nostram. Agnosco & veneror te Dominam meam & universorum, ô Augustissima. Quid me vis facere? Loquere: quia audit servus tuus.

Proposit. v. gr. *de Voluntaria Subjectione præstanda etiam hominibus, propter Deum, Jesum & Mariam.*

LECTIO PRACTICA.

De Subjectione, quam debemus Deo, Jesu & Mariæ, etiam in minimis.

EXistimant nonnulli: se sufficienter DEO subjectos esse; si se voluntati ejus non opponant, violando tradita præcepta graviter obligantia: in alijs posse se libertate suâ uti. Qui error & manifestus, & admodum periculosus est. Manifestus est error: quia certum est, excellentiam Divini in nos Dominij, quod & naturale, & supremum, & absolutissimum est, omnimodam nostram exigere subjectionem: nec posse nos licitè contravenire ulli, etiam minimo ejus præcepto & ordinationi. Eccli. 7. dicit Spiritus S. *Qui timet DEUM, nihil negligit.* Qui ergo in minoribus liberè voluntatem DEI transgreditur, convincitur; DEUM non timere, ut par est: adeoq; illi, prout decet, subjectus non esse.

Periculosus est error: quia facit hominem dissolutum, & in gravia peccata deducit. Veritatis æternæ oraculum est Luc. 16. *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est: & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.* Notandum: non dici; Iniquus *erit*; sed *est* Tam certus & pronus à minoribus delictis ad majora lapsus est. *Si curare parva negligimus: insensibiliter seducti, etiam majora audenter perpetramus:* ait S. Gregorius libr. 10. Mor. c. 9. Cùm enim per naturam corruptam pronissimi simus in malum, & quivis actus pravus, etiam minimus, proniores nos reddat: facillimè fit; ut accedens gravior quædam tentatio, nos impellat in ruinam. Quanquam nec opus est tentatione gravi: sufficit præsens aliqua occasio graviter peccandi; & mox assuetus minoribus committendis ultrò proruet in scelus.

Pulchrè expressit id Isaias cap. 51. ubi inducit hostes populi DEI solicitantes ipsum ad peccata. *Dixerunt animæ tuæ: incurvare, ut transeamus: & posuisti ad terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus.* Idem dicunt hostes animarum nostrarum. Stantes enim, seu ambulantes in via mandatorum divinorum, præsertim timoratiores & religiosiores, non præsumunt, statim apertè & directè solicitare ad gravem culpam; ut quasi ex pinnaculo templi se præcipitent deorsum, aut sternant se in scabellum pedum ipsorum: sed tantùm dicunt; *Incurvare*; modicùm te inclina ad hunc illumve de-

fectum, ad hanc illamve exiguam transgressionem: quid enim inde notabilis damni timeri potest? At ecce dum modica non cavetur incurvatio ad res terrenas, ad hanc illamve illecebram; illecti præsenti dulcedine, non dubitamus, cor ipsum apponere etiam graviter vitiosis. *Et posuisti ut terram corpus tuum, & quasi viam transeuntibus:* ut super sic prostratos, tanquam super viam publicam, ultrò citroque liberè per sensus & potentias tuas transire possint spiritus maligni.

Hinc S. Anselmus ep. 6. ad Monach. ait: *Certissimum est, quòd in multis Ecclesijs experimento didicimus; quia in monasterio, ubi minima districtè custodiuntur, ibi rigor monachorum inviolabilis permanet, ibi pax inter fratres, & in Capitulo proclamationes conquiescunt.* At ubi minorum legum observantia non viget: ibi religiosam disciplinam penitus solvi, consequens est. Nam, ut bene monet S. Bernardus: *A minimis incipiunt, qui in maxima prorunnt.* Quapropter ne decipiaris, inquit: quia verissimum est tritum illud: *Nemo repente fit summus*; sive in vitio, sive in virtute. Unde tam recentium, quàm veterum Patrum monitum est: quòd, si videamus aliquem, aliàs probum, in grave aliquod delictum incidisse; non putemus, tunc primùm id infortunij ipsi accidisse; sed per varios gradus eum lapsum esse. Ad quod malum evitandum S. P. N. Ignatius sæpe pro levibus transgressionibus pœnas imponebat non leves. Et cùm Oviedo Rectori, domesticam disciplinam ad minutissimarum legum normam exigenti, Bobadilla indulgentior se opponeret: jussit Ignatius Oviedum totâ libertate officio suo fungi, eò; quòd in minoribus transgressionibus plus lateat periculi: *Hist. Soc. p. I. lib. 12. n. 23.*

Quod ipsum notavit, & graviter nobis proposuit S. Chrysostomus hom. 83. in Matt. *Mirabile quidem, & inauditum dicere audeo. Solent mihi nonnunquam non tanto studio magna videri esse peccata vitanda, quantò parva & vilia. Illa enim ut aversemur, ipsa peccati natura* (& horror, quem causat) *efficit: hæc autem hâc ipsâ re, quia parva sunt, desides reddunt, &, dum contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Unde citò ex parvis maxima fiunt negligentiâ nostrâ.* Ita nimirum, ut animalia aratro juncta, primò leviter à via deflectimus, postea cervicem jactamus, deinde contra stimulum calcitramus; tandem vincula rumpimus, jugum Domini confringimus, & dicimus: *Non serviam.*

FERIA II. post Dom. XI post Pentec.

MEDITATIO; *De Omnipotentia DEI, JESU & MARIÆ.*

1. Ado-

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum verè & absolutè Omnipotentem esse. Id est, posse absolutè Omnia, quæcunq; possibilia sunt, seu in prædicatis suis non involvunt contradictionem, producere. Unde Archangelus Gabriel Luc. 1. dixit: *Quia non erit impossibile apud DEUM omne verbum.* Matt. 19. Fundatur Omnipotentia divina in Essentia divina: quæ cùm sit infinitè communicabilis, seu imitabilis per res extra ipsam producibiles; & res illæ producere se ipsas non possint: necesse est, dari in ipso DEO virtutem illa omnia producendi ad eum modum, quo participare seu imitari possunt Essentiam divinam, & prout à Sapientia Divina repræsentantur producibilia. *Subest illi, cùm voluerit, posse.* Sap. 12. *Ego DEUS Omnipotens.* Gen. 17. O magne Dominator virtutis, Omnipotens nomen tuum, suspicio & stupeo tantam potentiam tuam! Dum autem humilior sub potenti manu tua, erigor simul in fiduciam & spem ingentem: quòd etiam in rebus desperatis poteris & voles mihi esse Adjutor fortis.

2. ADora D. JESUM, & considera ipsum quoq; ut Omnipotentem. Et quidem ut DEO vero convenit Omnipotentia per naturam divinam, æquè perfectè, ac Patri æterno. Unde Joan. 5. dicit: *Quæcunq; ille fecerit,* (id est, Pater) *hæc & Filius similiter facit.* Et Joann. 16. *Omnia, quæcunq; habuit Pater, mea sunt.* Ut Homini divinè subsistenti convenit eadem Omnipotentia per communicationem idiomatum: ut, sicut licet dicere; CHRISTUS, seu hic Homo, est DEUS, est Omniscius &c. ita liceat affirmare: Est Omnipotens. Spectato autem secundùm solam Humanitatem Christo, non competit quidem Omnipotentia plena & illimitata, cùm vires corporis & animæ ejus sint omnino finitæ: convenit tamen Omnipotentia quædam specialis; ut notavit S. Thomas 3. p. q. 13. a. 4. in quantum Omnia, quæcunque voluit, & vult, fecit & facit. *Impossibile enim est,* teste S. Aug. lib. de Quæst. Vet. & Novi Testam. *ut Salvatoris voluntas non impleatur,* sive per naturam, sive per supernaturalem, sive per ipsam divinam virtutem seu potentiam. O quàm potens es, Salvator meus! In te confidam: non confundar.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsi quidem non competere Omnipotentiam physicam ad res producendas: competere tamen Omnipotentiam quandam Moralem: in quantum omnia, quæ determinatè & absolutè vult, fiunt divinâ virtute, DEO gratificante Matri suæ charissimæ. Gratulor Tibi, ô Domina, mirabilem hanc Omnipotentiam. Exere, obsecro illam, & fac me dignum tuum & DEI servum.

Proposit. v. gr. *de recursu ad Deum, Jesum & Mariam, etiam in rebus desperatis.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur Omnipotentia Deiparæ Virginis.

OMnipotentia hæc consistit in Efficacia impetrandi quidlibet apud omnipotentem DEUM. In Scholis altioribus disputatur: An quodlibet elevari possit per Divinam potentiam ad producendum quidlibet: euntq; in varias sententias Doctores. At Catholicis certum est: DEIparam V. re verâ elevatam esse ad impetrandum quidlibet. Ipsi applicatur communiter illud Salomonis 3. Reg. 2. *Pete, Mater mea. Neq; enim fas est, ut avertam faciem tuam:* præsertim cùm Christus, Salomone infinitè sapientior, optimè noverit; Matrem suam nihil inconveniens petituram.

Duo tituli plurimum faciunt ad efficacem Intercessionem. 1. Si Personâ petens sit gratiosa in oculis ejus, ad quem dirigitur petitio. 2. Si sit magnæ authoritatis. Ex utroque capite efficacissimam esse oportet Intercessionem V. DEIparæ. *Gratiosissima* est DEO. Nam & Angelus eam invenisse gratiam apud DEUM testatur, salutatq; non ut simpliciter gratiâ pollentem; sed ut *Plenam gratiâ:* quam tamen plenitudinem ipsa continuis & maximis incrementis, quo ad vixit, in singula momenta adauxit. Deinde Gratiosissima est: tum quia nihil prorsus in ea sive Divinus, sive infernalis critici oculus, reperit, quod offendere possit; tum quia dotibus omnibus, quæ gratiam conciliare possunt, abundat, & superabundat; ut meritò Sponsus cœlestis Cant. 4 eam miretur & prædicet, ut undequaq; pulcherrimam; *Tota pulchra es, Amica mea; & macula non est in Te: Pulchra es intus, pulchra foris;* explicat Hugo Victor. Serm. 9 Instit. Monast. in festo Concept. *Intus in corde, foris in corpore; intus rubicunda, foris candida; utrobiq; composita. Rubicunda per Charitatem, candida per Castitatem, composita per Humilitatem. In toto grata, in nullo ingrata. In toto places, in nullo displices. Tota pulchra es: pulchra per naturam, pulchrior per gratiam, pulcherrima per gloriam.* Esther regina, quia *placuit oculis* Assueri, non solùm nihil durius audivit, sed inauditam regis liberalitatem & favorem experta est; *dixitq; ad eam rex: quid vis Esther regina? quæ est petitio tua? etiamsi dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi* Esth. 5. Quia Esther *placuit oculis* regis, exteriore specie captis, tantam provocavit liberalitatem: quantò infinities majorem provocat MARIA, quæ & exterioris gloriæ splendore ac majestate supergressa est cœlites omnes; & interiore ornatu ita eminet; ut Psal. 44. omnis gloria ejus dicatur esse ab intus.

Auctoritate quantum valeat apud Omnipotentem, manifestum facit titulus *Matris:* cui ipsa natura jure summo exigit observantiam à prole. Unde Anto-

S. Antoninus par. 4. tit. 15. c. 17. discrimen ponit latissimum inter orationem DEIparæ, & aliorum Sanctorum. *Oratio*, inquit, *Virginis non innititur solùm gratiæ DEI, sed etiam juri naturali, & Justitiæ Evangelij. Nam Filius non tantùm tenetur amare Matrem, sed & obedire, juxta illud Apostoli Coloss. 3. Filij, obedite parentibus vestris: quod etiam est de jure naturæ.* Deducit hinc Suarez in p. 3. tom. 2. disp. 23. Sect. 2. *Si cogitatione fingamus: B. Virginem aliquid postulare, totamque cœlestem curiam illi resistere (sicut apud Danielem Angelus unus resistebat alteri) potentior esset, majorisq; efficaciæ & valoris apud deum Virginis, quàm reliquorum Sanctorum Oratio.* Non potest non exaudiri & ipsa *pro reverentia sua*: nam Maternæ preces modestum quoddam imperium sunt: ut B. Petr. Damian. non dubitet de Matre DEI dicere: *Accedis ad aureum divinæ serenitatis tribunal non rogans, sed imperans; domina, non jam ancilla.* S. Bernardus Serm. 1. de Assumpt. cùm dixisset: Ascendens in altum Virg. Beata dabit ipsa quoq; dona hominibus; subjungit: *Quidni daret? siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est: denique Mater est Unigeniti Filij Dei. Nihil enim sic potest potestatis ejus, seu pietatis magnitudinem commendare; nisi fortè aut non creditur Dei filius honorare Matrem: aut dubitare quis potest, omnino in affectum charitatis transisse viscera MARIÆ, in quibus ipsa, quæ ex Deo est, charitas, novem mensibus corporaliter requievit.*

Non ergo mirandum: quòd Catholica pietas Omnipotentiam quandam veneretur in MARIA: sed pari humilitate ac fiduciâ recurrendum ad ipsam in omni necessitate. Nam & vult, & potest juvare. Etiamsi secundùm ordinarium Divinæ Providentiæ stylum nondum adesset hora nos juvandi: ad nutum tamen Matris vino consolationis, ut in Cana Galilææ indubitanter recreabit nos Filius.

FER. III. post Domin. XI. post Pentec.

MEDITATIO: *De Infinitate Potentiæ Dei, Jesu & Mariæ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsius Omnipotentiam absolutè Infinitam esse. Quia ea, quæ producere potest, sunt omnino infinita, innumero, magnitudine & perfectione. 1. Potest plures & plures producere homines, angelos, animalia &c. sine fine ita, ut per totam æternitatem non exhauriatur virtus ejus productiva, sed semper restent plura & plura producibilia. 2. Potest producere majora & majora sine fine, majores montes, stellas, mundos ita, ut nunquam perveniat ad aliquem, quo majorem producere non possit. 3. Potest producere species rerum perfectiores & perfectiores in infinitum. Unde Ecclesiasticus cap. 43 prolixè & vehe-

& vehementer admiratus pulchritudinem & varietatem creaturarum in hoc mundo, subjunxit v. 36. *Multa abscondita sunt* (in thesauris Omnipotentiæ divinæ) *majora his: pauca enim vidimus operum ejus.* Illud autem observandum: quòd, quamcunq; DEUS produxerit ultimò creaturam, cæteris omnibus perfectiorem: semper ipsa infinitè distabit à DEO, seu infinities imperfectior erit. *Terribilis Dominus, & magnus vehementer, & mirabilis Potentia ejus!* Ibid. Quis non humilietur sub tam potenti manu? Quis opponat se?

2. ADora D. JESUM, & considera: etiam ipsum infinitâ simpliciter potentiâ pollere. 1. Quia, ut traditum heri, ipsius, ut DEUS est, est tota Potentia Patris. 2. Quàmvis Potentia Humanitatis ipsius non sit infinita quoad physicam rerum productionem: prout tamen hypostaticè unitur VERBO, est infinita absolutè quo ad vim satisfaciendi & merendi. Potest enim elicere & elicuit Actus tam præstantes, ut singuli valorem habeant simpliciter infinitû, erigantq; præmiû maj9 & maj9 in infinitû. Sunt enim Actus Personæ verè & propriè divinæ, à qua excellentiam & vim desumunt simpliciter infinitam: ut communiter tradunt Theologi. Quid jam debemus Salvatori nostro: qui tam pretiosos actus, non unum alterumve, sed per annos triginta aliquot assiduò elicitos, impendit pro salute nostra? In sæcula sæculorum, in infinitum, amabo, & laudabo te, mi JESU.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quòd, quàmvis potentiæ ejus, etiam intellectus & voluntas, sint physicè limitatæ: à dignitate tamen quodammodo infinita Maternitatis DEI desumunt vim quandam infinitam ad eliciendos actus impetratorios gratiarum aliarum & aliarum sine fine, hominibus pluribus & pluribus in infinitum. Unde quidam clientum ipsius (Joan. Berchmans) non temere dixit: *Si MARIAM amo: omnia à DEO impetrare possum:* scilicet per ipsam. Utere, obsecro, ô Potentissima, hâc potentiâ tuâ ad salvandum inutilem hunc servum tuum.

Proposit. v. gr. *de multis & magnis donis petendis à DEO, Jesu & Maria.*

LECTIO PRACTICA.

De Infirmitate humana.

AD eum subinde fastum sese attollit impudens & miser homo: ut non solùm putet se aliquid esse, contra expressam Apostoli sententiam (*Si quis existimat, se aliquid esse, cùm nihil sit; ipse se seducit:* Galat. 6.) sed etiam videatur sibi esse aliquid grande & potens. Sic Arphaxad ille Medorum rex, postquam subjugaverat multas gentes imperio suo, & ædificavit civitatem potentissimam, quam appellavit Ecbatanis: *gloriabatur quasi potens in potentia ex-*

tentia exercitûs sui, & in gloria quadrigarum suarum. Judith. 1. At paulò pòst admonuit eum infirmitatis & nihili sui Nabuchodonosor rex Assyriorum, qui victum regno exuit & vitâ. Nec prudentiorem hic ipse se probavit. Nam *tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor, & cor ejus elevatum est,* in tantum: ut cogitârit sibi subjicere orbem universum. Verùm & hic de infirmitate sua satis superq; doctus est; quando *una mulier Hebræa confusionem* & stragem ingentem *fecit in domo regia Nabuchodonosor.* Jud. 14.

Sapientior, magisq; humanæ infirmitatis sibi conscius Job, *Homo,* inquit, *natus de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miserijs.* In quem locum ait S. Gregorius lib. 11. Moral. c. 26. *Mulieris nomine quid nisi infirmitas designatur; cùm dicitur: Homo natus de muliere? Ac si apertiùs dicatur: Quid in se habebit fortitudinis, qui natus est ex infirmitate?* Clariùs hominis infirmitatem exprimit, dum addit: *Qui quasi flos egreditur, & conteritur; & fugit velut umbra, & nunquam in eodem statu permanet.* Quid infirmius, magisq; caducum flosculo? Quid inanius umbrâ? *Quasi flos apparuimus,* pergit citatus Gregor. *qui non eramus; quasi flos arescimus, qui temporaliter apparemus. Et quia per momenta homo quotidie compellitur ad mortem: dicitur fugere velut umbra, & nunquam in eodem statu permanere. Fixum statum hîc habere non possumus, ubi transituri venimus; atq; hoc ipsum nostrum vivere, quotidie à vita transire est.*

Et tamen homines hanc infirmitatem, fragilitatem, & vanitatem nostram intelligere nolumus: ut proinde Prophetam admonere debuerit DEUS de altiùs attollenda voce; Isa. 40. *Clama. Et dixi: Quid clamabo? Omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos.* Non miratur S. Ambrosius hanc siccitatem & casum: Quæ enim firmitudo in carne, quæ salubritas potest esse diuturna? inquit lib. 3. Hexam. c. 7. Hodie videas adolescentem validum, pubescentis ætatis, virtute florentem, gratâ specie, suavi colore; crastinâ die tibi facie & ore mutatus occurrit; & qui tibi pridie lautissimus decoræ formæ gratiâ visus est, alio die miserandus apparet, ægritudinis alicujus infirmitate resolutus. Plerosq; aut labor frangit, aut inopia macerat, aut vina corrumpunt, aut senectus debilitat, aut luxuria decolorat. Nonne verum est, quia aruit fœnum, & flos ejus decidit? qui dudum ubertate affluens divitiarum, liberalitatis famâ per ora volitans singulorum, clarus honoribus, præeminens potestatibus, solio sublimis, beatus populis æstimatus, dum præconum clamore deducitur, subjectâ rerum conversione in eum carcerem rapitur, quò alios detruserat. *Ita Ambrosius.*

Posset adhuc quispiam in hac misera infirmitate sua sibi placere: Si solùm floris instar vernaret aliquantisper, & deinde aresceret, putresceretq; ut fœnum: nisi similes pleriq; essemus illi fœno, de quo Christus Matt. 6. dicit: *Hodie est, & cras in clibanum mittitur.* Ita enim infirmi sumus, ut simul potentes simus ac validi operarij iniquitatis. Proficimus & invalescimus de die in diem, similes illi, de quo Job. 15. *Tetendit adversus DEUM manum suam, & contra Omnipotentem roboratus est. Cucurrit adversùs eum erecto collo, & pingui cervice armatus est.* Et sic dignos nos reddimus, qui in clibanum ignis nunquam extinguendi mittamur. Bis miseri, imò miserrimi! quòd & hujus vitæ miserias atq; infirmitates tolerare debeamus; & morti æternæ tormentisq; perpetuis nos ultrò subjiciamus! Quin potiùs infirmitatum nostrarum nobis conscij, monente Apostolorum principe 1. Pet. 5. humiliemur *sub potenti manu DEI: ut nos exaltet in tempore visitationis.*

FER. IV. post Dom XI post Pent.

MEDITATIO: *De Potentia Verbi DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera stupendam verbi ipsius divini potentiam, imò Omnipotentiam. Cùm ab æterno, præter ipsum, fuisset nihil, nec in tota infinita possibilium creaturarum collectione reperiretur potentia ad emergendum ex nihilo: *Ipse dixit, & facta sunt; Ipse mandavit, & creata sunt.* Vide admirandam Conditoris potentiam; qui *vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt*: Rom. 4. & in momento ex abysso nihili sui prosiliunt, *& dicunt ei: Adsumus.* Baruch. 3. Quanto molimine & apparatu opus est, ut nos aliquid producamus per simplicem rerum compositionem? Attende rursus: quomodo DEUS producta omnipotente verbo suo, in momento destruere omnia verbo uno, & in antiquum nihili sui chaos conjicere possit: nec erit, qui resistat. O verè *Vox Domini in virtute: Vox Domini in magnificentia!* Psalm. 28. Et tamen huic voci, & Mandatis divinis refragari præsumimus homines! Parce temeritati, DEUS.

2. ADora D. JESUM & considera: quantæ & ipsius verba fuerint, sint & futura sint, potentiæ. Antequam verba formare posset VERBUM infans, vagitus nascentis potentissimum terruit tyrannum: extrema vox morientis scidit petras, & petris duriora corda. Imperavit ventis; & siluerunt: mandavit mutis; & in DEI laudes ora aperuerunt. Dixit: &, quod erat panis, factum est Corpus ejus: mandavit; & sanguis uvæ factus est sanguis ejus. Vocavit mortuos; & è tumulis vivi prodierunt: respondit vivis, ijsq; armatis, *Ego sum*; & velut mortui conciderunt. *Sermo ejus,*

sive ba-

sive balantis ut agnus, sive rugientis ut leo, *vivus & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usq; ad divisionem animæ ac spiritûs, compagum quoq; ac medullarum*, Hebr. 4. Cæterùm si vel *parva stilla sermonum ejus* tantæ virtutis est: *quis poterit tonitruum magnitudinis ejus intueri?* Job. 26. quando scilicet tonabit in voce sua mirabiliter: *Venite benedicti: Ite maledicti!* Audi nunc ergo, anima mea, loquentem tibi in spiritu lenitatis: ne te olim feriat fulmen judiciariæ Majestatis.

3. VEnerare DEIparam V. & considera parsimoniam simul ac divinam quandam virtutem verborum ejus. Ad legationem SSmæ Trinitatis cùm unicum reposuisset, Fiat: eodem momento majus & mirabilius in utero ejus virgineo factum est opus, quàm olim in creatione orbis universi. Vix unum dixerat Ave cognatæ suæ Elisabeth: & ecce mater repletur Spiritu S., Infans audit in utero, salit & præcurrere gestit, jam liber à labe originali, jam Propheta Altissimi, jam vox VERBI incarnati. Loquere, ah loquere, & mihi ad cor verbum vivum & efficax, ô Virgo potens: ut rigidum tenerascat, frigidum accendatur, & petrâ duriùs dissolvatur.

Proposit. v. gr. *de verbis DEI, JESV & MARIÆ, externis & internis, reverentiùs & obedientiùs excipiendis.*

LECTIO PRACTICA.

Quomodo Imbecillitati verborum nostrorum consulendum, præsertim in prædicando.

PRolixè, & non sine fastu, Suadæ suæ potentiam extollunt Rhetores. Inaugurant illam in potentissimam pariter ac suavissimam animorum Reginam, aureas ex ejus ore devinciendis auditorum cordibus deducunt catenas, cultas & barbaras gentes ad nutum ipsius componunt. Sed quidquid sit de Civilis Suadæ in animos hominum imperio, quoad negotia humana, statumq; politicum: in negotijs Religionis, atque vitæ ad normam Evangelij componendam, admodum invenitur imbellis, frigida, vana, & nullius efficacitatis: ut ipsius fronti rectè inscripseris illud: *Vox est, prætereaq; nihil.*

Non pauci jam se suspiciunt ut Sacros Oratores, & de multo fructu sibi blandiuntur: si Orationi suæ ad Rhetorum leges studiosiùs comptæ aliquas inspergant Scripturæ Sacræ, aut SS. Patrum sententias: sed quia eas non proferunt Spiritu Apostolico, & virtutem illarum pigmentis suis, & curiosâ eruditione coacervatâ exinaniunt; inter eos potiùs censeri merentur, quos Apostolus 2. Cor. 2. dicit *adulterare* verbum DEI. *Non sumus*, inquit, *sicut plurimi, adulterantes Verbum DEI: sed ex sinceritate, sed sicut ex DEO, coram DEO, in Christo loquimur.* In quem textum S. Gregorius lib. 22. Mor.

c. 17. *Adulterare*, ait, *Verbum DEI, est, aut aliter de illo sentire, quàm est*; detorquendo illud per frivolas interpretationes & acutos argutosq; conceptus ad alienos & indignos sensus: *aut ex eo non spiritnales fructus* (divinam scilicet gl oriam & animarum salutem atq; in solidis virtutibus profectum) *sed adulterinos fœtus quærere laudis humanæ*, & privata lucra sua. Cornelius à Lap. pro *Adulterantes*, legit ex Græco, *Cauponantes Verbum DEI*. Nimirum cauponantur Verbum DEI, qui illud prædicant instar cauponum, ad quæstum ex eo colligendum: & sicut caupones majoris quæstûs gratiâ, vina optima aliasq; res meliores, quas vendunt, commiscere solent cum deterioribus, adeoq; adulterare; ita pseudo-præcones Evangelij purum DEI verbum permiscent ineptijs suis, vitiant, & adulterant, atque cauponantur.

Quomodo autem hujusmodi adulterantes placeant Christo: docuit ipsemet celebrem quendam in Anglia Prædicatorem ex Ordine Minorum; ut habetur in *Prato florido lib* 4. c. 10. Erat is, præter scientiam non vulgarem, dote dictionis gratiosissimæ instructus, & in sermone suo admodum curiosus; utpote quem ut plurimùm ornare solebat subtilissimis Philosophiæ, aliarumque profanarum & curiosarum scientiarum conceptibus. Cumque quodam tempore concionem sic instructissimam ad gustum populi, à quo avidissimè & multo cum plausu audiebatur, haberet: apparuit ei nocte præcedente concionem Christus, in manu sua librum gerens, in cujus medio characteres impressi erant aurei, & elegantissimi; margines autem sordibus fœdè conspurcati, imò totus liber deforis turpiter fœdatus, pessimum exhalabat odorem. Roganti prædicatori; quid sibi is liber vellet? respondit Dominus: Literæ aureæ hujus libri verba sunt Sacræ Scripturæ, Sacræ Theologiæ, & SS. Patrum: sordes autem marginum graveolentes repræsentant sententias Philosophorum, & fucos Rhetorum, quos passim interseris. Deformitas libri exterior notat vanam, curiosam, & infructuosam garrulitatem tuam, quâ doctrinam meam involvis & obfuscas, & extinguis calorem spiritualem, quem in cordibus auditorum generare solet. Ita Christus ad illius & nostram instructionem.

Imitandus ergo Apostolus, non tam ad pedes Gamalielis, quàm in tertio cœlo artem prædicandi edoctus. *Sermo meus & prædicatio mea non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis; sed in ostensione spiritûs & virtutis*: scribit ad Corinth. ep. 1. c. 2. Quis est autem hic spiritus? quæ virtus? *Spiritus* virorum Apostolicorum proprius, est zelus, seu ardor charitatis erga DEUM & animarum salutem, quem spirant ore, præferunt vultu, totâq; fundunt oratione; ut verbum ipsorum, non aliter ac Eliæ, ardeat sicut

facula,

facula, accendatq; animos & corda auditorum Christi ac virtutis amore. *Virtus*, quam, exemplo Apostoli, ostendere debent prædicatores Evangelici, hoc tempore atque inter fideles, non tam est potestas operandi miracula, quàm Vita virtuosa. *Prædicator quisq; plus actibus*, virtuosis, *quàm vocibus insonet*: ait S. Gregor. par. 3. Pastor. c. 6. Hoc spiritu & hac virtute quamdiu destituta fuerit prædicatoris oratio; nulla speranda erit in animis auditorum salutaris operatio: sed erit ut æs sonans & cymbalum tinniens.

Ut autem hoc spiritu accendamur, & hac virtute induamur ex alto: frequente & fervente ante omnia opus est Oratione, seu Divini Spiritûs invocatione; quàm Apostolici prædicatores efficaciorem reddere solent additâ Mortificatione aliquâ; v. g. præmisso jejunio, aut aliâ abstinentiâ, castigatione corporis, gestatione cilicij in ipsa concione &c. Sic instructorum oratio solet esse *Vox Domini*, Domini *confringentis cedros, intercidentis flammam, concutientis desertum*: *Vox Domini in virtute*: *Vox Domini in magnificentia*, Psal. 28.

FER. V. post Dom. XI. post Pent.

De Potentia DEI in mundi Creatione: JESV & MARIÆ in ejus Reparatione.

1. ADora DEUM O.M. & considera admirandam ejus Potentiam in mundi creatione. Nam 1. creavit non solùm Angelos ex nihilo, sed etiam Cœlum & Elementa, nullâ præhabitâ materiâ, ex qua illa formaret. Qui modus productionis gentili Philosophiæ visus est impossibilis, cujus maxima est: Ex nihilo nihil fit: at à Christiana Theologia agnoscitur DEO debitus, tanquam Agenti primo, perfectissimo, & infinitæ virtutis. 2. Absq; omni difficultate & apparatu produxit species innumeras rerum pulcherrimarum & mirabilium, spiritualium & materialium. 3. Materialibus indidit virtutem seminalem ad propagationem specierum suarum: ut Omnipotentiæ suæ cooperarentur, & nunquam deficerent, sed mirâ varietate veteribus succederent recentia. 4. Agentia contraria tam dextrè combinavit, & constanter fovet: ut & continuâ actione atq; reactione temperentur, & assiduæ rerum generationi serviant fidelissimè. Stupeo, & adoro summam potentiam tuam, Creator Omnipotens. Da: ut ex omnibus operibus tuis in timore & amore tuo proficiamus semper.

2. ADora Dominum JESUM, & considera summam ejus potentiam in reparando mundo rationali. Omnis quippe caro corruperat viam suam, abijtque in viam perditionis. *Omnes declinaverunt, simul inutiles facti sunt*, Psalm. 13. Ut ergo præstantius inter cætera opus suum vindi-

caret è ruina, & ad formam primigeniam reduceret Conditor DEUS: *fecit potentiam in Brachio suo* Luc. 1. id est, in VERBO seu Filio suo; qui *dispersit superbos*, divini operis corruptores atq; deprædatores: *& exspolians principatus & potestates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in semetipso.* Coloss. 2. Longè majoris sanè molis erat hæc reparatio corrupti mundi, quàm prima ejus creatio. Hæc enim absoluta est verbo, tanquam à ludentibus in orbe terrarum Sapientia & Omnipotentia divina: in illa Virtus & Fortitudo DEI non solùm sudavit & alsit; sed sanguine manavit, & lethali frigore obriguit. Pervicit tamen, & feliciter consummavit opus, quod dedit ei Pater, ut faceret: & facere nemo poterat, qui non esset Omnipotens. Suspicio incomparabilem potentiam tuam, Restaurator mundi Potentissime. Excita etiamnum potentiam tuam; & ab imminentibus peccatorum periculis eripe me.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: meritò illam celebrari à S. Anselmo lib. de Excellentia Virg. c. 9. ut potentissimam *Reparatricem perditi orbis*: à Richardo Victor. in Cant. c. 28. ut *Reparatricem creaturæ Angelicæ atq; humanæ*: à Dionysio Carth. lib. 4. de Præconio Virg. ut *Reparatricem ruinæ cœlestis.* Multa tulit, fecitq;, unà cum Filio, in hoc opere, experta tandem decumani laboris gloriosum fructum. Qui sacris plantis tuis gratus advolvitur Christianus orbis, subleva gratiosè illum, & me in illo, ô Virgo Potens.

Proposit. v. g. *ex occurrentibus creaturis occasionem sumendi ad glorificandos Creatorem mundi, & Reparatores ejus JESUM & MARIAM.*

LECTIO PRACTICA.

Homo potentiam suam ostendat in mundi contemptu.

DUm prædicatores & ascetæ mundi contemptum suadent; non id agunt, ut res materiales, quibus constat hæc magna mundi moles, aspernemur, tanquam in se viles, imperfectas, atq; nullius momenti: cùm scriptum sit, *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Psalm. 110. Et Gen. 1. *Viditq; DEUS cuncta, quæ fecerat: & erant valde bona.* Sed asserunt: viles, & contemptibiles esse intuitu longè majoris & melioris boni, scilicet respectu ipsius Creatoris & verarum virtutum. Quod assertum suum rectè extendunt etiam ad moralia bona mundi, distincta à Virtutibus: qualia sunt honores & voluptates. Sequuntur in hoc sensu suo Doctorum Aquilam, S. Joannem: qui in ep. sua 1. c. 2. monet: *Nolite diligere mundum, neq; ea, quæ in mundo sunt.*

Nihilo-

Nihilominus res hæ, quæ in mundo sunt, sua specie, splendore, alijsq;, quas ostentant, illecebris, ita fascinârunt plerorumq; oculos & corda: ut ab earum immoderatâ æstimatione & inordinato amore abstinere planè non possint; malintq; potiùs jacturam facere gratiæ divinæ, regni cœlestis & ipsius summi æternique Boni, quàm ab illis cor avellere. Invitantur ad occupandum, & æterno jure possidendum Regnum, in cujus bonorum comparatione terrestria hæc omnia mera sunt puerorum crepundia, umbræ, vanitas, nihil: at illi cum stultis illis arboribus Judic. 9. respondent: Nunc cum oliva dicunt; *Numquid possum deserere pinguedinem meam?* nunc cum ficu; *Numquid possum deserere dulcedinem meam?* nunc cum vite; *Numquid possum deserere vinum meum, quod lætificat DEVM & homines? Non possum*; dicunt: quàmvis veriùs dicendum esset; *Nolo*. Sed amor immodicus & inveteratus jam ita invaluit; ut pro libertate induxerit Impotentiam. Ad alia, quantumvis ardua & horribilia, non deest animus, non desunt vires: audent congredi cum ursis & leonibus, ruunt in tela & ignes: ubi modicum flavescentis metalli deserendum est, aut DEI & salutis suæ causâ expendendum; ubi de umbra honoris punctum aliquod dimittendum; ubi Dalilæ alicuj renunciandum; ibi nec animus, nec vires suppetunt; non tantùm infirmi & impotentes homines, sed umbra sumus hominis.

Nimirum nescimus, quid possumus. Equidem si nos ijs solùm metiamur viribus, quas à natura accepimus; rectè dicimus: Nos non posse. At si ad divinum, quod nobis præstò est, auxilium attendamus: cum Apostolo fateamur, oportet: *Omnia possum in eo, qui me confortat*. Phil. 4. Et quidni possimus? Quæ enim sunt, quæ nobis mundus ostentat, tam pretiosa, tam gratiosa? Si ea penitiùs inspiciamus: videbimus inprimis simillima pomis Sodomiticis, externâ specie blandientibus, sed intus inanibus, imò fœtidum vaporem halantibus. Ridemus Japonum simplicitatem: quòd pro ingentibus divitijs habeant pictas in charta aviculas, tripodes & lebetes æneos, ollulas quoq; fictiles & fuliginosas, si sæculorum aliquot ætate commendentur. Unde non raro aliquid hujusmodi, non materiâ vel formâ, sed solâ antiquitate pretiosum, quinq; vel sex aureorum millibus venire solet. Dum autem Europæi nostri hanc pecuniæ profusionem rident: illi contrà nostrum rident morem, qui in unum lapillum, aut aliam hujusmodi rem, tantundem aut longè plus pretij insumimus.

Deinde quidquid sit de rerum mundanarum specie, pretio, & commodis: omnia hæc, quantumvis magna & deliciosa nobis videantur, vel unicus ille defectus minimi aut nullius valoris facit: quòd nimirum & in se caduca sint

duca sint atq; fluxa, & insuper innumeris, quibus pereant, exposita casibus ex incursu latronum, tempestatum, bellorum, hominum potentiorum &c. &c. unde in amatoribus suis plus anxietatis & mœroris parit eorum jactura, quàm gaudij adferebat possessio. *Gaudent in cibis, gaudent in pompis, gaudent in divitijs, gaudent etiam in vitijs homines: sed luctus extrema occupat ejusmodi gaudiorum; quia gaudium in materia convertibili mutari necesse est, re mutatâ*: inquit Bernardus Serm. quodam de fallacia præsentis vitæ.

Quid? si respiciamus ad gravissima pericula, in quæ non corpora solùm, sed animas conjicit rerum mundanarum possessio. Quid non incurritur anxietatis & periculi: *dum vendicas*, ut idem notat Bern. ep. 113. *dum defendis, dum invides, dum suspicaris; dum semper ambis, quæ non habes; & nonnullis adeptis, acquirendi non tepescit ardor; quæ requies in gloria tua? Si qua tamen est, præterit jucunditas non reditura, & manet anxietas non relictura*; fortè, ut plerumq; fieri solet, cum beatæ æternitatis jactura.

Hæc sic constituta, sic affecta mundi bona non possunt contemni? Non possunt deseri? Imò mirum est, posse retineri, posse æstimari, posse amari. Nescimus? DEUM multis dare multa bona temporalia: ut per ea calcata, vel piè erogata, obtineant cœlum?

FER. VI. post Domin. XI. post Pentec.

MEDITATIO: *De Potentia Dei, Christi & Deiparæ V. in Conservatione mundi.*

1. ADora DEUM O. M. & considera Potentiam ejus summam & indefessam in Conservatione mundi. Non minor enim virtus requiritur ad conservandum, quàm ad primò producendum: cùm per eandem, vel omnino æquivalentem, actionem res producantur, ac conserventur; & Conservatio non aliud sit, quàm continuatio creationis, seu primæ productionis, juxta SS. PP. & Theol. Tam debile enim est ESSE creaturarum, etiam maximarum, & spiritualium; ut, nisi omnipotente Creatoris manu sustentarentur, illico in originale suum nihil relaberentur. Præstat autem universalem hunc & assiduum concursum suum conservativum pari facilitate ac potentiâ. Unde Isa. 40. dicitur, *tribus digitis appendisse molem terræ*; scilicet Sapientiâ, Bonitate & Potentiâ, nunquam defessis in sustentatione mundi, quantumvis infinito innumerabilium peccatorum pondere gravati. O quantum, quàm intolerabile pondus addunt mea! Sustinuit tamen hactenus DEUS. At numquid sustinebit ampliùs?

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quasi duplici manu sustentare & conservare mundum. 1. per omnipotentiam naturæ suæ divinæ. Un-

vinæ. Unde Hebr. 1. dicitur *omnia portare verbo virtutis suæ.* Et Coloss. 1 *Omnia in ipso constant:* ideoq; Unigenitus DEI est quasi basis & fundamentum omnium creaturarum, ne recidant in nihil. 2. Per exhibitionem grandium meritorum suorum, quibus placat iratum Patrem; ne mundum, totum in maligno positum, velut pilam aut vivum carbonem, è manu sua excutiat, & in nihilum suum redigat, vel in statum annihilatione pejorem conjiciat. *Semper vivens ad interpellandum pro nobis* Hebr. 7. Quam igitur salutem per mortem suam contulit mundo D. JESUS, eam continuâ sollicitudine, & sanguinis meritorumque suorum applicatione conservare & promovere non desinit. Habet autem eam apud Patrem gratiam pariter ac authoritatem: ut semper exaudiatur pro reverentia sua. *Sciebam; quoniam semper me audis.* Joan. 11. Utiq; tibi debeo, Conservator mundi Potentissime, & Gratiosissime, quòd me hactenus Justitia Divina tolerârit. Fac cum servo tuo misericordiam in finem.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm Potens & ipsa sit in conservando mundo. In Hymno Græco apud Buteon. appellatur *Conservatio mundi.* Et visa subinde est, sagittas iræ divinæ, in regnorum interitum jaciendas, intercessione suâ confringere. Unde fidenter eam compellare licet cum S. Anselmo de Excell. Virg. c. 12. *Filius tuus erit ad concedendum, quidquid voles, promptissimus. Tantummodo velis salutem nostram; & verè nequaquam salvi esse non poterimus.* Non moriar, sed vivam; & misericordias tuas in æternum cantabo.

Proposit. v. gr. *de exhibenda Deo, Jesu & Mariæ majore gratitudine, manè & vespere pro beneficio conservationis ad eam horam.*

LECTIO PRACTICA.

Bene cœpta fortiter sunt promovenda & conservanda.

POtens & constans in mundi Conservatione DEUS admonet nos: ut ipsius exemplo bene cœpta fortiter promoveamus, & studiosè conservemus. Occurrerunt ipsi statim ab ipso exordio non pauca, nec levia, & etiamnum occurrunt innumera: ob quæ conditum mundum tanquam vas figuli confringeret, dissiparet, atq; in nihilum redigeret: pergit tamen in ejus conservatione, promovet debilia, restaurat collapsa, nec quidquam, quod à se requiratur, patitur deesse. Eandem & nobis incumbere curam & operam circa ea, quæ ad DEI gloriam, Ecclesiæ & Religionis bonum, atq; ad salutem tum nostram, tum proximorum moliti sumus, & mol[illegible]ur: testatur Apostolus, admonens Thessalonicenses: *Vos autem, Fratres, nolite deficere benefacientes.* Et Hebræos c. 6. *Cupimus unumquemq; vestrûm eandem*

ostendere solicitudinem ad expletionem spei usq; ad finem: ut non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientiâ hæreditabant promissiones. Nam ut scribit Cyprianus l. 1. ep. 5. *Parum est, aliquid adipisci potuisse: plus est, quod adeptum est, posse conservare;* Plurimùm autem; posse consummare.

Hieronymus lib. 1. contra Jovinian. *Non quæruntur,* ait, *in Christianis initia; sed finis & perseverantia. Paulus malè cœpit, sed bene finivit, Judæ laudantur exordia, sed finis proditione damnatur.* Et epist. 10. ad Fur. *Vidit Jacob DEUM in summitate scalæ, non in ejus initio vel medio: ut intelligeremus; non sufficere bene cœpisse, sed bene consummâsse. Cœpisse multorum est: ad culmen pervenisse, paucorum.* S. Laurentius Justinianus de ligno Vitæ c. 4. hanc constantiam, fortesq; progressus in bene cœptis, suspicit ut signum manifestum Prædestinationis ad gloriam æternam. *Perseverantia*, inquit, *& stabilitas in operatione, patenter ostendit; operantem in Electorum numero computandum.* Est enim ordinarium: ut, qui bene cœpta fortiter promovet, & in via divini obsequij per plana & ardua constanter progreditur, ad optatum beatumq; finem perveniat: quemadmodum Apostolus 2. Tim. 4. fidenter dixit: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: in reliquo reposita est mihi corona Justitiæ; quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex.*

Non pauci magno animo magna quædam moliri incipiunt: ubi autem difficultas aliqua occurrit, vel medijs necessarijs deficientibus, vel dicacibus criticorum linguis opus carpentibus, vel adversarijs contraria machinantibus, vel labore in tempus opinione longiùs procurrente: deficiunt animis, retrò respiciunt, & coronam sibi atq; operi suo paratam, turpiter prodigunt. Advertere hos inprimis oportet: ita res in præsenti statu comparatas esse; ut nihil alicujus momenti aggredi, nedum perficere possimus, præsertim quod ad DEI gloriam & salutem nostram æternam & negotium perfectionis pertinet; quod non sit plurimis difficultatibus obnoxium, & cui se non opponent complures, visibiles invisibilesq;, adversarij. Proinde antequam opus aggrediamur, prævidere, quantum fieri potest, hujusmodi obstacula oportet, & animum maturè tam contra prævisa, quàm improvisa, obfirmare insigni fortiq; resolutione. Deinde audiendus S. Gregorius 3. p. Pastor. c. 38. *Admonendi sunt*, inquit, *qui inchoata bona minimè consummant: ut cautâ circumspectione considerent; quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerint cœpta, convellunt.* Et sic ex labore suo nihil reportant, nisi detrimenta & improperia subsannantium: *Hic Homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.*

Imitandus Nehemias Ierosolymæ restaurationem aggressus: quem, licèt undiq; adversarij, etiam è populo suo, quà contumelijs, quà insidijs, vi & dolo impedire conarentur; ipse tamen fortis in opere cœpto pergebat; & invitatus dolosè à vicinis ad conferendum cum ipsis, & fœdus ineundum; nec paucis horis ab operis abesse sustinuit. *Opus*, ajebat, *grande ego facio: & non possum descendere, ne fortè negligatur.* 2. Esdræ 6. Simili constantiâ & gloriâ promovit opus suum Alexander Farnesius in oppugnatione Antverpiæ. Cùm enim admirandum pontem super Scaldim vastum flumen summâ celeritate & robore construeret, missum ex urbe, atq; à suis captum, exploratorem jussit castra & structuram pontis diligenter considerare, atque Antverpiensibus renunciare: Firmum fixumque esse Alexandro, ab obsidione non discedere: quàm aut sub illo (pontem monstravit) tumulum sibi condat, aut per illum viam sibi in urbem sternat. Sic evenit. Constantiam laboris eximia coronavit victoria. Strada lib. 6. Dec. 2. *Itaq; Fratres mei dilecti, stabiles estote & immobiles, abundantes in omni opere Domini semper; scientes, quòd labor vester non est inanis in Domino*: hortatur Apostolus 1. Corinth. 15.

SABB. post Dom. XI à Pentec.

MEDITATIO: *De Potentia Dei, Jesu & Mariæ in Gubernatione mundi.*

1. ADora DEUM O. M. & considera absolutissimam ejus Potentiam in gubernando mundo. Ut gubernatio alicujus communitatis vel regni bene procedat; requiritur non solùm potestas in gubernante, sapientia & bonitas, sed etiam potentia tali communitati proportionata: ut possit rebelles coërcere, delinquentes punire, & hostes infestantes propulsare. Hæc omnia summa sunt in DEO. *Quis restitit ei, & pacem habuit?* Job 9. Restitit Lucifer, Pharao, Nabuchodonosor: quantâ clade suâ! *DEUS, cujus iræ resistere nemo potest.* Ibid. *Adducit consiliarios in stultum finem, & judices in stuporem: baltheum regum dissolvit, & præcingit fune renes eorum.* Job. 12. Quantis supplicijs, internis & externis, animadvertit in impios? Quàm rigidos & celeres habet vindicis Justitiæ suæ satellites? *Non est, qui effugiat manum tuam.* Job 13. Quàm fortis & invictus stat pro populo suo? *Nihil proficiet inimicus in eo.* Psal. 88. O potentissime Universi Rector, *Magnus es tu, & præclarus in virtute tua, quem superare nemo potest. Tibi serviat omnis creatura tua.* Judith 16.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quoq; cum summa potentia præesse mundo. Ad ipsum pertinet illud Psal. 92. *Dominus regnavit,*

gnavit, *decorem indutus est*; post passionem & mortem: *indutus est dominus fortitudinem, & præcinxit se*, baltheo scilicet immortalitatis & supremæ potestatis, *quâ etiam possit subjicere sibi omnia*, Phil. 3. Non solùm fortis est, sed omnipotens. Habet insuper promptos ad nutum innumeros potentissimorum spirituum, bonorum & malorum, exercitus, quorum unus sufficit debellando orbi, & omnibus impijs perdendis. Quare ergo temere fremuerunt gentes contra Christum Domini, & populi meditati sunt inania contra Ecclesiam ejus? *Qui habitat in cœlis, irridebit eos: & Dominus* sedens ad dexteram Patris, omniaq; nutu gubernans, *subsannabit eos*. Psal. 2. Ego autem confitebor in sæcula: quia non est sapientia, non est consilium, non est potentia contra Dominum, & contra Christum ejus. Ipsi gloria & imperium in sæcula.

3. VEnerare DEIparam V. & considera ipsam, ut potentissimam totius mundi Gubernatricem. *Hæc in cœlis Regina Sanctorum, & in terris Regina regnorum est*: inquit Rupertus in Cant. 4. Non est autem Regina, quæ solùm, ut idolum quoddam, adoretur, & nihil attingat gubernationis: sed est Regina regnans, illiq; post Sapientiam Divinam accommodari solet illud Prov. 8. *Per me reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Quàm suavis, tam potens est ipsius gubernatio; tota, non ad interitum, sed ad salutem directa. Subest & ipsi, cùm voluerit, posse. Impera igitur, rege & guberna, ô Augustissima: præstò est ad omnem nutum servus tuus.

Proposit. v. gr. *de excipienda reverentissimè & promptissimè omni gubernatione superna circa nos.*

LECTIO PRACTICA.

Quâ fortitudine opus sit cuivis Superiori in gubernando.

TRia potissimùm requirunt non vulgarem fortitudinem in Superioribus quibusvis, Sæcularibus, Ecclesiasticis & Religiosis. 1. Negotia ex vi muneris sui sustinenda, promovenda, conficienda: quæ quò sunt plura majoraq;; plus important curarum & difficultatum. Negotiorum autem alia sunt temporalia, alia spiritualia: utraq; habent sua gravamina. Quædam agenda sunt per ipsosmet Superiores; & hæc per se premunt humeros & capita eorum. Alia per Procuratores aliosq; ministros: & hi non rarò plus important oneris & curarum Superiori, quàm ipsa negotia. Deinde publicis accedunt privata, propriam concernentia conscientiam & animam. De utrisq; severa reddenda ratio: utraq; ita procuranda: ne, cùm alijs prædicaverimus, alios per vias rectas deduxerimus, ipsi reprobi efficiamur. Hinc

se ipsum

se ipsum arguit S. Bernardus Serm. 30. in Cant. explicans illa verba Sponsæ: Posuerunt me custodem in vineis; vineam meam non custodivi: *Ego*, inquit, *loci hujus occasione me ipsum reprehendere soleo: quòd animarum susceperim curam, qui meam non sufficerem custodire.* Miratur deinde audaciam plurimorum: qui cùm de proprijs vitibus suis non colligant, nisi spinas & tribulos; *vineis tamen Dominicis etiam se ingerere non verentur.*

2. Fortitudinem non vulgarem requirit Correctio subditorum errantium. Cùm enim in horum numero non pauci sint cervicosi, & monitoribus asperi; quidam verò authoritate pollentes; alij specialibus titulis Prælatorum occupaverint gratias: facilè contingere potest: ut vel nimiâ dissimulatione, vel ex metu & respectibus humanis non satisfaciant muneri suo, negligantq; quod Apostolus requisivit 2. Tim. 4, *Insta opportunè importunè: argue, obsecra, increpa, in omni patientia & doctrina:* atq; sic aliena peccata, consequenter & supplicia, faciant sua. Fidenter dicit S. Prosper lib. 1 de vita Contempl. c. 20. *Illum, cui dispensatio verbi commissa est*, (sive per Prælaturam, sive per munus concionandi, aut à peccatis absolvendi) *etiamsi sanctè vivat; si tamen perditè viventes arguere aut erubescat, aut metuat: cum omnibus, qui eo tacente peribunt, periturum esse.*

Sic proprium & alienum peccatum luit Confessarius, de quo tradit *Pedagogus Christ. tit. Confess. c.* 14. Is benigniore, quàm par erat, interpretatione usus, absolutionem Sacramentalem, quam alibi obtinere non poterat, dabat insigni Usurario in Italia. Quare tam familiarem habuit hominem usurarius, ut fere quotidie mensæ suæ adhiberet. Accidit: ut, cùm liberaliùs una cœnâssent, & Confessarius jam domum se recepisset; subitâ morte extinctus sit ille. De nocte adfuerunt duo Orci genij, ephebos mentiti, Confessarium è cœnobio evocantes ad amicum periclitantem. Miratur iste repentinum morbum, & sine mora socio assumpto advolat. Jam in forum devenerant: dum cernit usurarium, lunæ beneficio, in talari tunica inambulantem: quem, non sine stomacho, percunctatur: num se rideat? Respondet alter alto cùm gemitu: se vivis excessisse, æternis pœnis addictum ob usuras, & potissimùm ob sacrilegum Sacramentorum usum: in quo cùm ipse partem non minimam habeat, ob neglectum debitæ correptionis officium, unà secum æternis inferorum supplicijs cruciandum. Quo dicto, immani terra hiatu panditur, & hos duos simul cum ephœbis illis Tartareis deglutijt, attonito, & in mortuum simili socio relicto; qui Superiori omnem actæ rei tragœdiam enarravit.

sed

3. Fortem esse Superiorem oportet: ut illatas sibi injurias sustineat, non vindicet, devoret, condonetq; subditis. Positus enim & ipse est in signum, cui contradicetur. Unde P. Claudius Aquaviva Præpositus Generalis S. J. (dum eligeretur, à S. Ignatio DEIparæ præsentari, & post mortem ab eodem ad cœlum deduci, visus) Indust. c. 14. n. 3 Superiorem monet: *Si subditus murmuret, aut conqueratur contra illum; factus velut homo non audiens, caveat diligentissimè; ne aut cum eo, qui detulit, aut cum alio quopiam ita loquatur, ut ostendat se vulneratum.* Quod quantam animi requirat fortitudinem, quis non videt? Verè Chrysostomus hom. 1. in ep. 2. ad Timoth. *Quantâlibet quisq; virtute animi polleat; cùm tamen Ecclesiæ,* aut cujusvis alterius communitatis, *gubernacula suscipit: insperatis fluctibus quatitur; & varijs undique negotijs actus, penè submergitur.*

Quemcunq; igitur mordet ambitio aliqua, vel curiositas experiendi, quid sit esse cæteris Prælatum? metiatur vires suas; an possit cum decem millibus occurrere ei, qui cum viginti millibus curarum, molestiarum, & periculorum, venit ad se? Alioquin legationem mittens roget ea, quæ pacis sunt.

DOM. XII. post Pentecosten.

De Opere Omnipotentiæ divinæ primo die mundi conditi: & quomodo ad illud concurrerit JESUS & MARIA.

1. ADora DEUM O. M. & considera 1. quomodo, operaturus ad extra, *in principio creavit cœlum*, empyreum, *& terram.* Gen. 1. Mirabilis artifex! fundamentum simul posuit & fastigium. *Creavit:* ex nihilo produxit, idq; momento uno. Et hæc ingentia corpora, immensis spatijs à se dissita (solâ interjacente abysso aquæ, instar vaporis raræ) ita fundavit firmavitq;: ut nulli alteri fundamento incumberent, perpetuâ tamen soliditate starent. 2. Terram quidem creavit inanem & vacuam, cœlum autem refertum novem Angelorum ordinibus, multitudine innumerabili, decore incomparabili; qui spectatores essent, admiratores, & encomiastæ admirandi operis, quod patraturus erat. 3. *Spiritus domini ferebatur super aquas,* interjacentes inter supremum cœlum & terram: jam tunc fœcundans illas, non solùm ad generandos pisces & aves, sed etiam ad regenerandos olim homines per gratiam. 4. Creavit Lucem, divisitq; eam à tenebris, appellans lucem Diem, tenebras autem Noctem. Quàm sapiens, quàm potens architectus DEUS! Quàm bonus Dominus, qui non terram solùm, verùm & cœlum creavit pro hominibus!

2. Adora

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum, ut DEUM, concurrisse ad creationem cœli, & terræ, & totius mundi, tum ut Causam efficientem; cùm omnia opera ad extra communia sint toti SS. Trinitati: tum ut Ideam; cùm sit Sapientia Patris, repræsentans omnia creabilia, tanquam clarissimum eorum archetypon. Secundùm Humanitaté habuit rationé Causæ Finalis, non ultimatæ, primariæ tamen respectu hominum & Angelorum. Si enim propter servos electos paratum est regnum cœlorum, Matt. 25. quantò magis propter Filium, qui naturalis est hæres omnium; & prævisus fuit, illud præ cæteris omnibus meriturus. O si & me aliquando in possessionem illius regni vocares, tuumq; cohæredem faceres, Gratiosissime JESU? At ea hæreditas non aditur sine labore.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; in mente & voluntate Creatoris DEI habuisse rationem Causæ finalis primariæ post Christum: adeoq; totam SS. Trinitatem speciali titulo, & singulari cum gustu, ipsi præparâsse Cœlum tanquam regiam splendidissimam; terram autem tanquam theatrum misericordiæ & beneficentiæ. Deinde per ipsum Cœlum, Terram & Abyssum aquarum adumbravit eam DEUS. Ipsam enim meritò appellat *Cœlum animatum* S. Damascenus Ser. in Dormit. B. V. *Terram Virginem* S. Bonav. in Spec. c. ult. *Abyssum gratiarum* Idiota p. 14. Contempl. 24. At ego abyssus peccatorum, terra inanis & vacua, infernus potiùs, quàm cœlum! Converte, & reforma me, obsecro, ô Potentissima. Proposit. v. gr. *de Gratitudine majore pro beneficio Creationis mundi, præsertim Cœli.*

LECTIO PRACTICA.

Quomodo ex Opere I. Diei in Timore & Amore DEI proficere debemus.

NOn multis aut alijs ad hoc opus est argumentis: quàm ut oculos animosq; nunc deprimamus ad Terram, nunc attollamus in Cœlum, & penitiùs inspiciamus Magna hæc & Prima Opera Domini. *In principio creavit DEUS cœlum & terram.*

In superficie terræ quod videatur primo die, nihil est. *Terra autem erat inanis & vacua.* Si interiora ejus inspiciamus: videbimus in ipso ejus centro ingentem ardere rogum: Infernus occurret. O quanta quanti Timoris causa! Quidquid horrificum, metuendum ac tremendum concipere possumus, jam dixi: quando *Infernum* dixi. Est enim locus, seu carcer omnium ineffabilium malorum aggregatione horribilis. Tormenta illius notiora sunt 1. Ignis: sed elementari nostro incomparabiliter ardentior. De illo dicit DEUS ipse Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni*

inferni novissima. Et S. Hieronymus in Pam. *In uno igne*, inquit, *omnia supplicia sentiunt in Inferno peccatores.* 2. Tenebræ palpabiles: de quibus Matt. 22. locutus est Christus, quando non habentem vestem nuptialem jussit mitti in tenebras exteriores. Ignis enim ille tenebrosus est. 3. Vermis: omni serpente, scorpione, dracone pejor; & quidem duplex: unus Interior, qui perpetuò Conscientiam rodet; de quo dicitur Isa. 66. *Vermis eorum non morietur:* alter Exterior, de quo Judith c. 16. *Dabit ignem & vermes in carnem eorum, ut urantur & sentiant usq; in sempiternum.* 4. Monstra & spectra horribilissima dæmonum, de quibus est illud Apoc. 12. *Væ terræ & mari! quia descendit diabolus ad vos, habens iram magnam.* 5. Locus ærumnosissimus, quem Job. c. 10. appellat *Terram miseriæ & tenebrarum, ubi umbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* 6. Fœtor intolerabilis, de quo Isa. 34. *De cadaveribus eorum ascendet fœtor*, ex continua ustulatione per ignem sulphureum. 7. Frigus acutissimum, de quo Job. 24. *Ad nimium calorem transeat ab aquis nivium.* 8. Tempestas & turbo violentissimus, de quo Isa. 30. *Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eum,* Et Psal 10 *Ignis & sulphur, & spiritus procellarum pars calicis eorum.* 9. Societas damnatorum pessima & afflictissima, simulq; rabida, atq; ita compacta, ut alter alteri faciat angustias: de qua Psal 48. *Sicut oves in inferno positi sunt.* Et Matt. 13. *Alligate ea*, zizania, *in fasciculos ad comburendum.* 10. ÆTERNITAS omnium istorum, & infinitorum aliorum malorum: juxta illud Christi Matt 25. *Discedite à me, maledicti, in ignem æternum.* Quis recolat attentâ mente hanc pœnarum infernalium decadem: & non timeat offendere eum, qui potest, soletq;, & corpus, & animam mittere in gehennam? *Ita; dico vobis: hunc timete* Luc. 12.

Si verò oculos mentemq; attollamus in Cœlum: quanta ibi Amoris ergà DEUM argumenta? Quod ibi fundatum est Regnum DEI, amplitudine immensum, divitijs, voluptatibus, splendore infinitum; etiam nostrum est Regnum, à gratiosissimo Conditore & Domino *paratum nobis à constitutione mundi.* Matt. 25. ut, quod Propheta, Baruch. 3. dixit ad Israëlitas: *O Israël, quàm magna est Domus DEI, & quàm ingens locus possessionis tuæ!* quisq; proborum fidelium dicere possit animæ suæ: O anima, quàm magna est Domus DEI, & quàm ingens locus possessionis tuæ! Splendor, opes, & deliciæ hujus regni, ut nobis in umbra quadam innotescerent: exhibitum est S. Joanni Apoc. 21. tanquam nova quædam & sancta Jerusalem, descendens à DEO, sicut sponsa ornata viro suo, habens claritatem DEI, & lumen ejus simile lapidi pretioso tanquam lapidi jaspidis sicut crystallum. Et erat structura mu-

ctura muri ejus ex lapide jaspide, ipsa verò civitas aurum mundum, simile vitro mundo: & fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata. Et 12 portæ 12 margaritæ sunt, & platea civitatis aurum mundum tanquam vitrum perlucidum. Et civitas non eget sole, neq; lunâ, ut luceant in ea: nam claritas DEI illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus. Et audita est vox magna de throno: *Ecce tabernaculum DEI cum hominibus, & habitabit cum eis: & ipsi populus ejus erunt, & ipse DEUS cum eis erit eorum DEUS.* Et quidem DEUS ipse erit illis *Omnia in omnibus*, teste Apostolo 1. Cor. 15. ut nullum omnino boni alicujus sint passuri defectum; & bonum omne habituri modo optimo. Tunc mirabitur, & dilatabitur, & superaffluet gaudio æterno & sincerissimo cor nostrum: & regnabimus cum DEO nostro in gloria cœlesti inenarrabili: & regni nostri non erit finis.

Quis non amet talem DEUM? Numquid hoc unicum argumentum, quòd nobis Cœlum condiderit in regnum æternum, non sufficiet: ut ametur æternùm ex toto corde, totis viribus, Anima tota?

FERIA II. post Dom. XII. post Pentec.

MEDITATIO: *DEUS secundâ die producit Firmamentum, Symbolum JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera eum, secundâ die dicentem: *Fiat Firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et factum est ita: vocavitq; DEUS firmamentum Cœlum.* Hoc Firmamentum est cœlum sidereum, in quo postea condidit DEUS stellas fixas. Est autem solidissimum instar crystalli, vel ut dicitur Job 35. tanquam ære fusum. Ipso igitur tanquam ingenti crystallino fornice, divisit DEUS immensam illam aquarum abyssum, ponendo partem illarum supra firmamentum, aliam infrà relinquendo. Eodem die etiam alios cœlos, in quibus decurrunt planetæ, conditos esse, volunt non pauci. Putant quoq; nonnulli: eodem die peccâsse Angelos, & divisos esse bonos à malis. Magnus in omnibus, & mirabilis in altis Dominus! Benedictus es, Domine, in firmamento cœli: & laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula. Laudate eum, cœli cœlorum: & Aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini. Quia ipse dixit, & facta sunt: ipse mandavit, & creata sunt.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum tanquam Firmamentum quoddam solidissimum constitutum esse 1. Quia medius est secundùm Personam suam humano-divinam, inter DEUM & hominem purum. 2. Quia Potentissimus Mediator est inter Patrem, & genus humanum. 3.

Quemadmodum firmamentum, licèt ab initio statim nulla terrenâ, vel aliâ labe, fuerit inquinatum; non tamen statim in eo refulserunt sidera, nec tam formosa, ut nunc, splendebat facie: ita Christus primùm apparuit humilis, ignobilis, obscurus: donec à Patre vestiretur stolâ gloriæ æternæ, & vulnera verterentur in sidera. 4. Dividit nunc aquas ab aquis, populos fideles ab infidelibus, hæreticos ab orthodoxis, per soliditatem doctrinæ suæ; divisurus postea æternùm per sententiam decretoriam, malos à bonis, reprobos ab electis. O voca me cum benedictis, & attolle super cœlos cum electis, in horribili illa divisione, Misericordissime JESU! super hoc firmamentum pono spem meam.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam cum S. Chrysostomo Orat. in hypap. ut *Firmamentum Ecclesiæ*, sustinens & attollens fideles à colluvie vitiorum mundi; cum S. Sabba in Mæneis 2 Julij ut *Firmamentum gloriæ inæstimabilis*, *consolidatum à DEO* in omnigena gratia & virtute: cum Idiota p. 14. Contempl. 12. ut *Firmamentum cœli, in quo DEUS specialiter benedicitur, juxta Daniel. 3. Benedictus es, Domine, in firmamento cœli*: cum S. Damasceno in Paracl. B. V. ut *Firmamentum cordis nostri*, cogitationes & affectus ejus attollens, ac separans à terrenis. Sis mihi, obsecro, ô Gratiosissima, firmamentum tale: firma me in bonis propositis, & nôn sinas cor meum in turbidis & fœculentis mundi aquis fluctuare & mergi. Attolle illud: ut jugiter benedicat DEUM in firmamento cœli.

Proposit. v. gr. *de constantia in bonis propositis amore DEI, JESU & MARIÆ. Amor istorum sit firmamentum illorum.*

LECTIO PRACTICA.

De insigni Fiducia in DEUM, concipienda ex Opere 2. diei.

QUod contigit Mundo majori in Infantia sua: idem sæpe contingit homini, mundo minori, in vita mortali. Operuerat illum undiq; abyssus aquarum infinita: contexerant insuper tenebræ profundissimæ: quis putâsset, eum tam facili negotio emersurum, prout emersit? Et tenebras quidem Conditor omnipotens magnâ ex parte sustulit statim primo die, creatâ in medio aquarum luce aliquâ: divisionem autem aquarum & productionem Firmamenti distulit ad secundum.

Sic procedit plerumq; etiam cum mundo minore. Involvit enim non rarò hominem tantâ tribulationum inundantium mole: ut cum psalmographo jure queratur: *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me. Laboravi clamans, raucæ factæ sunt fauces meæ: defecerunt oculi mei; dum spero in DEUM meum.* Psal. 68. Insuper tam densa mœroris caligo involvit animum: ut nullum ap-

lum appareat lumen cœli; nec aliquis hominum opportuno consilio vel auxilio dissipet noctem illam. Pro tam luctuoso statu suggerit quidem S. Ambrosius remedium Orat. 1. in Satyr. *Depone mærorem, si potes. Si non potes: include. Aut absorbendus omnis, aut premendus est dolor. Cur enim mæstitiam tuam non ratio potiùs, quàm dies, leniat? Nám quod obliteratura est temporis series, meliùs prudentia mitigabit.* Verùm sæpe nec naturalis prudentia, nec supernaturalia principia sufficiunt ad dissipandam animi noctem, & depellendas inundantium tribulationum aquas. Quid tunc consilij & auxilij?

Non facilè præsentius occurret: quàm ut tunc nos Pœnitentiæ diploïde involvamus; existimantes; nos hæc meritò pati pro peccatis nostris: & sicut Jonas non tantùm in maris profundo fluctuans, sed etiam ventre Ceti conclusus, cum firmissima Fiducia expectemus solatium & auxilium ab ipso Domino, dicentes cum S. Psalte: *Auxilium meum à Domino, qui fecit cœlum & terram.* Psal. 120. Ipse, ubi ei visum fuerit, & mihi consultum, dicet: *Fiat Lux*; & dividet aquas ab aquis, statuetq; solidum inter eas Firmamentum, & faciet non solùm apparere Aridam, sed etiam germinare fructus amœnissimæ jucunditatis. Qui Ionam è corde maris & ventre ceti salvum eduxit; qui infantem Zelandum in aquarum inundatione protexit: & mihi Providentiâ suâ paternâ non deerit, præsertim in ipso solo confidenti. Evenit anno 1570. ut nocturno tempore, ante lucem omnium Sanctorum, Oceani exundatio hauriret aliquot Zelandiæ insulas, magnam Hollandiæ partem, totamq; ferè Frisiam, strage non modò fortunarum incomparabili, sed hominum quoq;, vel in sola Frisia viginti millium. Submissi cum cymbis per dies subsequentes, ut naufragij reliquias colligerent, nonnullos superstites in collibus & arboribus, extremum spiritum trahentes, excepêre; interq; eos Senecensi in colle repertum Infantem, illuc cum fele cunis advectum, placidissimè dormientem, diluvij & naufragij omnino securum. *Engelgr, post Epiphan. Dom. 6.* Si nos sciamus in sinum maternum Divinæ Providentiæ cum firma fiducia recipere: Sciet DEUS opportuno tempore auxilium adferre, etiamsi interim nihil largiatur solatij liquidioris.

Est ipsi gratissimum, quando deficiente non solùm auxilio ad evadendum, sed etiam solatio ad persistendum, Fiduciam tamen in illum, & perseverantiam in patientia non deserimus. Vidit aliquando pia Matrona in Sacrificio Missæ post Elevationem tres Moniales ante aram flectentes, & ad eas pulcherrimum Puerulum de altari properantem: qui primam quidem amorosè amplexus est, & desuaviavit; secundam blandis oculis, remoto velo, aspexit, tertiam verò pugno percussit, & pedibus trusit, iterumq;

ad altare redijt. Cùm verò Matrona factum hoc mirata summopere, causam illius rogâsset, audijt: tertiam Monialem valde nutare in proposito, statimq; redituram ad sæculum; nisi consolationibus cœlestibus in proposito firmaretur: Alteram constantiorem esse, & contentam, modò aliquid saporis cœlestis interdum degustare detur: Primam verò adeò in amore DEI firmam esse; ut nullis se adversitatibus ab eo separari sinat; & hanc sibi ex omnibus illis tribus charissimam esse. *Specul. Exempl. V. Tribulatio. Ex. 6.*

Bene Magnanimus Job. c. 13. de DEO: *Etiamsi occiderit me; in ipso sperabo.* Subtrahat mihi solatia & subsidia omnia, & insuper plagis afficiat lethalibus; adhuc in ipso sperabo. Non proponam ei justitias meas, sed confitebor culpas. *Veruntamen vias meas in conspectu ejus arguam: & ipse erit Salvator meus.*

FER. III post Dom. XII. post Pent.

MEDITATIO: *DEUS tertiâ die fundat maria, detegit terram, & cum ea producit herbas & plantas, Symbola JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera verbo virtutis suæ congregantem aquas in certa loca, & congregationes illas aquarum appellantem *maria*: simul legem aquis ponentem, ne transirent fines suos. Psal. 103. &, quod mirabile, ex levi arena constituentem illis terminos. *Posui vectem & ostia, & dixi: hìc confringes tumentes fluctus tuos.* Job. 38. Utinam homines tam morigeri essemus, & æstu affectuum pravorum non raperemur ultra limites mandatorum divinorum! 2. Jussit, ut appareret arida seu terra: & mox ingentes sese aperuerunt sinus intra & supra terram ad recipiendas aquas; *ascenderunt montes, & descenderunt campi in locum, quem fundavit eis.* Psal. 10. At nos dedignamur humilia, assurgimus in montes etiam invito DEO. 3. Plantavit Paradisum; & jussit: ut terra germinaret herbam virentem & ligna fructifera. *Et factum est ita.* O fiat ita & in me, Omnipotens DEUS. Quamdiu sterilis, arida & inanis manebit anima mea? Quando tibi germinabit optatos fructus? Emitte Spiritum tuum & creabuntur.

2. ADora D. JESUM, & considera eum 1. jam ut Mare Orientale infinitis & pretiosissimis gratiarum margaritis ditissimum; jam ut Mare rubrum, proprio sanguine tinctum, per quod, non jam eamus trepidi, ut Israëlitæ, sed flante suaviùs Divino Spiritu, navigemus læti in terram promissionis. 2. Ut lignum vitæ, *per menses singulos reddens fructum suum, & folia ligni ad sanitatem gentium.* Apoc. 22. Ut *germen Domini in magnificentia*

entia & gloria, & fructum terræ sublimem: Isaiæ 4. Sublimem in ligno crucis, sublimem & in præsepio stabuli; sublimem in glorioso monte Thabor inter Moysen & Eliam, sublimem & in infami monte Calvariæ inter latrones. Ubique Dominus JESUS sublimis. Nec me inferiora deprimient vel minuent; quin potiùs extollent, si JESU amore illa elegero.

3. VEnerare DEIparam V. & considera illam cum S. Chrysostomo homil. in Christi Nat. ut *Mare spirituale, margaritam cælestem habens Christum*: cum S. Sabba in Mænæis 8. Febr. ut *Mare immensum gratiarum*: cum Andrea Cretensi Or. 2. in Annunc. ut *Mare infernali Pharaoni fatale*: at populo DEI salutare: ut *Mare Pacificum*, nullis passionum tempestatibus obnoxium. Suspice illam cum S. Athanasio Or. in Purif. B. V. ut *Paradisum novum divinâ plantatum manu*, nescientem ullum serpentem, plenum deliciarum cœlestium. O pascar hoc Paradiso: mergar hoc mari; ut feliciter emergam in beatam immortalitatem!

Propositun, v. gr. *de elevanda mente ad DEUM, JESUM & MARIAM ex conspectu aquarum, camporum, montium, &c.*

LECTIO PRACTICA.

De fructibus aridæ Orationis ex Opere 3. diei colligendis.

COntingit non rarò: Homines etiam valde probos, ita consolationibus divinis tempore non modico destitui, & quodammodo, instar Terræ secundo die aridæ, planè exarescere; ut cum sacro Psalte clamare oporteat ad Dominum; Ecce *anima mea sicut terra sine aqua tibi: Velociter exaudi me, Domine, defecit spiritus meus*. Nullus est sapor in Oratione, multus languor in actione & studio virtutum: nec fructus apparet ex oratione, nec profectus in virtute. Reflectere se tunc oportet, & advertere: an hæc Ariditas proveniat ex aliqua negligentia nostra; vel nobis facientibus, quod ex parte nostra requiritur? Primum evenit, ut notat Lancicius Opusc. 7. c. 14. Si 1. non ritè accedamus ad orandum, præsertim mentaliter, v. gr. non prævisis bene atq; digestis punctis. 2. Si post puncta meditanda bene præparata, voluntariè nos distrahamus ante orationem immediatè. 3. Si, dum oramus, sensus non custodiamus, quâ par est, diligentiâ. 4. Si in ipsa oratione distractiones occurrentes non statim rejicere studeamus. 5. Si non expleamus totum tempus præscriptum. 6. Si indecoro situ oremus: in quali nimirum nollemus inveniri ab eo, quem reveremur, vel timemus Qui in his delinquit; non miretur ariditatem & tædium animæ suæ in oratione: nec speret à DEO consolationem aut alios pios affectus, quamdiu se in illis non correxerit.

Qui verò in dictis non delinquit: non est, cur se accuset de malè facta oratione, etiamsi non senserit ullum pium affectum, (ait peritissimus spiritûs Magister, citatus Lancicius) nec scrupulis angatur. Exercet enim Dominus hujusmodi ariditatibus animas etiam valde sibi charas; vel ad satisfaciendum pleniùs pro culpis & defectibus anteà commissis, (cùm enim talis oratio satis gravis & molesta sit volenti sincere placere DEO; dubium non est, eam esse satisfactivam) vel ad magis cumulanda merita. Augetur autem meritum, cæteris paribus, in oratione distracta involuntariè, & arida seu desolata: 1. Quia talis oratio humilitatem excitat, quam non excitat sensibiliter devota, imò præbet occasionem superbiæ, vel vanæ gloriæ. *Prona siquidem mens est, dum devotionis gustu tangitur, elevari de munere:* ait S. Laurentius Justin. c. 16. fascic. Amoris 2. In oratione arida exercetur Patientia, dum æquo animo toleratur piorum affectuum, & specialium gratiarum defectus, insuper tædium & mœror. 3. In oratione arida exercetur insignis Fortitudo: dum non obstante impetu distractionum & tentationum, persistimus & pergimus in opere satis insipido & gravi. 4. Major ostenditur erga DEUM amor, dum propter ipsum non desistimus à cœpto; & nos planè resignamus in divinam ejus voluntatem. 5. Exercetur actus Obedientiæ: dum licet reluctante parte inferiore, ex præcepto Ecclesiæ, vel Religionis præscripto peragimus orationes debitas. 6 Dolere pronum est de peccatis nostris, quibus meremur subtractionem specialium, imò & ordinariarum gratiarum. 7. Deniq; humiles agi gratiæ solent Divinæ Bonitati, quòd pejora meritos tam levi vexatione exerceat.

En qualia quantaq; germina producit Arida nostra, dante Domino, benignitatem! Fœcunditas hæc tantò major est, quantò pretiosiores sunt, quos dat, fructus. De orbe terrestri dicitur Gen. 1. quòd die tertio *protulit terra herbam virentem, & facientem semen juxta genus suum, lignumq; faciens fructum, & habens unumquodq; sementem secundùm speciem suam. Et vidit DEUS, quòd esset bonum.* At Arida nostra, si inculpabiliter talis est, profert è visceribus suis herbas & fructus, non animalibus tantùm utiles ad pastum; sed Angelico & Divino gustui suavissimos: & hi ipsi sunt Semina præmiorum æternorum, imò & specialium consolationum temporalium. Quomodo arrideant gustui Divino, revelatum est S. Ludovico Bertrando, prout scribit in ejus Vita Vincentius Justin. c. 12. Cùm enim quâdam die post Matutinum in choro absolutum, ad suam cellam rediret, & molestâ quâdam cogitatione infestaretur, audivit cœlitùs vocem: *DEO magis placet afflictio cordis, contritio & tribulatio; quàm dulcedo, solatium & consolatio.* Quantorum præ-

rum præmiorum sint semina fructus illi aridi; patet ex Vitis PP. apud Ruffin. libr. 3. Cùm enim quidam senex varijs cogitationibus tentaretur; ut nec orationem facere posset fructuosam, ut ipsi videbatur, per annos decem; desperare cœpit, dicens: Perdidi animam meam: sed quia semel perij, revertar ad sæculum. Cùm autem proficisceretur, venit ad eum vox dicens: *Decem anni, in quibus certâsti, Coronæ tuæ erunt. Revertere ergo in locum tuum; & ab omni mala cogitatione libero te. Et statim regressus, permansit in cœpto opere.* Boverius quoq; in Annal. Capuc. An. 1580. tradit de Alexandro à Butrio: quòd, cùm adhuc Novitius esset; Marius Magister Novitiorum viderit, super caput ipsius, cum cæteris in Ecclesia orantis, splendidissimam coronam descendere de cœlo. Post orationem quæsivit: quid eo tempore divinum meditatus esset? Respondit: Heu Pater! Tot pravæ cogitationes mentem invaserunt; ut, quidquid agerem, nihil boni agere potuerim. Agnovit ergo Magister: Coronam illam aridæ orationis præmium fuisse.

FER. IV. post Domin. XII. post Pentec.

MEDITATIO: *DEUS quartâ die producit Solem, Lunam, & Stellas, Symbola JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera evocantem ex thesauris Omnipotentiæ suæ duo luminaria magna, Solem & Lunam cum minoribus alijs innumerabilibus. *Fiant luminaria in firmamento cœli, & dividant diem ac noctem, & sint in signa & tempora, & dies, & annos; ut luceant in firmamento cœli, & illuminent terram. Et factum est ita.* Quale & quantum luminare, Sol? *Oculus mundi, Rex astrorum, Vas admirabile, Opus Excelsi! In conspectu ardoris ejus, quis poterit sustinere? Magnus Dominus, qui fecit illum: & in sermonibus ejus festinavit iter;* quod nempe illi præscripsit Sapientia Divina. Prodijt cum Sole Regina militiæ cœli Luna, *Vas castrorum in excelsis, in firmamento cœli resplendens gloriosè.* Eccli. 43. Stellarum firmamenti quanta copia, quantus decor, quanta virtus? *Species cœli gloria stellarum.* Ibid. Quodsi horum ignium cœlestium, qui sunt velut radij quidam Majestatis divinæ, delectamur specie: *Sciamus oportet, quantò his dominator eorum speciosior est!* Sap. 13. O magne siderum conditor & rector, quantum tibi debemus pro tam speciosis cœli facibus! Sed adjice lumen gratiæ tuæ, illumina vultum tuum super nos: ut te in omnibus & super omnia pleniùs agnoscamus & glorificemus.

2. ADora D. JESUM, & considera, quod est Sol inter ignes cœli minores, hoc Christus est inter homines & Angelos Sanctos. Imò infinities minor est proportio inter illum & istos, quàm inter solem & minimas stellas. Luminare mysticum, quo majus dari non potest. Illuminat omnē hominem venientem in hunc mundum, & de plenitudine ejus accipiunt omnes. Ipsam cœlestem Jerusalem, cui illustrandæ non sufficerent Sol & luna cum toto astrorum choro, illuminat ipse copiosissimè. *Lucerna ejus est Agnus*, Apocal. 21. Præest non solùm diebus & annis mortalis vitæ nostræ, sed toti felici & infelici æternitati. Sine ipso nox est etiam in splendoribus dignitatum & prosperitatum! cum ipso dies est serenissima, etiam in caligine & tempestatibus adversitatum. Exorere ergo, exorere mihi, & nunquam occumbe, Lux mea, Sol mi, JESU. Quod mihi gaudium, quis serenus potest esse dies sine Te?

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut *Signum* illud *magnum*, quod Apoc. 12. *apparuit in cœlo*: Matrona scilicet cœlesti cultu corporis gloriosa, amicta sole, calceata lunâ, & stellis 12. coronata. Qui habitus denotat: omnem cœlestium luminum virtutem & speciem in splendorem atq; ornamentum hujus magni Luminaris confluxisse: nec posse nos luminis aliquid desiderare; quod ex illo non liceat haurire abundè diu noctuq;. Quòd præsit diei hujus vitæ, indicat amictus solaris: quòd præsit & nocti lethalis horæ, denotant stellæ coronantes & luna suppedanea. Illumina igitur, ô Serenissima, oculos meos, ne unquam obdormiam in mortem, & tenebris involvar æternis.

Propositum, v. gr. *de mente elevanda ad DEUM, JESUM & MARIAM ex conspectu siderum; & ardentiùs expetendo lumine cœlesti.*

LECTIO PRACTICA.

Quomodo Opera 4. Diei repræsentare debent Servi DEI, præsertim Ecclesiæ Ministri.

1. SOlem repræsentare debent secundùm ea, quæ de ipso traduntur Genes. 1. & Eccli. 43. In Genesi SOL vocatur 1. *Luminare Majus*. Qui enim vocati sunt in specialem cultum & obsequium DEI, non debent contenti esse communi lumine fidelium, quoad probitatem vitæ; sed præluceant, oportet, eximiâ luce virtutum seu vitæ exemplaris: studeantq; mereri prærogativam *Magni Servi DEI*, operando semper ad majorem & majorem gloriam DEI; & majus majusq; obsequium animarum. 2. Instar Solis debent *præesse Diei*; probos dirigendo ad vitam perfectiorem: ut, qui justus est, ipsorum monitis & exemplis justificetur adhuc; &, qui Sanctus, sanctificetur adhuc. 3. Debent *dividere lucem à tenebris*: detegendo

occultas fraudes dæmonum, errores hæreticorum, simulationem & hypocrysim malorum Catholicorum, Ecclesiasticorum, Religiosorum, Pseudopoliticorum.

In Ecclesiastico appellatur SOL *Vas admirabile, opus Excelsi.* Id est, Admirabile Instrumentum Virtutis seu Potentiæ divinæ. In Scripturis enim divinis vasa v. g. Iræ, Belli, &c. appellantur Instrumenta iræ, seu vindictæ, Arma seu Instrumenta belli: & S. Paulus dicitur Vas Electionis: id est, Instrumentum electum à Christo ad convertendas gentes. Veri ergo Servi DEI debent se reddere, cum DEI gratia, aptissima instrumenta ad propagandam gloriam Divinam, quorum splendorem & ardorem miretur orbis universus. Interagendum autem, & patrandum ea, quæ superant vires naturæ, nihil sibi tribuere debent; sed semper meminisse: Se esse opera & vasa, seu, Instrumenta Excelsi: nihil esse, nisi ex gratia ipsius; nihil posse, nisi ope ipsius. Cæterùm divinâ gratiâ instructi, studeant esse, ut ait Cornel. à Lap. in cit. cap. Eccli. Sol in templo, Sol in platea, Sol in schola, Sol in foro, Sol in mensa, Sol in cubiculo, ubiq; vibrans radius virtutis suæ. S. Remigius luce cœlesti instar solis ipsi incumbente designatus est Episcopus Rhemensis, teste Hincmaro in ejus vita. S. Columbani mater ante partum vidit è sinu suo rutilantem solem, nimioq; fulgore micantem procedere, & mundo ingens lumen præbere. Quam visionem postea explicuit & verificavit sanctitas & doctrina Columbani, quâ Ecclesiam illustravit.

II. Lunam repræsentare debent 1. Titulo *Luminaris Minoris.* Quamvis enim re verâ sint Luminaria majora, qui majorem DEI gloriam spectant, & procurant pro viribus: non tamen debent velle videri, nedum dici, Magni: Sed minores, imò minimi. Si enim Paulus, magnum illud Vas electionis, se Minimum Apostolorum dixit: qui jam erunt, qui cœlo toto distant ab illo? 2. Sicus Luna est *Præses noctis:* ideoq; rectè dicitur ab Apulejo & Alcuino *Noctis oculus*, à Secundo Philosopho *Inimica maleficorum, solamen iter agentium:* ita veri Servi DEI, & Ecclesiæ Ministri, tenebras ignorantiæ in populo dissipare debent, maleficos à pravis actibus absterrere, & iter agentes hujus peregrinationis dirigere ad patriam beatam. 3. Sicut luna lucem, quâ fulget, non habet ex se, sed à Sole: ita illos semper meminisse oportet; se nec scientiarum, nec virtutum lucem, si quam in se advertunt, habere à se; sed à Patre luminum, Sole Justitiæ: cui proinde omnes fructus & effectus lucis suæ debebunt.

III. Stellas repræsentare debent fixas, non autem errantes, quales sunt planetæ minores. Non enim, nisi jussi, oberrare debent per domos & monasteria, vel Beneficia varia: sed in sphæra & ordine suo persistere, donec aliò vocentur; instar stellarum, de quibus dicitur Baruch 3. *Stellæ autem dederunt lumen in custodijs suis, & lætatæ sunt: vocatæ sunt, & dixerunt, Adsumus: & luxerunt ei cum jucunditate, qui fecit illas.* Perinde stellis est, sive supra horizontem nostrum luceant, sive infra illum lateant.

Curandum igitur Servis DEI, ut pro majore gloria Domini sui mereantur elogium illud ab Ecclesiastico datum Simoni Sacerdoti magno cap. 50. *Quasi stella matutina in medio nebulæ, & quasi luna plena in diebus suis lucet: & quasi sol refulgens, sic ille effulsit in templo DEI.* Celebrari quoq; mereatur DEUS in ipsis, ab Angelis & populis fidelibus Cantico, quali, à se composito, S. Franciscus Seraphicus laudare solebat DEUM, ob conditum solem, lunam, stellas, aliasq; creaturas: quod Canticum morienti sibi præcini voluit. *Altissime, Omnipotens, Bone Domine, tuæ sunt laudes, gloria, honor, & omnis benedictio: tibi soli referendæ sunt; & nullus homo dignus est, te nominare. Lauderis, Domine, DEVS mi, propter omnes creaturas tuas, & specialiter propter honorabilem fratrem nostrum Solem, qui diescere facit, & nos illuminat per lucem: pulcher est, & radians, & magni splendoris, tuique, Domine, symbolum præfert. Laudetur Dominus meus propter sororem Lunam, & stellas, quas in cœlo creavit claras, & bellas. Laudetur dominus meus propter fratrem ventum, aërem, nubes, serenitatem, & propter omnia tempora, per quæ omnibus creaturis ministrat alimentum* &c.

FER. V. post Dom. XII. post Pent.

MEDITATIO: *DEVS quintâ die producit Pisces & Aves, symbola J. & M.*

I. ADora DEUM O. M. & considera ejus Sapientiam, potentiam & bonitatem in producendis in usum & delectationem hominum, piscibus & avibus. Et has & illos mirâ varietate produxit ex aquis: ex crassioribus aquæ partibus formando pisces, ex subtilioribus aves. Illicò igitur ad imperium divinum repleta sunt piscibus maria, lacus & flumina, parvis & magnis: specialiter autem dicuntur producta cete grandia, seu ingentes balenæ, quarum molem nulla adæquant animalia terrestria. Avibus repletus est aër, sylvæ & campi; quæ, plaudentibus in aquis piscibus, applauserunt in terra & aëre variâ musicâ Conditori suo. Utrisq;, ut majori fœcunditate multiplicarentur, & hominum faciliori usui servirent, data benedictio: *Crescite & multiplicamini.* Quàm providus non solùm in necessi

necessitates, sed etiam ad voluptatem nostram, DEUS! Nobis quàm modica cura pertinentium ad cultum ejus? Ergo hominum supplentes vicem, benedicite cete, & omnia, quæ moventur in aquis, Domino: benedicite omnes volucres cœli Domino.

2. ADora D. JESUM, & considera eum 1. jam ut grandem illum piscem, qui ultrò occurrit Tobiæ juniori, & de visceribus suis Seniori præbuit collyrium, Juniori & uxori ejus antidotum contra infestationem dæmonij: jam ut alium, qui Matt. 17. in ore suo exhibuit Petro staterem, symbolum pretij redemptionis nostræ: jam ut illum piscem, quem Dominus ipse 21. super prunas assavit in refectionem piscantium discipulorum. Christus passus, quid, nisi piscis assus? 2. Suspice D. JESUM nunc ut Aquilam illam grandem alarum magnarum, Ezech. 17. plenam plumis & varietate, quæ tulit medullam cedri, & avulsit summitatem frondium ejus: nunc ut illam Deuter. 32. quæ provocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas: & assumpsit eum, atq; portavit in humeris suis: nunc ut pium pelicanum sanguinem suum propinantem pullis suis: nunc ut passerculum solitarium sub tecto &c. Quàm varias tibi induit formas, mi JESU, amor tuus erga me! Sim & ego, amore tui, piscis fœcundus bonorum operum, mutus ad ferenda opprobria. Sim avis vocalis ad laudem tuam, prompta ad obsequium.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam cum Alberto M c. 160. super Missus: nunc ut Piscem in salso & turbulento tribulationum & passionis Filij sui mari fluctuantem: nunc ut Avem super pennas ventorum in cœlo contemplationis volantem: cum Ernesto Pragensi puriore Divinitatis aurâ nutriri solitam. Et mihi, obsecro, ô Domina, applica tam pinnas, quàm pennas: ut non demergat me tempestas profundi, & super terrena omnia provectum puriore cœlo frui queam. Non sinas hanc tibi mancipatam animam inter reptilia terræ censeri.

Proposit. v. gr. *de elevanda mente ad DEUM, J. & M. ex conspectu piscium & volatilium.*

LECTIO PRACTICA.

Cautus vivendi modus discendus à creaturis die Avibus & Piscibus.

INfelices sunt numerosissimæ & mirâ varietate conspicuæ creaturæ, Pisces & Aves; quòd tam multis & callidis obnoxiæ sint Insidiatoribus, tum ex genere suo, tum ex hominum specie. Sed nostra est felicitas: quòd nos faciant aliena pericula cautos. Non enim paucioribus, imò longè pluribus obnoxij sumus insidijs, quas nobis tendunt assiduè aucupes & piscatores

multò callidiores & potentiores, tum maligni spiritus, tum homines ipsi. *Nescit homo finem suum*, inquit Ecclesiastes c. 9. *sed sicut pisces capiuntur hamo, & sicut aves laqueo comprehenduntur; sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò supervenerit.* Læta cantillat in viridi ramo luscinia: & ecce desuper imminet accipiter: inferiùs insidiatur auceps: ille rapaces expedit ungues, iste objectâ offâ allicit incautam. Spatiantur liberi, & jucundè colludunt in flumine, lacu & mari pisciculi: & ecce in litore vel cymba piscatores parant hamos, explicant retia: privantur non libertate tantùm, sed vitâ miseri pisces. *Sic capiuntur homines in tempore malo.*

Jucundum est, quod in Vita S. Francisci de Paula tradunt Acta Sanctorum Henschenij 2. April. Donatus fuit prædicto Sancto piscis delicatior, sed jam extinctus, quem Trutam vocant. Ille donatum injecit in fontem, quem prodigiosè ex petra elicuerat, & qui continuò innumeris morbidis salutaris est. Mox piscis redivivus comparuit, & variâ corporis agitatione se librans, gaudium de recepta vita testatus est. Suscitatori verò suo tam familiarem se exhibuit: ut vocatus nomine *Antonellæ*, illicò advolans, se mulcendum præbuerit, pastumq; de manu Sancti sumere consueverit. Advertit hoc Sacerdos è vicina civitate, atq; Antonellam, nomine & panis fragmentis objectis ad se allicitam, apprehendit, sustulit, domum detulit, & in cœnam coxit. Non latuit, DEO revelante Franciscum à Sacerdote commissum furtum: unum ergo è fratribus confestim expedivit, qui trutam repeteret. Negavit ille factum; & convicijs oneratum fratrem dimisit. Sed Franciscus iterum institit: ut truta jam mactata, & in cœnam elixa, (quâ dicendi formâ admonuit hominem, innotuisse furtum) restitueretur sine mora; aliàs carò ipsi solvenda. Indignatus ille arripuit coctum jam piscem, atq; ad pedes missi Fratris projecit tanto impetu: ut in plurimas dissilierit particulas; quas Frater solicitè collectas detulit ad Sanctum. Is, quasi vivam allocutus trutam; *O mea*, ajebat, *Antonella, quomodo tam malè accepta es? Hoc scilicet lucri habes, quòd tam vorax fueris. Nisi objecta fragmenta appetijsses gulosa, nihil simile tibi contigisset. Cupiditas edendi te prodidit. Deinceps sis cautior: nunc autem in nomine Domini vitam recipias pristinam.* His dictis, particulas à Frate acceptas injecit in concham fontis: & ecce mox concreverunt, & redivivam trutam exhibuerunt; quæ huc illucve discurrendo, & in altum exiliendo, atq; multò familiariorem Sancto se exhibendo, testata est gratitudinem suam. Vixit, quamdiu Franciscus superstes fuit: eo defuncto, & ipsa eâdem horâ vivere desijt. Sacerdos autem ille, audito rediviva trutæ prodigio, supplex pedibus Sancti advo-

cti advolutus est: à quo peramanter acceptus, illud solùm audijt: *Ex malè partis nullum capi commodum.*

Monitum à S. Francisco trutæ datum ad nos primariò pertinet. Voluptas edendi, bibendi, ludendi, lasciviendi &c. &c. nos perdit: & quia, quod illam sequitur, non cogitamus. *Gaudet piscis;* inquit S. Augustinus de agone Christiano c. 7. *quando, hamum non videns, escam devorat. Sed, cùm piscator eum adducere cœperit, viscera ejus torquentur primò; deinde ab omni lætitia sua per ipsam escam, de qua lætatus est, ad consumptionem trahitur. Sic sunt omnes, qui de bonis temporalibus beatos se esse putant. Hamum enim acceperunt, & cum illo sibi vagantur.. Veniet tempus; ut sentiant: quanta tormenta cum aviditate devoraverint.*

Tantò autem majore cautelâ & circumspectione opus est: quantò callidiores sunt piscatores & aucupes, qui nobis insidiantur. Ingenium & machinas eorum describit S. Leo Serm. 7. de Nativ. *Non desinit hostis antiquus,* inquit, *deceptionum ubiq; laqueos prætendere. Novit, cui adhibeat æstus cupiditatis, cui illecebras gulæ ingerat, cui apponat incitamenta luxuriæ, cui infundat virus invidiæ. Novit, quem mœrore conturbet, quem gaudio fallat, quem metu opprimat, quem admiratione seducat. Omnium discutit consuetudinem, ventilat curas, discutit affectus: & ibi causas quærit nocendi, ubi quemq; viderit studiosiùs occupari.*

Hinc S. Gregorius lib. 29. Mor. c. 9 vir quàm magnus Pontificatu, tam clarus sanctitate, trepidus exclamat: *Væ miseris nobis, qui de electione nostra nullam adhuc DEI vocem agnoscimus, & jam in otio, quasi de securitate torpemus! Debet profectò, debet non solùm in spe esse securitas, sed etiam timor in conversatione: ut & illa certantes foveat, & iste torpentes pungat.*

FER. VI. post Dom. XII. post Pent.

MEDITATIO: *DEVS sextâ die producit bestias terræ & hominem ad imaginem & similitudinem suam: quam maximè expresserunt JESVS & MARIA.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo post mandatum terræ datum, ut produceret bestias terræ, cùm ventum esset ad productionem hominis; non iterum dixit, ut terra produceret Hominem: nec usus est verbo *Fiat:* sed velut consultatione inter tres Personas divinas habitâ, dixit: *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Quâ honorificâ phrasi indicavit: Hominem non solùm esse aliquid super bruta, sed quodammodo ordinis divini; qui & naturâ, & gratiâ, & moribus re-

feratur propiùs ad DEUM, eumq; exprimat clariùs. Mox ad peculiare, & velut palmare, hoc Opus accinxit se: formavitque ipse studiosè, quasi manibus proprijs, (*Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me totum in circuitu.* Job. 10.) corpus hominis de limo terræ, Animam verò, quasi è visceribus suis, inspiravit in faciem ejus, immaterialem, rationalem, & immortalem. Quanta dignatio Conditoris? Quanta felicitas & dignitas hominis! At ubi in me divina illa imago & similitudo?

2. ADora D. JESUM & considera: eum non solùm secundùm generationem æternam procedere ut vivam & perfectissimam Imaginem Patris; sed etiam ut est Homo, esse Opus Omnipotentiæ divinæ præcipuum, elaboratum accuratissimè ad imaginem & similitudinem SS. Trinitatis. Illi, etiam ut Homini, rectè accommodari potest, quod de Sapientia increata dicitur Sap. 7. *Candor est lucis æternæ*, propter summam morum innocentiam; *Speculum sine macula DEI Majestatis*, propter gloriæ excellentiam; *Imago bonitatis illius*, propter profusissimam in omnes beneficentiam. Exprimit Patrem generatione filiorum ex aqua & Spiritu S. Exprimit VERBUM æternum, potens opere & sermone: exprimit Spiritum S. ardore charitatis erga DEUM & homines. O quanto cum gustu suspicit illum Pater, ut Filium dilectissimum, Sapientia æterna ut ectypon suum nobilissimum, Spiritus S. ut thesaurum donorum suorum opulentissimum. Quis tuus, ô Anima mea, est sensus de hoc Homine? quæ æstimatio? quæ dilectio & imitatio? Erubesce.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm accuratè & ipsam formaverint Omnipotentia, Sapientia & Bonitas divina ad imaginem & similitudinem divinam. Potestne post Christum in cœlo & in terris similis inveniri puritas in corpore, sanctitas in anima, virtus in operatione? Celebrat illam Albertus M. in Bibl. Mar. super lib. Sap. ut elegantissimam *Imaginem Bonitatis DEI*: S. Mechtildis lib. 1. c. 45. ut *Imaginem, in qua totius potentiæ, sapientiæ, & bonitatis SS. Trinitatis artificium elegantissimè apparet*: Ernestus Pragensis in Mariali c. 14 ut *similitudinem expressissimam Dei.* Gesta, ô Anima mea, in mente & corde tuo jugiter divinam hanc imaginem. Tu, ô Perfectissima, conforma illam tibi.

Proposit., v. gr. *de studiosiùs imitandis perfectionibus DEI, J. & M. præsertim N.*

LECTIO PRACTICA.

De dignitate & vilitate hominis.

ADmirando Sapientiæ suæ consilio Conditor DEUS creaturam è limo formatam tot, tamq; eximijs instruxit dotibus; ut per naturam paulò minor

ò minor Angelis evaserit, per gratiam par, imò aliquatenus longè superior, scilicet in Christo. Cæterùm homo ipse per abusum libertatis suæ in eam se conjecit vilitatem: ut comparatus sit jumentis, & similis factus illis; imò longè pejor & deterior, in quantum peccator. Dignitatis humanæ eminentia naturalis colligi potest tum ex singulis ejus partibus, tum ex ipso toto. Partes sunt Anima & Corpus plurimùm inter se dissitæ, intimè tamen unitæ: utriq; sunt egregiæ suæ dotes.

Animæ Hominis dotes 10. enumerat Cornelius à Lap. in cap. 1. Geneseos: quibus liberalissimè participat perfectiones Divinas, & Imaginem similitudinemq; Conditoris sui repræsentat. 1. Est Substantia incorporea & indivisibilis. 2. Æterna & immortalis. 3. Prædita tribus Potentijs, Intellectu, Voluntate & Memoriâ. 4. Gaudens arbitrio libero. 5. Capax habituum & actuum supernaturalium usq; ad ipsam intuitivam DEI visionem & plenam Beatitudiuem. 6. Quòd & corpori suo, & rebus alijs materialibus præsit ac dominetur. 7. Continet eminenter inferiora se, tum excellentiâ substantiæ, tum virtute intelligendi; cùm intellectus intelligendo fiat omnia. 8. Est finis inferiorum creaturarum: quod non convenit Angelis; cùm non proptet illos creata sint materialia. 9. Sicut DEUS totus est in toto mundo, & totus in quavis ejus parte: ita Anima tota est in toto corpore humano, & tota in quavis ejus parte. 10. Sicut DEUS Pater per intellectum se cognoscens producit VERBUM, seu Filium; & eum amando producit Spiritum S. ita homo intelligendo se producit in mente sua verbum mentis, sui expressivum sibiq; simile: atque inde procedit per voluntatem Amor sui. Tantis instructam dotibus monet jam S. Ambrosius Animam lib. 6. Hexam. c. 8. *Cognosce te, decora anima: quia Imago DEI es.* Talis archetypi & artificis non potest vilis esse imago. *Tantò major est omnibus creaturis, quantò ipsa magis conformis & similis DEO*: inquit Augustinus libr. de Anim.

Corporis humani præstantiam eleganter describit S. Ambrosius lib. cit. c. 9. ex quo pauca hæc: Forma, inquit, humani corporis est venustior, status erectus & excelsus; ipsa habitudo corporis suavis & grata: ut neq; belluina vastitas horrori sit, nec gracilitas tenuis infirmitati. Ac primùm omnium cognoscamus: humani corporis fabricam instar esse mundi. Siquidem ut cœlum eminet aëri, terris maria: ita etiam caput supra reliquos artus nostri corporis cernimus eminere, præstantissimumq; omnium, tanquam inter elementa cœlum, tanquam arcem inter reliqua urbis mœnia. In arce autem hac regalem quandam habitare sapientiam; eamq; cæteris esse tutiorem, & ex illa

ex illa membris omnibus vigorem providentiamq; deferri. Quid verò Oculi? Quod sol & luna in cœlo, hoc sunt oculi in homine. Sol & luna duo mundi lumina: oculi autem quædam in carne sydera fulgent desuper, & inferiora claro illustrant lumine; atque ut speculatores quidam nostri die ac nocte excubant. Ipse autem vertex capitis quàm suavis & gratus? quàm speciosa cæsaries? Quàm reverenda in senibus, quàm veneranda in sacerdotibus, quàm terribilis in bellatoribus, quàm decora in adolescentibus, quàm compta in mulieribus, quàm dulcis in pueris facies? Sola ære fusa principum capita, & ducti vultus de ære vel de marmore ab hominibus adorantur &c. &c.

Et talis quidem est homo ex beneficio Creatoris, & naturâ: qualis autem ex delicto suo? Quàm enormis & monstrosus? Vix hominem agnoscas in homine. Si enim jam quæramus: quid est homo? Respondet DEUS: *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Respondet Aristoteles: *Est fortunæ lusus, inconstantiæ imago, corruptionis speculum, temporis spolium.* Respondet Seneca: *Est imbecillum & fragile corpus, ad omnem fortunæ contumeliam projectum.* Respondet Trismegistus: *Est viva mors, sensitivum cadaver, sepulchrum circumvectibile.* Respondet Bernardus: *Est sperma fœtidum, saccus stercorum, esca vermium.* Graviùs respondet Isaias c. 40. *Est stilla situlæ, momentum stateræ, gutta roris antelucani, fœnum, flos, nihilum & inane.* Respondet deniq; sacer Psaltes: *Est Universa Vanitas.*

Ex hoc dignitatis & vilitatis humanæ concursu eum fructum nos capere oportet. Inprimìs, ne nos extollamus supra id, quod sumus, & ex donis Creatoris non insolescamus; quin potiùs id, quod planè nostrum est, in nobis agnoscentes, id est, imperfectiones & vitia, humiliemus nos non solùm coram DEO, sed etiam hominibus. Deinde ut id, quod in nobis residuum est, boni, solicitè conservare, & augere studeamus: ne recidamus in sortem jumentorum, & similes fiamus illis. Requiret olim idem Judex & Conditor severam deformatæ imaginis suæ rationem.

SABB. post Dom. XII. à Pentec.

MEDITATIO: *DEUS septimâ die quievit: Quies ejus jucundissima in JESU & MARIA.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo post hominem creatum quasi reflexionem fecit super omnia opera sua: *Vidit DEUS cuncta, quæ fecerat; & erant valde bona.* Gen. 1. 31. Erant enim & secundùm se, quoad naturales dotes suas, perfecta, & ad perfectionem totius Universi valde con-

de conducebant, & hominis, propter quem reliqua, usui valde accommodata. Talem & nos facere decet reflexionem super opera nostra, præsertim majoris momenti. Productis igitur omnibus, quæ producere decreverat DEUS, postquam *perfecti sunt cœli, & terra, & omnis ornatus eorum; requievit die septimo ab universo opere*, nullas novas rerum species producendo; non quòd labore fessus esset, sed quia ad perfectionem Universi sufficiebant, quæ productæ erant. Nec nobis quiescendum, antequam bene cœpta perficiamus, cum omni ornatu eorum. Tunc enim pasci licebit dulci operum fructu, & benedicere diei, quo talia egimus. At quàm pauci sunt dies, quibus benedicam ego: quàm multi, quibus potiori jure, quàm Job, maledicendum esset? Benedictus DEUS, qui talia & tanta condidit propter se & nos! *Sit gloria Domini in sæculum: lætabitur Dominus* (ô lætetur maximè in me!) *in operibus suis.* Psal. 103.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm jucundè quiescat in illo DEUS, quàm liquidâ perfundatur voluptate ab ejus humanitate divinè subsistente. Quò majus est opus, magisq; conducit ad operantis gloriam, & finem intentum: eò suaviorem gustum adfert authori. CHRISTUS est summum operum divinorum: unus ipse plus laboravit & passus est pro gloria Patris sui & hominum salute, quàm reliqui omnes: unicus, etiam minimus, ejus actus pretiosior & gratior est DEO, quàm omnes, eliciendi per totam æternitatem à Sanctis omnibus. Nec potest Omnipotentia Patris creare Personam digniorem, excellentiorem & sibi chariorem, quàm sit JESUS. Infinitâ igitur voluptate perfundatur oportet ex illius productione, & plenè quiescat in ipso, in quo habet omnia, sparsa per cæteros, & infinities plura majoraq;. Quid ego igitur ultra JESUM volo? Cur in ipso non quiesco? Quid extra illum, nisi turbæ, mœror, dolor, interitus?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quantâ jucunditate & in ipsa quiescat Conditor DEUS, tum propter dignitatem Personæ ejus, tum propter excellentiam operum, tum propter summam voluntatis ejus cum sua consensione. Jacobus de Voragine Ser. 2. pro Sabb. post Ciner. vocat eam *Sabbatum à DEO benedictum*: S. Bonaventura in Psalterio minore *Quietem DEI*: Idiota part. 14. Contempl. 13. *Lectulum floridum omnium virtutum varietate*: Petrus Blesen. Ser. 38. *Lectulum, in quo DEVS requievit.* Ergone extra MARIAM in volutabro luti, vel sinu Dalilæ cujusdam, quæram voluptatem, & requiem meam? Fatalis est sinus Dalilæ, etiam Samsoni.

Proposit. v. gr. *de quiete non alibi quærenda, quàm in DEO, J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

In hac vita quies nulla expetenda.

POst Opus sex dierum dicitur Quievisse DEUS: non quòd ab omni prorsus actione cessârit; nam etiam tunc ad motus cœlorum & animalium aliorumq; viventium, uti etiam ad operationes Angelorum concurrere eum oportebat: sed quòd nullas novas species produxerit. Odit enim DEUS iners otium, qui etiam, antequam ad exteriorem procederet operationem; semper per omnem æternitatem occupatus fuit intra se, producendo Secundam Tertiamve Divinitatis Personam. Hominem quoq; primum, statim ac produxerat, transtulit in Paradisum, *ut operaretur & custodiret illum*; non ut delicijs ejus otiosus frueretur, & subjectis sibi animantibus dominaretur deside dominio: sed *ut operaretur*, etiam in Statu Innocentiæ. Post lapsum labor non solùm nobis est honesta occupatio, sed etiam pœna delicti. *Quia audîsti vocem uxoris tuæ, & comedisti* &c. *in sudore vultûs tui vesceris pane tuo.* Gen. 3.

Unde 1. monet Ecclesiasticus c. 7. v. 16. *Non oderis laboriosa opera, & rusticationem creatam ab Altissimo.* Præstò sunt complures gravesq; rationes, Laborem, ac specialiter Agriculturam, commendantes. 2. Quia est naturale munus hominis. *Homo* enim *nascitur ad laborem, & avis ad volatum:* ait Job. c. 5. Ut avibus jucundum est volare: sic hominem gravare non debet labor, præsertim circa agriculturam. Nam ut ait Aristoteles libr. 1. Oecon. Agricultura est ars omnium optima, eò quòd sit secundùm naturam, non ut labor bellicus militum, & civilis mercatorum. Per illam quæritur victus non ex scrinijs aliorum, sed in sinu matris telluris. *Omnium rerum, ex quibus aliquid acquiritur*, ait Cicero libr. 1. Offic. *nihil est agricultura melius, nihil dulcius, nihil libero homine dignius.* 3. Quia labor vegetat & roborat corpus ac animum. *Anima operantium impinguabitur:* inquit Sapiens Proverb. 13. Unde videmus plerumq; corpore & animo validos, qui continuis exercentur laboribus, (bona enim fit cibi digestio, & vitalium spirituum procreatio, per exercitium corporale) marcidos verò otiosos. 4. Quia labor, præsertim agriculturæ, à DEO est institutus & impositus: ut initio dictum. 5. Labor vitia excludit, virtutes generat, provehit, & conservat. Hinc monet S. Hieron. ep. ad Rusticum: *Facito aliquid operis; ut semper te diabolus inveniat occupatum.* Et inf: *Scribantur & libri: ut & manus operetur cibum, & anima saturetur lectione. In desiderijs enim* (seu pravis concupiscentijs) *est omnis otiosus. Ægyptiorum monasteria hunc morem tenent:*

teneant: ut nullum absq; opere & labore suscipiant, non tam propter victûs necessitatem, quàm propter animæ salutem. 6. Labor assiduus minuit tempus, tædium, & ipsum laborem: juxta illud Poëtæ: *Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora. Sic erit hora brevis, & labor ipse levis.* 7. Laborum fructus est Honor, & Divitiæ. *Egestatem operata est manus remissa: manus autem fortium,* continuis exercita laboribus, *divitias parat.* Prov. 10. & c. 12. *Manus fortium dominabitur: quæ autem remissa est, tributis serviet.* 8. Non solùm in hac vita honestis & strenuis laboribus prædicti aliij; respondent fructus: sed maximè in altera procedit illud Sap. 3. 15. *Bonorum laborum gloriosus est fructus.* Ibi in vicem mercedis dabunt in sinum nostrum mercedem confertam, & coagitatam, & supereffluentem. *Luc.* 6 Ibi non gramineis, quercinis, oleaceis aut laureis coronis labores nostri coronabuntur; sed auro & margaritis inæstimabilibus. Ibi apportantes manipulos suos excipiet plausus, voluptas & quies æterna. En quales octo fructus, imò Beatitudines pariunt honesti & strenui pro DEO suscepti labores.

Ergo ita exerceamus, concludit S. Ambrosius lib. 8 in Luc. c. 17. *& colamus agrum nostrum, in istius culturæ munere constituti* (secundùm statum præsentem & officium, quod gerimus) *ut in illa superiore Ierusalem, ubi legis vera custodia celebratur, habeamus similaginem de manipulis nostris.* De desidе quiete, seu otio, nunc nec cogitandum: quin potiùs in id intentissimos esse decet; ne vel minima temporis particula otiosis elabatur. Si quietem aliquam fessa corpora exigunt; ea non sit prolixior, quàm par est. Meminisse oportet aphorismi illius Scholæ Salernitanæ: *Septem horis dormisse sat est juveniq; seniq;.* Sanctus etiam P. N. p. 3 Constit. c. 2. lit. E. tempus somni *intra sextæ & septimæ horæ spatium* definit. DEO, Ordini, & sibi injurius est: qui pretiosissimum tempus somno prodigit. Deinde quies necessaria non sit cessatio ab omni opere bono: sed, quantum fragilitas humana patietur, sit commutatio laborum, gravioris in leviorem: prout faciunt, qui serrâ scindunt ligna, horâ quietis limâ serram acuentes. Si animi gratiâ deambulandum fuerit; nullus passus fiat otiosus, sed per sæpiùs iteratam intentionem piam, vel saltem præviam, (quod etiam observandum circa somnum necessarium) referatur ad DEUM. Non deerunt, qui passus singulos numerent, & pro ipsis coronas parent, Angeli. Semper autem hæreat animo illud: *Labor momentaneus: Quies æterna.* Et: *Nullus labor durus, nullum tempus longum videri debet: quo gloria æternitatis acquiritur.*

De Amore DEI erga se atq; IESUM & MARIAM.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quòd, cùm ipse sit summum & purissimum Bonum; necessariò debeat amare se, nec possit ullam displicentiam habere in se. Est autem Amor ejus erga se summus *intensivè*; tum quia amat se actu amoris, qui est ipsa infinita substantia divina, seu ipse DEUS; tum quia amat se super omnia absolutè, infinitam habendo complacentiam in infinitis & purissimis perfectionibus suis. Est summus *extensivè*; quia est ab æterno in æternum, sine ulla vel momentanea interruptione, & quia eodem actu, quo amat se, amat in se ipso, tanquam in fonte & radice, quidquid est amabile extra se, id est, creaturas omnes, creatas & creabiles. Est Amor ordinatissimus: habet enim & pro principio, & pro fine ultimo Summum Bonum. Est deniq; Amor jucundissimus; tum propter infinitarum, quæ amantur, perfectionum excellentiam & varietatem, tum quòd communis sit Personis tribus, Patri, Filio & Spiritui S. quorum est unica voluntas, summa consensio & bonorum communicatio. Gaudeo medullitùs, Amabilissime DEUS, quòd ipse te ames amore te digno. Compatior creaturarum infirmitati, quòd te satis amare non possint. Irascor cordi meo: quòd te non amet, quantum cum gratia tua potest. O DEUS! O amabile infinitum! O Amor infinite! Amo te super omnia. Da, ut æternùm.

2. ADora D. JESUM, & considera: quantum ametur à DEO secundùm SS. Humanitatem suam. Patris æterni vox est Matt. 3. *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et iterùm Matt. 17. in monte Thabor: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Unigenito DEI, qui ab æterno est in sinu Patris, complacuit corpus & animam Christi propriâ infinitâ personalitate suâ terminare & ultimò complere ita, ut in unam secum coalescerent Personam. Spiritus S. gestijt supervenire in Virginem, & efformare Hominem, in quo cum omni plenitudine charismatum suorum conquiesceret suavissimè. Est Dominus JESUS tum propter Personæ suæ bonitatem, tum operationis excellentiam, unicum, summum, infinitum, æternum delicium & voluptas Divinæ Trinitatis. Et ego tam brutus sim, ut tam amabilem tam parùm amem?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: eam inter omnes creaturas esse amabilissimam DEO, & re ipsâ super omnes ab æterno amatam, & in æternum amandam. Ipsa enim est Amica DEI semper amans & amata, nunquam maculata; Sponsa DEI nobilissima, speciosissima, fidelissima; Filia DEI, nunquam degener, semper patrissans; Filia ancillans, & Ancil-

& Ancilla imperans; Mater charissima, gratiosissima, blandissima, dignissima, lectissima, purissima, pulcherrima, dulcissima, sanctissima. Et quomodo tibi non vindicabis amores meos, quæ totum occupâsti cor divinum, ô Amabilissima?

Proposit, v. gr. *de abstrahendo corde ab amore Vanitatum*, *& transferendo in DEUM, JESUM & MARIAM.*

LECTIO PRACTICA.

De duobus Signis Amoris nostri erga DEUM, J. & M.

VAria desiderari & tradi solent Signa veri Amoris nostri erga DEUM. Cùm enim summâ teneamur obligatione amandi DEUM, atq; inde pendeat vel maximè salus nostra æterna: (*qui enim non diligit, manet in morte.* 1. Joan. 3.) inde est, quòd, qui habent accuratiorem animæ suæ curam, libenter scire velint: an verè, & prout oportet, diligant DEUM. Tradi ergo solent varia ab Ascetis nostri erga DEUM veri amoris signa: è quibus manifestiora & certiora duobus exprimuntur verbis, PLACET. DISPLICET. Nimirùm verè & sincerè diligit DEUM (idem est de amore JESU & MARIÆ) cui *Placet*, quidquid DEO placet: *Displicet*, quidquid displicet DEO: qui nihil agit, quod advertit displicere DEO; agit omne, quod potest, & advertit placere DEO: seu, cui unica vel summa agendi Ratio est, *Placet DEO*; unica quoque vel summa aliquid omittendi Ratio est, *Displicet DEO.*

Est hæc tessera & ratio agendi omittendive proborum atq; amantium filiorum, famulorum & sponsorum. Non expectant imperia vel preces, nedum minas & objurgationes; sed accuratè observant nutus; & quævis signa voluntatis: imò soliciti meditantur; quid sit, quod placeat parenti, domino, aut sponsæ? quid sit, quod displiceat ipsis? ne vel hoc agant, vel illud omittant. Non respiciunt lucra vel commoda sua: nec humanis ducuntur Respectibus. Sentiant homines de ipsis, & actibus eorum, quidquid volunt, probent vel damnent, æstiment vel contemnant: ratum fixumq; ipsis est, hoc agere, quod placet; id omittere, quod displicet parenti, hero, vel sponsæ; sive commodum sibi sit, sive incommodum. Talem filium egit adolescentulus Joseph apud Jacob patrem suum, non veritus fratrum invidias & iras. Talem egit servum apud Putipharem, non cedens blandimentis Dominæ. Conjugalis hujusmodi amoris illustre exemplum dedi Fer. 3. post Dom. 4. Quadrag. Quantò magis amantes Patris cœlestis filios, Domini dominantium benignissimi servos, Spiritûs Sancti Sponsas, in omnibus observare decet Placitum Divinum!

Solicitè monet Apostolus Colossenses cap. 1. 9. *Non cessamus pro vobis orantes & postulantes: ut impleamini agnitione Voluntatis ejus, in omni sapientia & intellectu spirituali: ut ambuletis dignè DEO, per omnia placentes.* Non potest autem placere DEO per omnia: nisi in omnibus attendat; quid placeat DEO: atq; istud exequi studeat. Unde instituit & hortatur idem Romanos c. 12. 2. *Nolite conformari huic sæculo: sed reformamini in novitate sensûs vestri; ut probetis, quæ sit Voluntas DEI bona, beneplacens, & perfecta.* Non est observandum, seu inquirendum: quid placeat mundo? ut ad nutum & gustum ipsius nos componamus, & agenda omittendaq; disponamus; sic enim convincimur, non DEUM, sed mundum amare: sed secundùm doctrinam & perfectionem Evangelicam in omnibus diligenter explorandum; quæ sit Voluntas DEI? Et quidem triplicem vult Apostolus inquiri & observari à nobis Voluntatem DEI; scilicet bonam, beneplacentem, & perfectam. Quædam enim requirit DEUS per Voluntatem simpliciter bonam; ut observationem mandatorum suorum, moresq; probos. Alia requirit, tanquam sibi magis placentia, & in quibus suaviorem habet gustum: ut serium & fervens perfectionis Evangelicæ studium, Consiliorum Evangelicorum adimpletionem, & virtutes, mediocritatem supergressas. Alia deniq; dicitur velle, & desiderare voluntate perfectâ; quæ nimirùm heroicam seu eminentem spirant perfectionem: ut inimicis non solùm ignoscere, sed benefacere, percutienti maxillam unam præbere alteram, pro fide, religione, alijsq; virtutibus persecutiones gráves pati, & sanguinem vitamq;, si opus sit, profundere.

Qui sic inquirunt, & adimplent Placitum Divinum: hi sunt veri, & non vulgares Amatores DEI, in his Charitas DEI perfecta est. Confundit non paucos Christianos, ne dicam Religiosos, gentilis Philosophus Epictetus: qui de se ipso scriptum reliquit: *Appetitum meum obedientem præbui DEO. Vult ille me febricitare? Volo & ipse. Vult me aliquâ re potiri? Volo & ipse. Non vult? Nolo. Mori me vult? Mori igitur volo. Vir prudens ita rem considerat, hanc rationem secum init: si DEO se dediderit,* (id est, plenè subjecerit, seu commiserit) *se iter*, mortalitatis, *imò confecturum.* Sed non confudit gloriosum Imperatorem Ferdinandum II., cujus quotidianæ preces, ut habetur in ejus Vita c. 6. erant: *Domine, si est ad laudem & gloriam tuam, & salutem meam; ut major sim, quàm sum; extolle me, & glorificabo te. Si est ad laudem tuam, decusq; tuum, ut persistam in gradu, quo sum; conserva me, & glorificabo te. Si est ad laudem & gloriam tuam, ut in humiliore gradu sim; humilia me, & ego glorificabo te.* Digna Imperatore Christiano

stiano, imò religioso, oratio; qui non solùm cum Epicteto paratus erat acquiescere omni voluntati DEI; sed etiam in depressione sua eum exaltare magis & glorificare. Sic placeat nobis, quidquid placuerit DEO: & securi erimus de ejus sincerissimo & glorificante Amore.

FERIA II. post Dom. XIII. post Pentec.

MEDITATIO: *De Charitate DEI erga Creaturas: JESU & MARIÆ erga Creatorem.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum per amorem, quem habet erga se summum & infinitum, impelli ad amandas etiam creaturas omnes possibiles; in quantum sunt participatio quædam Essentiæ ipsius divinæ, quasi ramuli Radicis illius infinitæ, quasi radij Solis increati, quasi rivuli ex abysso immensa divinitatis manantes. Amat ergo illas omnes, magnas & parvas, amore necessario complacentiæ, habendo gustum quendam suavissimum in earum naturalibus perfectionibus, utpote promanantibus ex fœcunditate Essentiæ & Bonitatis suæ infinitæ. Jam verò creaturas productas & producendas amat amore libero specialis benevolentiæ; in quantum liberè vult illis dare esse, eas conservare, & cum ipsis operari. Unde patet: non esse à nobis contemnendas, vel temerè, sine rationabili causa, destruendas creaturas, quas amat tanta Majestas, & creavit ad usum nostrum: atq; ultimatò propter se, ad gloriam suam: quin potiùs ametur, laudetur & glorificetur in omnibus DEUS. Benedicite ergo omnia opera Domini Domino. Benedic, anima mea, Domino; & noli oblivisci omnes retributiones ejus, tibi collatas in tanta creaturarum sibi dilectarum, copiâ & varietate.

2. ADora D. JESUM, & considera: quali, quantoq; amore ferebatur, & fertur in DEUM, suum & omnium Creatorem, Anima ipsius. Agnoscit cæteris omnibus clariùs, quàm pretiosum sit *esse*, quod habet in essentia divina; quàm liberale sit *esse*, quod per liberam & gratiosissimam DEI voluntatem habet in rerum natura; quàm gloriosum sit *esse*, quod habet in gloria Patris. Si quælibet, etiam miserrima creatura, amat esse suum, & fugit non esse: summè æstimet, oportet, atq; amet esse suum Christus, quod à DEO sic amatum est, quod tantorum bonorum, quæ habet in se & contulit alijs, fundamentum est. Quis ergo capiat, quali quantoq; feratur amore in DEUM Conditorem suum & omnium? Injiee & mihi, Gratiosissime JESU, scintillam hujus tui amoris erga tuum & meum Creatorem, ut exardescam in sincerum & perpetuum amorem ejus.

3. Vene-

3. VEnerare DEIparam V. & considera etiam ipsius erga DEUM, Creatorem suum, summum amorem. Non potest non æstimare maximi tam felix, tam gloriosum *esse* suum, tam bonam animam, qualem sortita est; tam innocens corpusculum, quo donata est; tam sanctam, quam egit, vitam temporalem; tam beatam, quâ fruitur, vitam æternam. Quomodo igitur dilexit, & magnificavit, diligit & magnificat, magnificabitq; æternùm Anima tua, Dominum, ô Beatissima? At ego, quàm frigidus & segnis ad amandum & laudandum DEUM, Creatorem meum! Incita, ô Domina, torpentem.

Proposit. v. gr. *redamandi Creatorem gratiosissimum, & bene utendi Existentiâ ab ipso acceptâ.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur: quid & quantum habeamus Creaturæ à DEO nos amante.

EGregiè hoc argumentum tractat pijssimus P. Gaspar Druzbicki S. J. in suo Fasciculo Exercitiorum Exerc. 2. & 3. ostenditq; inprimis: Creaturam omnem verè ex se esse Nihil: deinde DEUM esse illi Omne, quidquid est. Secundùm se spectata creatura quæcunq; planè opposito modo se habet ad DEUM, tanquam Ens ab alio ad Ens à se. Ut enim DEUS est Ens; est Qui est: Sic Creatura est, quod non est; id est, Nihil. Ut DEUS est purum, primum, solidum, verumq; Ens: Sic Creatura est purum, putum, ac solidum merumq; Nihil. Ut DEUS est essentialis Essentia, & essentialiter Ens, atq; Existens: Sic Creatura essentialiter est Nihil, & non ens, & non est. Ut DEUS ipsi sibi est fons & origo essendi: estq; id, quod est à semet, & ex semet, & semetipso: sic Creatura ipsa sibi est fons & origo Nihili, & non essendi: & est id, quod non est: à semetipsa, & ex semetipsa, ac semetipsâ est Nihil, & non Ens. Ut DEUS est suæ omnisq; Essentiæ pelagus: sic Creatura est suæ omnisq; non Essentiæ, & non entitatis, & nihili pelagus. Vt DEVS, quantumlibet se exhauriat, exinaniat, & annihilet: tamen impossibile est, ut Non sit, ut Nihil sit; ut id, quod est, non sit: sic Creatura, quantumlibet entificetur, ex non esse extrahatur, in esse perficiatur, atq; compleatur; tamen impossibile est, ut non sit Nihil, & non toto innati sui nihili impetu proruat in Nihil.

Declarari id potest similitudine lapidis molaris, qui sursum rudente appensus, impediri quidem potest illo suo retinaculo, ne deorsum ruat: tamen ne toto suo pondere deorsum tendat, inhiberi non potest: sed omni momento, quo retinaculum fuerit amotum, deorsum præceps ruet. Ita Creatura potest quidem Conservatrice Omnipotentiâ, in esse, quod ab ipsa

accepit, conservari, ne hic & nunc recidat in Nihilum: non potest tamen impediri, quin in suum nihilum primævum assiduò tendat: & quin amotâ conservatrice manu, in ipso momento, esse penitùs desinat.

Hinc suo nihilo debet Creatura carentiam omnis boni, quo caret: caret autem infinito; & impossibile est, quin careat: cùm ipsi competere non possit perfectio simpliciter infinita. Debet etiam affluentiam omnis mali, quo scatet. v. gr. quòd homo corpus habeat infirmum, fluxum, deficiens, circumscriptum certâ mole, loco, tempore, obnoxium innumeris morbis, ærumnis & morti: quòd ante paucos annos non extiterit, quòd brevi non sit futurus, quòd omni momento possit non esse. Idem est de malis animæ. Quòd autem aliqua bona habeat, & mala quædam non habeat, v. g. homo: non sibi, sed Creatori suo munificentissimo debet.

Ipse enim nobis est Fons essendi, lumen noscendi, regula agendi, centrum tendendi, bonum appetendi, mensura volendi, finis quiescendi, materia laudandi, bravium acquirendi, merces laborandi, vita vivendi, beatitudo amandi, possidendi, atq; fruendi. Confiteri debemus: ipsum nobis esse Creatorem creaturis, Dominum servis, Herum mancipijs, Regem subditis, Pastorem jumentis, Imperatorem militibus, Patrem filijs, Magistrum discipulis, Nutritorem lactentibus, Tutorem pupillis, Medicum infirmis, Sponsum sponsis, Judicem reis, Creditorem debitoribus, Remuneratorem merentibus, Salvatorem perditis, Justificatorem impijs, Divitem pauperculis, Beatificatorem miseris: deniq; est DEUS & Omnia universis ac singulis.

Ecce hoc est DEUS creaturæ. Hoc sciat Creatura de DEO, hoc confiteatur DEO, hoc amet in DEO, hoc veneretur, hoc exaltet, hoc laudet in DEO. Propter hoc observet, sequatur, obediat, subjiciatur DEO, inhæreat & adhæreat DEO, & nec ad momentum declinet, separetur, discordet ab ipso. Bonum atq; optimum ei sit; subditam per omnia se esse ei, à quo accepit, & semper accipit se. Illi vivat, in cujus voluntate omnis & omnium vita est Illum amet, ac laudet, ac honoret: quem amando, laudando, honorando beata sit. Ita pijssimus & ingeniosus Asceta F. Gaspar.

Advertendum insuper: nos titulo Creationis debere DEO Gratitudinem infinitam. Quia 1. ipsius dono accepimus esse quodammodo infinitum: siquidem creati sumus, ut in æternum cum ipso vivamus. 2. Hoc esse nobis est pretiosius, quàm infinita alia bona: malumus enim naturaliter, cætera omnia, etsi infinita essent, perdere bona, quàm vitæ facere jacturam.

3. Quia DEVS infinitis alijs creaturis longè melioribus, & ipsi fideliùs servituris, in statu possibilitatis relictis, nos produxit. 4. Quia hoc esse, si illo rectè uti volumus, est nobis fundamentum infinitorum bonorum in cœlesti gloria æternùm possidendorum. 5. Quia DEVS ab æterno decrevit nos producere: ideoq; nos amavit amore æterno, eoq; efficaci; nec passus est à sententia dimoveri innumeris peccatis nostris prævisis. Numquid ergo æquum est: ut saltèm ita vivamus; ut non pœniteat DEVM nos produxisse? Extrema ingratitudo est: reddere mala pro bonis; & quidem infinita mala, qualia in quovis lethali peccato continentur, pro infinitis bonis.

FER. III. post Domin. XIII. post Pentec.

MEDITATIO: *De Charitate DEI erga Proto-Parentes nostros: in quorum locum meliores successerunt JESUS & MARIA.*

1. ADora DEVM O. M. & considera eximium ejus amorem erga Proto-Parentes nostros. 1. Non verbo solo, ut reliqua, aut per ministerium Angelorum, vel elementorum, eos produxit: sed per se immediatè & studiosè. 2. Creavit eos in Justitia originali cum pleno dominio in affectus suos. 3. Instruxit omni genere habituum naturalium & supernaturalium, gratiâ sanctificante, & infusâ rerum omnium naturalium scientiâ. 4. Non priùs eos creavit, quàm mundum instruxisset rebus omnibus non solùm necessitati, sed etiam honestæ voluptati servientibus: ut eos introduceret tanquam hospites in triclinium instructissimum, vel potiùs ut magnos principes in palatium comptissimum opulentissimumq;. 5. Specialem pro majore eorum delectatione plantavit hortum, seu paradisum voluptatis. 6. Benedixit eis, & dominium contulit in pisces maris, volatilia cœli, & bestias universæ terræ. O Domine, quid est homo: quia sic magnificâsti eum? Quid reperisti in illo, ut tantâ charitate apponeres erga eum cor tuum?

2. ADora D. JESUM, & considera eum tanquam alterum Adam, seu ut secundum, & meliorem, generis humani parentem. Ab utroq; cœpit generatio hominum: sed à primo in vitam miseram & mortalem, ab altero in vitam beatam & æternam. Uterq; fuit Caput generis humani: sed primi inobedientia perdidit nos; secundi obedientia salvavit nos. Per primum introierunt in mundum peccatum & mors: per secundum sublatum est peccatum, extincta mors, & conciliata gratia tam copiosa: ut, ubi abundavit delictum, superabundaverit gratia. Roman 5. *Primus homo de terra terrenus: Secundus homo de cœlo cœlestis.* 1. Cor. 15. Uterq; nos fa-

q; nos facit similes sibi: *Qualis terrenus, tales & terreni*, scilicet miseri, mortales, in peccata pronissimi: *Qualis cœlestis, tales & cœlestes*, nimirùm regenerati per gratiam, & cœli hæredes facti. Arrige jam aures, Anima mea, & audi, quod ibidem subjungit Apostolus: *Igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis*; per morum sanctitatem.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: eam à divina Bonitate subrogatam esse primæ Matri nostræ Evæ; ut esset numerosæ miseræq; hujus familiæ & Mater optima, & Domina benignissima: ut, sicut per Virum unum, ita per fœminam unam restaurarentur universa, nec sine magno fœnore gratiarum. Eja ergo, Mater viventium gratiosissima, agnosce filios, collige in sinum, fove uberibus, instrue te dignis moribus; ut tibi & DEO nostro vivamus æternùm.

Proposit. v. gr. *de agenda vita, qualis decet filium JESV & MARIÆ.*

LECTIO PRACTICA.

De Amore Parentum & Cognatorum nostrorum.

PArentibus & Cognatis debere nos amorem & honorem, nemo sanæ mentis dubitaverit. Illud declaratione indigere videtur: quod Luc. 14. dicit Christus: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores*, &c. *non potest meus esse discipulus.* Quomodo parentes, & carnaliter propinquos præcipimur odisse, qui jubemur & inimicos diligere? quærit S. Gregorius hom. 37. in Evang. & mox convenientem subjicit responsionem. *Si vim præcepti perpendimus; utrumq; agere per discretionem valemus: ut uxorem, & eos, qui nobis carnis cognatione conjuncti sunt, & quos proximè novimus, diligamus; &, quos adversarios in via DEI patimur, odiendo & fugiendo nesciamus.* Amorem ergo & parentes & propinqui nostri merentur, quamdiu nobis scandalo & impedimento non sunt in cultu & obsequio divino. At, ubi nos ad illicita traxerint, ipsi sibi justum, imò & necessarium, pariunt odium; ut jam pietas sit, teste Hieronymo, per calcatos patrem & matrem, ad vexillum crucis evolare.

Hoc odium & bellum disertè testatur Christus Matt. 10. se mundo intulisse. *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam, & inimici hominis domestici ejus. Qui amat patrem, aut matrem, plus quàm me, non est me dignus.* Amant autem patrem matremve plus quàm Christum non solùm ij,

qui, illis solicitantibus, juratum DEO obsequium deserunt: sed quicunq; in gratiam illorum quidvis illicitum perpetrant.

Advertunt hic Ascetæ: quantum adeunt periculum Religiosi, imò piaculum committunt: qui se parentibus & cognatis nimis reddunt familiares. Passim enim dissolutio aliqua Religiosæ disciplinæ & morum comitatur, vel sequitur: nec rara committuntur è Christi castris transfugia, ut multa, tam vetus, quàm recens testatur experientia. Malchus ille, cœnobita, de quo *infrà fer. 2. post Dom. 20. post Pent.* ex epist S. Hieronymi, qui ad visitandam & consolandam matrem viduam è monasterio profectus fuerat, in quantas incidit angustias, & vitæ utriusq; pericula? De alio, juvene opulentissimo, refert Severus Sulpitius: quòd, cùm calcatis omnibus mundi bonis, pompis & voluptatibus, heroico passu in solitudinem se recepisset, magnosq; in virtute progressus fecisset; post annos 4 tentatus sit, ut in patriam reverteretur, & propinquis suis author esset vitæ melioris. Videbatur enim ordinata charitas id officium spirituale exigere. Cùm detineri aliorum consilijs & precibus non posset: vix egressum è monasterio dæmon arripuit, & toto biennio miserabiliter torsit. Dimissus à crudelissimo hospite agnovit, quàm benignè DEUS secum egisset, licèt duriore medio usus ad se retrahendum à perditione æterna. Relicto igitur patriæ & suorum desiderio ad pristina se recepit. *Quanti monachorum*, miratur S. Hieronymus in reg. mon. *dum patris matrisq; miserentur, suas animas perdiderunt!*

Sed dicet quispiam: Se non esse eremicolam; suæ professionis esse conversari cum hominibus. Non es eremita professione? fortè nec virtute: ut sustinere indemnis valeas incommoda ex conversatione cum sanguine junctis oriri solita, & sine dubio tibi oritura? Non fuit eremicola S. Ignatius: & tamen, cùm necessarij negotij causâ venisset in patriam, nunquam ad fratris, viri prænobilis, domum divertere voluit, quantumvis rogatus. Non fuit eremicola S. Xaverius: & tamen dum proficiscens in Indiam solùm 4 milliaribus abesset à patria, nunquam adduci potuit, licèt vehementer instante Legato Regis Lusitaniæ, cum quo ibat: ut cognatos & matrem adhuc superstitem, nec ampliùs in mortali vita videndam, inviseret. P. Jacobus Antonius Basile S. J. defunctus anno 1650. cùm Neapoli, jam in Societate, studeret, & mater ejus magno videndi Jacobum suum desiderio teneretur: misit illi Crucifixi Christi simulacrum, monuitque: ut illum sui loco aspiceret, quoties Jacobum videre optaret. *Nadasi Ann. Dier. Mem. 1. Martij.*

Deinde

Deinde professionis tuæ est, conversari cum hominibus? Habes leges Ordinis, quibus statuitur; cum quibus, quando, & quomodo sit conversandum. Ibi autem non habetur (imò oppositum habetur) ut cum Cognatis familiariter agas, frequens sis apud illos, & per plura milliaria divertas, nullius ipsorum spiritualis commodi studio: sed curiositate tantùm, & carnali amore impellente; vel ut aliquid temporalis commodi reportes ab ipsis. Nôsti: te civiliter & spiritualiter mortuum esse, vel saltem esse debere, mundo, carni & sanguini? Quid ergo tibi cum tam frequentibus ad illos excursionibus? Quoties domum redis; minor Religiosus redis, & non parum de spolijs vel moribus Ægypti tecum advehis. Comitatur te vel gaudium de fortuna illorum, vel luctus de infortunio: bullit sanguis cognatis spiritibus accensus; libenter nunc literas acciperes, nunc dares; imò & negotia ipsorum tractare non detrectas: Interim autem friget amor divinus, & studium perfectionis. Amentur sanè & parentes, & cognati, sed amore non fuliginoso. Optemus, & procuremus illis bona, imò optima, apud DEUM per preces & sacrificia, atq; virtutum exempla: cætera Divinæ Providentiæ committamus. *Plura in hanc rem dat Rodriquez p. 2. tr. 5. Exercit. perfect.*

FER. IV. post Dom. XIII. post Penc.

MEDITATIO: *De Charitate DEI, JESV & MARIÆ erga genus humanum.*

1. ADora DEUM O. M. & considera inæstimabilem ejus charitatem erga totum genus humanum. Nam 1. amavit illud supra Angelos: tum quia propter Angelos tam multa non creavit, sicut propter homines; tum quia Angelis semel peccantibus non pepercit, & irascitur absq; ulla spe reconciliationis: homines tam crebrò tam graviter peccantes admirandâ longanimitate tolerat; tum quia non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit per Unionem hypostaticam. 2. Cùm corrupta esset omnis caro Genes. 6. ita, ut pœniteret DEUM, creâsse hominem: non tamen delevit totum genus humanum, sed per 8 animas illud iterum mirabiliter multiplicavit, benedixit, Gen. 9. & perpetuo fœdere se illi obstrinxit. 3. Propter necem turpissimam & crudelissimam Filio suo Unigenito illatam non perdidit omnes, ut solent universæ familiæ deleri propter scelus unius: quin potiùs ex ipsa morte eruit, & in illos profudit infinita bona. O immensam latitudinem cordis divini! O inæstimabilem dignationem charitatis! Quid retribuemus miseri filij Adæ?

2. ADora D. JESUM, & considera: quanto & ipse complexus est amore genus humanum. Non dedignatur agnoscere illud ut genus suum: non erubescit coram Angelis DEI, profiteri se os de ossibus nostris, carnem de carne nostra: Convocat omnes ad se: omnes vult salvos fieri; pro omnibus sanguinem fudit, mortem oppetijt. Præstitit & præstat largissimè, quod solent amantiores familiæ suæ, sustentando, locupletando, exaltando genus suum pro viribus & facultatum suarum copia. Sustentat illud non pinguedine terræ, aut universis bonis Ægypti, ut Joseph: sed rore cœli, pane Angelorum, Corpore & sanguine suo divino. Locupletat illud cœlestium gratiarum ubertate, virtutum supernaturalium copiâ, & meritorum suorum infinitis thesauris. Exaltat illud terrestrium honorum contemptu, ambitioso Angelorum famulatu, & assumptione in regnum suum, ubi tanquam Principes cœli regnent æternùm. Verè Dominus JESUS est tenerrimus fratrum suorum & generis sui amator. Quo gratificabimur illi? Suscipe nos, Domine, in servos perpetuos, honori & amori tuo unicè addictos.

3. VEnerare DEIparam V. & considera amorem ejus suavem & fortem erga genus humanum. Jacuit ignobile & oppressum, donec surgeret melior Debbora, MARIA: *surgeret Mater in Israël.* Jud. 5. Nulla Judith, nulla Esther tantum egit & passa est pro populo suo: nulla è tanta tyrannide vindicavit gentem suam, præsertim profusione sanguinis & vitæ Filij unici. Suspicimus, ô Gratiosissima, materna viscera tua. Respice etiamnum afflictionem populi tui: & subveni.

Proposit. v. gr. *de orando sæpiùs pro communibus hominum necessitatibus.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur ampliùs Charitas Divina erga genus humanum, & finis illius.

GRande & manifestum est Divinæ Charitatis erga genus humanum argumentum, tam multa, tam pretiosa, tam pulchra, tam jucunda creaturarum varietas in usum & bonum ipsius productarum. Angeli, spiritus puri, his non indigent: bruta hæc æstimare nesciunt, & paucis in usum suum contenta sunt. *Tibi*, ô *homo*, inquit S. Chrysostomus homil. quòd homo prælatus sit omni creaturæ, *Cœlum in die lucis splendore vestitur, & solis fulgoribus decoratur; in nocte clarissimo lunæ speculo, & astrorum vario fulgore polus ipse illustratur: ut diei noctisq; vicissitudine & numerositas temporum dignoscatur, & post diurnum laborem requies miseris mortalibus præbeatur. Tibi tempora alternis vicibus immutantur, frondescunt sylvæ, amœnantur campi, prata virescunt, animantia fœtus edunt, scatent fontes, amnes fluunt &c.*

Si pauca

Si pauca vel parva hæc sunt, quæ parit terra, generant maria, fovet aër; attollamus oculos in cœlum, & animo supergressi firmamentum, ingrediamur illud summi Regis palatium, si licet; vel potiùs ex ostiarijs ejus quæramus: quid ibi nobis præparavit benefica manus Creatoris? Pro responso dabunt sine dubio solemne illud: *Nec oculus vidit, nec auris audivit, &c.* Sed fortè hæc parata erant homini, si in statu innocentiæ perseverâsset? Nunc autem, quid est homo, qui sic magnificetur? Quid est homo, qui sic magnificetur? Quid est homo? *Pulvis es, & in pulverem reverteris*: dicit Dominus Gen. 3. sed parum profectò dicit; nimirum pro sua incomparabili lenitate & benigitate. Cæterùm homo peccator quid est, nisi creatura deformata & pessimè depravata, injuriosa Creatori ac Patri suo, servus rebellis Domino suo, cliens ingratissimus Benefactori suo, filius parricida, monstrum naturæ, hostis DEI, abominatio, dedecus, probrum & ignomina reliquarum creaturarum, mancipium diaboli, titio inferni, & si quid deterius dici vel excogitari potest? Et tamen etiam super peccatores inæstimabilis charitas divina oriri facit solem suum, & pluit super illos non solùm guttas aquarum, sed imbres gratiarum. Etiam peccatoribus, quamdiu spirant, patent portæ cœli, & omnis gloria ejus.

S. Antoninus p. 2. Summ. Theol. tit. 2. c. 9. inducit quamlibet creaturam triplici voce quemlibet alloquentem. *Accipe*, inquit creatura, *Redde*, *Fuge*. Accipe beneficium ex me ad usum tuum: accipe, inquit Cœlum, à me illuminationem & motum: accipe, inquit Ignis, à me calorem; accipe, ait Aër, respirationem; accipe, ait Terra, à me animalia, victualia, metalla, sustentationem. Secunda vox est, *Redde*: scilicet obsequium tuo Benefactori & meo Creatori; qui ideò me creavit, ut tibi servirem; ego autem grata semper tibi obsequor, dum tibi servio; tu ergo multò magis illi obsequium præstes, in honorem suum me utendo, & sibi de meo obsequio tibi impenso, gratias agendo, ne ingratus inveniaris. Tertia vox est, *Fuge*: scilicet supplicium tibi paratum propter ingratitudinem. Nam si ingrata eris, non me bene utendo, & gratias agendo, omnes erimus contra te, ad judicandum tuam ingratitudinem. *Hæc Antoninus.*

Simili prosopopœiâ S. Chrysostomus cit. inducit omnem creaturam quemlibet hominem alloquentem. *Ego tibi à Domino rerum parere præcepta sum. Pareo, obtempero, servio, & cum mutato* (per peccatum) *non mutor. Pareo, inquam, rebelli, obtempero procaci, deservio contemptori &c. Quis talis es, qui in hoc contemptu persistis? qui creaturæ imperas, & Creatori non servis? qui dominatum exerces, & dominum non agnoscis? Time Dominum patientem, ne severum*

severum sentias Judicem. Corrigat te dilatio differentis; ne censura puniat judicantis.

FER. V. post Dom XIII. post Pent.

MEDITATIO: *De Charitate DEI, JESU & MARIÆ erga Electos.*

1. ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus charitatem erga homines Electos ad gloriam æternam. Ipsis vel maximè convenit illud Jerem. 31. *In charitate perpetua dilexi te: ideò attraxi te miserans.* Stupenda res est: quomodo divina Bonitas & Sapientia hos Dilectos & Electos suos fovet, dirigit, & per varias ambages, per plana & aspera, per bona & mala opera, feliciter ducit, & infallibiliter perducit ad bravium æternæ destinationis suæ, atque in paternum sinum suum colligit! *Quos prædestinavit, hos & vocavit: & quos vocavit, hos & justificavit: quos autem justificavit, hos & glorificavit* Rom. 8. O si scirem, me sic dilectum, & electum! Quid tum? Hoc fac nunc, Anima mea, quod faceres tunc. Dilige, & diligêris. Diligentibus non ardet infernus.

2. ADora D. JESUM, & considera: quo affectu & ipse feratur erga Electos DEI. 1. Diligit eos ut Fratres suos per gratiam adoptionis, & ut cohæredes regni paterni, cum quibus æternùm jucundabitur in cœlis. 2. Applicat illis efficaciter merita sua: ut per ea justificentur, & gratiam finalem obtineant. 3. Facit; ut *omnia*, etiam peccata, *cooperentur in bonum ijs, qui secundùm propositum* divinæ prædestinationis *vocati sunt Sancti.* Rom. 8. Lapsos erigit; atq; ut alacriùs currant, & stent firmiùs, roborat. 4. Persecutoribus eorum severissimum se vindicem exhibet. *DEUS non faciet vindictam Electorum suorum clamantium ad se?* Luc. 18. Ipsam Antichristi tyrannidem breviabit *propter Electos.* Matt. 24. O Amator amabilissime, quando congregabis Electos tuos à quatuor ventis, voca me cum benedictis. Interim da gratiam: ut Electorum vitam vivam, & morte moriar.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: eam Electos omnes maternis visceribus plane inclusos gestare. Super omnes equidem, bonos & malos, explicat geminos oculorum suorum soles: at electis cor offert totum, & plenâ manu gratiarum munera spargit, ut regnum paratum ipsis à constitutione mundi obtineant feliciter. Adumbravit illam Rebecca, teneriùs fortiusq; diligens è geminis eum, quem arcanis instinctibus didicit, dilectum DEO. O Mater dulcissima, an Jacob sim, vel Esau; diligar, an odio habear; ignoro. Unam impetra gratiam: Ut DEUM super omnia constanter diligam, & omne peccatum oderim.

Proposit.

Proposit. v. gr. *de vitanda nimia solicitudine circa prædestinationem, & confidendo in DEI bonitate.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm clara habeant Religiosi Signa Electionis suæ ad gloriam æternam.

AD mitigandum horrorem & metum fidelium concipi solitum ex illo Christi D. oraculo Matt. 22. *Multi vocati, pauci electi:* varia congerunt proponuntque Ascetæ signa prædestinationis ad gloriam æternam. Inter hæc autem ferè certiora sunt & manifestiora, quibus specialiter gaudent Religiosi. Dico *specialiter:* nam inprimìs etiam illis omnibus solari se possunt, quæ alijs fidelibus communia sunt; deinde specialia habent æternæ suæ salutis argumenta, fundata in ipsis, minimè obscuris, oraculis divinis.

Primum est, Salvatoris dictum Matt. 7. *Lata porta & spatiosa via est; quæ ducit ad perditionem; & multi sunt, qui intrant per eam. Quàm angusta porta & arcta via est, quæ ducit ad vitam; & pauci sunt, qui inveniunt eam.* Inter hos paucos tam manifestum est esse Religiosos; quàm clarum est, Statum Religiosum esse arctam illam viam & portam angustam. *Quid enim angustius*, (quærit S. Gregorius lib. 32. Moral. c. 17.) *humanæ menti*, ad libertatem & cum libertate natæ, *quàm proprias frangere voluntates? de qua fractione Veritas dicit: Intrate per angustam portam.* Quid arctius; quàm non solùm Decalogi septis includi, sed etiam tot specialium Legum & Ordinationum velut manicis pedicisq; constringi? Qui ergo angustæ huic, arduæ, & spinosæ viæ amore DEI & salutis suæ, se committunt, & constantes in ea progrediuntur, quàmvis hinc & inde non rarò ad spatiosam invitentur: quomodo non pervenient ad Sanctam Civitatem, Hierusalem cœlestem? Quomodo aberrabunt, & in Hierichuntinos incident latrones? Si id contingeret: non jam viatorum, sed viæ vitium esset: quod nefas est dicere.

Secundum est luculentissimum incarnatæ Veritatis promissum Matt. 19. *Omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, aut fratres, aut domum & agros propter me; centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Idem traditur Marci 10. & Luc. 18. ut pateat: quàm id certum, & notum, & inculcatum nobis voluerit esse Spiritus S. Dicitur autem generalissimè, *Omnis.* S. Lucas habet: *Nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, propter regnum DEI, & non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo futuro vitam æternam.* Quid pluribus egemus testimonijs de prædestinatione & electione nostra ad vitam æternam: si verè nobis conscij sumus, quòd sincerè & plenè reliquerimus propter DEUM, quæ in mundo habuimus, & habere poteramus; ac insuper in tali resolutione constantes usq; ad finem vitæ per-

manere velimus, vitam agendo statui nostro conformem? Quamdiu sic constituti sumus; nullum rationabile dubium occurrere nobis potest de Prædestinatione nostra ad gloriam æternam.

Quodsi quis in Religione non religiosè vivat: is blandiri sibi hoc Electionis solatio non potest: Siquidem affectu & conversatione reversus est ad sæcularia. Non semel reliquisse mundum, sed constanter & sincerè reliquisse, Electorum est. Scriptum est enim Luc. 9. 62. *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno DEI.* Non dicitur: Et *relinquens aratrum*; sed *respiciens retrò*. Hoc autem *Respicere retrò*, non solùm significat deliberatam voluntatem, relictâ Religione, redeundi ad mundum; sed etiam crebram cogitationem de relictis in mundo, & rebus sæcularibus: prout explicant Euthymius, Toletus, Cornel. à Lap. &c. Facilè enim per hujusmodi cogitationes accenduntur sæcularia desideria, & desideria prorumpunt in facta. Quodsi ergo, qui sic respicit retrò, ineptus est regno DEI; quid tenendum de eo, qui in Religione actu sæculariter vivit? Cæterùm ad omnes pertinet saluberrimum illud Apostolorum Principis monitum 2. Pet. 1. *Fratres magis satagite: ut per bona opera certam vestram Vocationem, & Electionem faciatis.*

FERIA VI. post Dom. XIII. post Pentec.

MEDITATIO: *De Charitate DEI, IESV & MARIÆ erga Peccatores.*

1. ADora DEUM O. M. & considera infinitam ipsius charitatem erga homines peccatores. Nam non solùm mirâ patientiâ sustinet peccantes, operatur cum illis, quidquid volunt, operatur in illis varios instinctus & motus supernaturales ad agendam pœnitentiam, protegit illos, ne à dæmonibus illicò rapiantur in Tartara: sed insuper Filium suum Unigenitum, sibi charissimum & æqualem, voluit immani morte occumbere pro ipsis, ut reconciliarentur DEO, & viverent. Quàm incomparabilem charitatem admirans Apostolus Rom. 5. *Vix*, inquit, *pro justo quis moritur, Commendat autem Charitatem suam DEVS in nobis: quoniam, cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est!* O Prodigium Charitatis! O infinitam dilectionis abyssum! Si enim infinita non esset, extendere se eò usq; non potuisset. O amor DEUS, quantopere me peccatorem amâsti!

2. ADora D. JESUM & considera inæstimabilem & ipsius erga nos peccatores charitatem. Parum illi fuit: nobis per omnia, absque peccato, fieri similem, interpellare & placare Patrem jam vagitu infantili, jam clamore valido; fundere pro nobis nunc uberes lacrymas, nunc sanguinem

sanguinem largissimum: *cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est!* & morte crucis mortuus est! Hic deniq; inauditus, & Apostolis Angelisque inconceptibilis, Charitatis excessus est. Pro peccatoribus (qualibus monstris? quantis hostibus suis?) non alium quempiam, servum, aut amicum suum, mori jussit: sed ipse mortuus est, morte ignominiosissimâ & violentissimâ! Inspice attentè, ô Anima mea, per hiantia vulnera, per apertum latus infinitam divini hujus cordis charitatem. Sic Dominus JESUS, DEUS tuus, te peccatricem dilexit! Quam charitatem hactenus rependisti? quam rependes deinceps?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam ad exemplum Filij accuratissimè ordinâsse charitatem suam, & admirabili dilectione semper complexam esse peccatores. Meritò eam cum S Ephrem Serm. de laud. B. Virg. celebrat Ecclesia, ut *Refugium peccatorum*, maximum tutissimumq; post DEUM, & sæpe Unicum: idq; peccatorum *omnium*, ut notat S. Thomas Villanov. Conc. 1. de Assumptione; cujuscunque conditionis & malitiæ sint: Et me, obsecro, ô Mater immensæ charitatis, in sinum misericordiæ tuæ admitte. Hoc maximum mihi erit dilectionis tuæ argumentum, si me, peccatorum maximum, non excluseris.

Proposit. v. gr. *respondendi amori divino frequentatis actibus amorosissimæ Contritionis.*

LECTIO PRACTICA.

De Imitatione Divinæ Charitatis erga Peccatores.

IMitanda est 1. *Suaviter plerumque cum ipsis agendo.* Quâ dote quantùm excelluerit Ind. Apostolus S. Franciscus Xaverius; tradit in ejus Vita Thursellinus tùm alibi, tum lib. 1. c. 13. Erat, inquit in Xaverio perpetua oris hilaritas, omnium animos comitatis dulcedine alliciens. Itaque homines quoq; flagitijs sceleribusq; cooperti, vulgò à religiosorum virorum consuetudine congressuq; abhorrentes, jucundissimam Francisci familiaritatem avidissimè expetebant. Et ille haud rudis cujusq; generis animos tractandi, paulatim eos benevolentiâ delinitos, reflectebat à vitijs: demum jam fræni patientes, in omnem virtutis ac pietatis partem incitabat, impellebatq;. In hunc finem subinde ipse se ad convescendum offerebat, ludentibus assidebat, dexteritatem laudabat, liberis blandiebatur; nihilq; officij, præsertim erga infirmos & milites mercatoresq;, omittebat, quo obstrictos emolliret, & ad saniora perduceret.

2. *Multâ patientiâ utendo in tolerandis* non solùm defectibus, sed pravis & inveteratis moribus eorum, quorum difficilior est curatio. P. Martino

Guttierez S. J. de quibusdam suorum, quibus præerat, defectibus anxio, tempore Examinis spectabilem se præbuit DEIpara V. eiq; in argentea lance Cor exhibuit exile & angustum; in quod cùm duæ sanguinis guttæ decidissent, palpitare cœpit, trepidare, ac penè submergi: dixitq; hoc esse cor ipsius P. Martini. In alia verò lance præbuit Cor amplum, copioso sanguini innatans, quod eò magis attollebatur, quò magis augebatur affusus sanguis: & hoc dixit esse Cor DEI, quod nullis mortalium noxis & criminibus perturbatur. *Nadasi Ann. Dier. Mem. 21. Febr.*

3. *Errabundos & perditos solicitè inquirendo & reducendo.* Sic Paphnutius relictâ eremo, ad prostitutam neptem suam convertendam indefessus contendit. Alius quidam Monachus, ut quendam, qui ad seculum redierat stimulante Venere, reduceret: insecutus est hominem; & è lupanari reducem amicè complexus, ut saltem, perpetrato jam peccato, rediret ad eremum, rogavit. Renuente illo, & in peccatis pergente, mansit & ipse in civitate, & manibus laborans, laboris sui fructum tam diu ei obtulit, ipse jejunans: donec tandem tantâ charitate permotus alter, ipsum in eremum secutus est. *Pratum Spirituale c. 79.*

4. *Pœnitentias & mortificationes pro ipsis subeundo.* Stupendum, & vix aliàs auditum, in hoc genere exemplum heroicæ Charitatis erga peccatorem dedit S. Petronus Ord. Carthus. Infernales pœnas pro ipso sustinendo: prout referetur infrà Fer. 2. post Dom. 23. à Pent. S. Carolus Borromæus, ut habetur in Vita lib. 8. c. 10. dicere solebat: Pastorem animarum non tantùm debere habere desiderium obeundi mortem pro illis, sed plura perferendi, quàm sit, semel pro illis vitam profundere. Labores enim & molestiæ in auxilio animarum sustinendæ, acerbiores sunt, quàm semel capitis præcisionem per Martyrium pati. Et præstitit ipse fidelissimè opere, quod docebat verbo. S. Christina Virgo verè Mirabilis tum Charitatis erga peccatores ardore, tum studio pro ipsis patiendi, quanta tulerit: constat ex mirabili ejus Vita apud Sur. 23. Junij. Gaudebat vitam prodigiosè sibi conservari à DEO, ad toleranda plura & graviora pro peccatoribus tormenta.

5. *Renunciando cœlesti gloriæ ob peccatorum conversionem.* Moysen & Paulum Apost. imitatus S. Dunstanus Archiep. cùm die Ascensionis Domini ad cœlum invitaretur ab Angelis; renuit venire: ut eo die populum suum verbo DEI pascere posset; distulitq; obitum suum usq; ad sequens Sabbatum. *Spec. Exempl. dist. 8.* S. Maria Magd. de Pazzis, cùm aliquando pro animarum salute impensiùs oraret, in extasi dixit: Domine, si non facis mihi hanc gratiam, dando animas istas, quas ego peto: dicam etiam ego: nolle

me veni-

me venire ad gloriam, quam mihi præparâsti. *In Vita c. 99.* P. Ludovicus de Ponte S. J. in secreto suo libello scriptum reliquit: Si ad peccatorum conversionem necessarium sit; me in perpetuum ardere in flammis inferni, sine peccato: me offero, DEUS, ad has flammas. In Vita lib. 2. c. 5. Æmulemur itaque & nos charismata meliora; tunc saluti nostræ optimè consulturi: si alienæ nos impenderimus totos.

SABB. post Dom. XIII. à Pentec.

MEDITATIO: *De Amore amicitiæ DEI, JESU & MARIÆ erga Justos.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: ineffabili ejus erga homines Charitati non esse satis, quòd eis gratiosè condonet peccata; sed usq; ad amorem Amicitiæ extendit brachia pietatis suæ, omnesq; strictæ Amicitiæ conditiones implet abundè. Nam quos justificat, 1. elevat ad statum quendam divinum, per infusam gratiam sanctificantem, faciendo eos *consortes naturæ suæ divinæ.* Gratia enim ista est Radix Visionis beatificæ. 2. Vult illis omne bonum, & innumera exhibet tenerrimi affectûs argumenta: idque non propter utilitatem suam; sed ut ipsis sit bene & beatè. 3. Communicat bona sua profusissimè, non terrestria solùm, sed cœlestia. 4. Communicat Secreta sapientiæ & providentiæ suæ, per mysteriorum fidei revelationem, & quandoq; per speciales privatas illustrationes. Hæc nobis Amicus noster DEUS. Quid nos illi? Quàm sincerè, fideliter & familiariter agimus cum ipso? Pudor!

2. ADora D. JESUM & considera: quàm accuratè impleat & ipse omnes veræ nobiscum Amicitiæ partes. Ut major inter nos & Unigenitum DEI esset similitudo; *exinanivit semetipsum*, novo invento *factus in similitudinem hominum*, & quidem per omnia factus similis, excepto peccato. Quòd non sua, sed nostra quæsierit commoda; clamant ejus vulnera, tota vita incommodissima, & mors acerbissima. Quantis per ipsum repletisimus bonis: nec cogitatione assequi possumus. Nihil sine ipso, omnia per ipsum: Ipse & Justificator, & Glorificator noster, nunc per gratiam sanctificans animas in conformitatem morum, olim reformaturus corpora humilitatis nostræ in similitudinem gloriæ suæ. Secreta sua quàm liberaliter communicet; testatur ipse Joan. 15. *Vos dixi Amicos: quia omnia, quæcunq; audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Ubi similem inter filios hominum, aut choros Angelorum reperiemus Amicum? At quam vilis nobis est Amicitia JESU? Dolor!

3. VEnerare DEIparam V, & considera: eam non solùm Amicam esse Sponsi Cœlestis: sed etiam hominum proborum: quos, dum videt per gratiam & virtutum actus conformatos Filio suo & sibi; non potest non complecti fidelissimæ charitatis ulnis, optando, desiderando & procurando ipsis amplissima gratiæ & gloriæ bona; assistendo constanter in vitæ mortisq; periculis, totumq; pectus eviscerando in eorum solatia. *Amicam bonorum, quæ Amicum bonorum, DEVM, peperit*, vocat ipsam S. Joseph Hymnographus in Paracl. Græcorum. O Amica tota pulchra, tota gratiosa, occupa omnes amores meos.

Proposit. v. gr. *de procuranda, & nunquam per peccatum dissolvenda amicitia DEI, JESV & MARIÆ.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur ampliùs Amicitia DEI erga Justos.

TAntus est Divinæ Bonitatis amor erga Justos: ut meritò dicatur eos continuò habere in oculis, gestare in manibus, & fovere in corde suo Divino. Quo utiq; & jura Amicitiæ cumulatè implet; & plus ipsis præstare dicitur, quàm si dicatur eos possessione cœlorum omnium donâsset.

I. Continuò habet eos in oculis, teste Psalmographo Psal. 32. *Ecce oculi Domini super metuentes eum: & in eis, qui sperant super misericordia ejus: ut eruat a morte animas eorum, & alat eos in fame.* Et Psal. 33. *Oculi Domini super Justos; & aures ejus in preces eorum. Vultus autem Domini super facientes mala: ut perdat de terra memoriam eorum* Non solùm ipse meminisse eorum in bonum non vult: sed etiam apud homines altâ oblivione vult eos sepeliri: cùm è contra de Justis lætior canat Psaltes: *In memoria æterna erit Justus; ab auditione mala non timebit.* Psal. 111. ab illa scilicet auditione: *Ite, maledicti, in ignem æternum:* prout explicat S. Augustinus Serm. 38. de Sanctis. Quid enim timeant Justi fulmen ex ore ejus, è cujus oculis continuò excipiunt faces amoris? Quid timeant egestatem & famem illi, quibus prospiciunt oculi Omnipotentis Amici, qui non solùm necessitatibus, sed etiam honestæ voluptati suorum, usq; ad delicias, prospicere solet? Sic ægrotanti D. Thomæ Aquinati, & certam speciem pisciculorum, qui in ea vicinia non reperiebantur, appetenti, prodigiosè submisit Divina Providentia. *Surius in Vita 7. Martij.* Similiter cùm P. Petrum Canisium S. J. columen illud Germaniæ, cætera fastidiente stomacho infirmo, cupido incessisset, vescendi carnibus certæ cujusdam aviculæ, qualis eo loci frustrà quærenda erat: mox per fenestram apertam desiderata involavit, seq; facillimè præbuit capiendam. *Raderus in Vita lib. 3. c. 3.* Fratri verò Guidoni Ordinis S.

dinis S. Francisci jam grandævo, annonam suppeditabat DEUS per felem, quæ quotidiè è sylva volucrem aliquam afferebat F. Francisco illius socio, ut Guidoni pararet. Ipso verò die, quo vir sanctus obijt, ad pedes ejus etiam felis expiravit. *S. Bonavent. in Biblioth. pauper.*

II. In manibus suis gestat Divina Bonitas Justos, juxta illud Sap. 3. *Justorum animæ in manu DEI sunt: non tanget illos tormentum mortis.* In manu DEI sunt tam viventes, quàm mortui; nec est, qui inde eos eripiat; nisi ipsi, dum mortalem adhuc agunt vitam, subtrahant se DEO. In manu DEI sunt, ut Annulus pretiosus, vel Gemma annularis. In manu DEI sunt ut Rosæ & Lilia, alijq; gratissimi flosculi: in manu DEI sunt ut proles parvula in manu patris & matris. Non tanget eos tormentum mortis, postquam semel naturæ debitum solverint. *Justus* enim, *si morte præoccupatus fuerit: In refrigerio erit.* Sap. 4. imò ipsa, quam semel oppetunt, mors tormentum illis non est; sed potiùs optatus *finis laborum, victoriæ consummatio, vitæ janua, & perfectæ securitatis ingressus*: ut ait S. Bernardus in ep. ut meritò Apoc. 14. prædicentur *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

III. Fovet eos DEVS in corde suo, tenerrimè amando, sicut mater amat unigenitum suum; varijsque eximijs gratijs alendo, & confortando. Hinc Gratiosissimus Salvator S. Rosam Limanam appellavit Rosam Cordis sui: *O Rosa cordis mei, tu mihi sponsa esto.* Alias verò pias Animas visus est sæpiùs inclusas cordi suo gestare. P. Antonio Padillio S. J. in supremo morbo de rigore divini tribunalis solicito, & trepidanti, dixit Christus: se ipsum cordi suo inclusum habere, Unde animatus Antonius: Quid est, Domine, inquiebat, quod timeam; cùm mihi dixeris, quòd me intra cor tuum habeas? Si igitur intra cor tuum me habes: eamus, quocunq; volueris: nihil enim mihi est timendum. Paulò antè quàm expiraret, auditus est dicere: *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Lud. de Ponte in Vita P. Alvarez. c. 20. Et quis non lætetur: si intelligat, se divini cordis inquilinum esse? Major certè ea est dignitas, & felicitas; quàm inauguratum esse Regem cœlorum.

Tam felix ergò cùm sit Justorum conditio: sequamur monentem Spiritum S. Eccli. 4. *Pro Justitia agonizare pro anima tua: & usq; ad mortem certa pro Justitia: & DEVS expugnabit pro te inimicos tuos.* Quodcunq; immineat certamen, cum diabolo, mundo vel carne: pro conservanda Justitia, tanquam pro anima, certemus viriliter usq; ad agonem supremum: &

DEVS erit victoria & corona nostra.

DOMINI-

MEDITATIO: *De affectu DEI paterno, Christi fraterno, DEIparæ V. materno erga Fideles.*

1. ADora DEUM O. M. & considera affectum ejus paternum, & plus quàm paternum, erga fideles, & timentes ipsum. *Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se.* Psal. 102. Recole, quo affectu susceperit revertentem ad se prodigum filium pater Evangelicus: at incomparabiliter majore suscipit hujusmodi prodigos Pater cœlestis, curamq; illorum gerit plus quàm maternam. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te.* Isa. 49. Quàm opulentam parat illis hæreditatem? *Fili, omnia mea tua sunt.* Luc. 15. Quàm solicitè prospicit, & protegit? *Capillus de capite vestro non peribit.* Luc. 21. Quin & mortuorum corporibus invigilat: *Custodit DEUS omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur.* Psal. 33. O Patrem benignissimum, æternos meritum amores! *Et nunc, Domine, Pater noster es tu, & opera manuum tuarum omnes nos.* Isa. 64. forma, reforma nos; ut non degeneres habeas filios Affectum inprime filialem.

2. ADora D. JESUM & considera: quomodo non solùm glorioso & amabili Fratrum nomine honoraverit Apostolos, aliosq; probos fideles; sed semper verè fraternum erga eos gesserit, geratq; affectum. Amat eos teneriùs, quàm Joseph Benjaminum suum; quàm Jonathas Davidem: fortiùs quàm Apostolus fratres suos Judæos, pro quibus optabat anathema esse. O Frater Divinissime, Frater Humanissime, Frater, qui totus es amor nostri, quomodo nobis non es charissimus? quomodo reddimus tibi mala pro bonis, odium pro dilectione? Quidquid patimur malorum, meritò patimur: quia peccavimus & peccamus in te Fratrem nostrum. Veruntamen, quâ es pietate infinitâ, obliviscere sceleris fratrum tuorum perversorum: & da nobis cor verè fraternum.

3. VEnerare DEIparam V. & considera planè maternos ejus erga nos affectus. Quis infirmatur, quin & ipsa infirmetur? Quis scandalizatur, quin ipsa uratur? Quis DEO reconciliatur, ipsâ non interveniente? Quis æternæ damnationi addicitur, quin omnia ei viscera commoveantur? Quis in regnum cœlorum suscipitur, quin toto corde exultet in Domino? *Testis ipsi est DEUS; quomodo omnes gestat in visceribus suis, & cupit omnes in visceribus Iesu Christi.* O Mater! & mihi filio nequam monstra te Matrem!

Proposi-

Proposit. v. g. *de cavendis etiam minimis offensis talium & tantorum Amantium.*

LECTIO PRACTICA.

De Christianorum Prærogativis & Obligatione.

PRÆROGATIVAS indicat S. Petrus ep. 1. c. 2. *Vos genus electum, Regale Sacerdotium, Gens Sancta, Populus acquisitionis.* Christiani ergo sunt 1. *Genus electum* ex omni natione, quæ sub cœlo est, & ex singularum nationum civibus. Non enim statim ad initium prædicationis, & indifferenter omnes in aliqua natione, collecti sunt in Ecclesiam; sed certi quidam, magno Divini Spiritûs consilio & delectu: deinde sensim auctus fidelium numerus. Nec est volentis aut currentis, sed miserentis DEI: aggregari aliquem cœtui fidelium. Ad omnes pertinet, quod dictum Apostolis Joan. 15. *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

2. Dicuntur *Gens Sancta*; ob Sanctitatem tum Legis, quam profitentur; tum Sacramentorum, quibus distinguuntur à cæteris sectis, & sanctificantur; tum Religionis, quâ DEUM colunt; tum Conversationis, quâ inter se utuntur; tum morum, quibus vivere debent. Sanctitas hæc sicut potissimùm floruit in primitiva Ecclesia: ita postremis his sæculis refloruit in utraq; India & Africa: ut jam nobiscum de palma virtutum concertent barbari, nec pauci victores evadant. In nova Francia postquam hostes Iroquæi omnia depopulati essent, Ecclesias evertissent, & plurimos duxissent captivos; videns quidam ex ejus gentis Christianis unum è Patribus mœstiorem; en quàm subtili philosophia ipsum solatus est. *Qui sumus nos*, inquiebat; *ut DEI judicia indagemus? Novit ille: cur hæc permiserit. Hi Christiani, qui nunc sunt in captivitatem ducti, secum fidem & bona exempla ad hostes inferent. Quidquid agat: amat nos, qui hæc permittit, DEUS.* Alius ætate juvenis, cùm æger multa pateretur à Chirurgo, sic se animabat: *Si dæmones, aut Hiroquenses mihi hæc inferrent tormenta, solarer me ipsum, cogitans: DEUM delectari patientiâ meâ: Nunc autem, dum is, qui me affligit, facit hoc DEI, & mei amore: quantò magis patienter feram, oportet: ut DEUS ex me voluptatem capiat?* In Adolescentem alterum Indum herus suus gentilis, ob fidem susceptam, gladium strinxit, necem minitans, nisi ad patria sacra rediret. At ille: *Absit, ut tam celeri morte pro Christo defungar. Iube potiùs vicatim & oppidatim per totum regnum circumductum, minutim & per otium concidi, ab extremis membris & articulis facto initio.* Tam heroico animo consternatus herus invito pepercit. *Lohn. in Append. Biblioth.* Chinensium, Tunquinensium, Japonum, Paraquariensium, &c. &c. non vulgarem virtutem copiosi loquuntur libri; nostrosq; Europæos rubore suffundunt.

 3. Dicun-

3. Dicuntur *Regale Sacerdotium.* Ecclesia enim Christi est Regnum Monarchicum, in quo suprema potestas est penes unum Sacerdotem, Pontificem Romanum; membra verò hujus regni sunt potentissimi principes, reges & imperatores. 4. Deniq; dicuntur *Populus acquisitionis*: seu acquisitus, non armorum potentiâ, vel auri & argenti pretio; sed divino Unigeniti Filij DEI sanguine, & virtute; quâ eruti sumus è durissima captivitate principis tenebrarum.

Tantæ tamq; eximiæ prærogativæ eam nobis important obligationem, 1. Ut *sobriè, & justè, & piè vivamus.* Tit 2. Et 2. Tim. 2. *Discedat ab iniquitate, qui nominat nomen Domini*, CHRISTI se servum & membrum confitendo. 2. Ut DEO nos gratos exhibeamus: quòd omninò immeritos collegerit in Ecclesiam Filij sui, in qua sola salus & vita est æterna. *Gratias agentes DEO, qui nos fecit dignos in partem sortis Sanctorum in lumine*; scilicet Fidei Christianæ. 3 Ut DEUM Dominum nostrum glorificemus, & virtutem, atq; gratiam Salvatoris nostri prædicemus & extollamus: *Vt virtutes annuncietis ejus*, (1. Pet. 2.) *qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum.* 4. Ut imitemur vitam & actus Christi, à quo dicimur glorioso nomine CHRISTIANI. *Qui dicit, se in Christo manere: debet, quemadmodum ille ambulavit, & ipse ambulare.* 1. Ioan. 2. Unde Gregorius Nyssenus de nomine & prof. Christ. ait: *Christianismus est Imitatio Divinæ Naturæ. Si igitur Christianus es, Christum DEVM imitare. Noli vacuum ferre nomen atque inane, sed plenum. Tanti mensuram nominis imple: imple, inquam, operibus nomine dignis.*

Graviter S. Leo Serm. de Nat. Christi. *Agnosce, ô Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento, cujus Capitis sis membrum: quòdq; erutus de potestate tenebrarum, translatus es in DEI lumen & regnum. Noli te iterum diaboli subjicere servituti: quia pretium tuum sanguis Christi est.*

FER. II. post Domin. XIV. post Pentec.

MEDITATIO: *De Amore DEI, IESV & MARIÆ erga Religiosos.*

1. ADora DEUM O. M. & considera, quo complectatur amore homines Religiosos; qui impulsu divini amoris, ac salutis & perfectionis suæ studio, mundum deseruerunt. Suspicit illos & amat ut gloriosos mundi contemptores, ut fortes carnis domitores, ut amicos & filios ad nutum suum omnem paratos & promptos; ut Angelos, in carne non secundùm carnem viventes; quorum alij throno Majestatis ejus per contemplationem

tionem jugiter assistunt, & dies noctesq; laudibus divinis insumunt; alij tanquam administratorij Spiritus conversationem suam habent in cœlis pariter ac in terris, & DEO, & hominum saluti continuò intenti, ardentes in oratione, indefessi in actione. *Beatus*, ô Domine, *quem* ad hoc vitæ genus *elegisti & assumpsisti! Inhabitabit*, in domo religiosa, tanquam *in atrijs tuis*: ac tandem in regnum tuum ingressus, *replebitur*, cæteris abundantiùs, *in bonis domûs tuæ*. Psal. 64. O fiant novissima mea horum similia! Fient: si vita præcesserit similis.

2. ADora D. JESUM & considera: quo amore feratur ipse in cultores vitæ religiosæ. Intuetur in illis efficaciam gratiæ & vocis suæ; quâ perceptâ, non retibus solùm & patre relictis, sed omni pompâ mundi calcatâ, omnibus carnis illecebris spretis, nudi secuti sunt nudum. Amat ipsos ut novi Testamenti Nazaræos, candidiores nive, nitidiores lacte: ut sidera splendidissima in firmamento Ecclesiæ suæ; ut lectissimam ornatissimamq; familiam aulæ suæ terrestris: ut filios regni, fratres & cohæredes suos; quibus mundus crucifixus est, & ipsi mundo. Felices, quibus ea mens cœlitùs indita: quos exaltatus in cruce traxisti ad te, Domine JESU. Da: ut constanter adhæreant tibi.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm blandè provideq; in sinu charitatis suæ, & sub pallio protectionis suæ foveat Religiosos. Respicit illos, ut pupillos & orphanos, à mundo contemptos, atq;, ut dicitur Isa. 28. *ablactatos à lacte* illecebrarum sæcularium, *avulsos ab uberibus* parentum, sibi verò à divina Providentia peculiariter commissos, tanquam specialiter addictos Filij sui D. JESU honori Proinde, quàmvis universalis sis fidelium omnium Mater; ex his, ô Pijssima, quos sibi specialiter adlegit JESUS, ne sinas perire quemquam.

Proposit. v. gr. *de propensiore affectu gerendo erga homines Religiosos.*

LECTIO PRACTICA.

De Odio dæmonis & satellitum ejus erga Religiosos.

EA est malignitas principis tenebrarum: ut non possit non odisse, quod DEUS amat; tantoq; acriora sint ejus odia, quantò major est DEI amor. Hinc manifestum est, certumq; eximij amoris Divini erga Personam aliquam vel Statum argumentum: si constet; dæmonem statum talem vel personam vehementiùs odisse, omnesq; vires exerere ad ipsi9 eversioné.

Porrò, quantam ipsi bilem moverit Religiosæ vitæ professio, quantasq; semper adhibuerit machinas & copias ad Religiosos persequendos ac opprimendos; jam inde ab ipso exordio monachorum è sylvis & antris in certos

cœtus collectorum: luculenter Ecclesiastica docet Historia: notavitq; Hieron. Platus. *lib. 1. de Bono Status Relig. in Proœm.* Concitavit contra illos, atq; in aciem eduxit potentissimos Imperatores & reges: Julianum inprimis Apostatam; qui, quàmvis sanguinem non fuderit, ne victoribus pararet palmam; omnibus tamen, quibus potuit, modis incruentis vexavit servos DEI. Suscitavit deinde Imp. Valentem: qui generali edicto, gravissimisq; pœnis propositis, Monachos omnes armis sumptis militare jussit, & non ducere vitam, ut ajebat, otiosam. Utriq; suus conatus carò stetit. Julianus enim post annum ferme imperij ac dimidium, telo cœlitùs misso concidit: Valens, cùm non multò ampliùs imperâsset, exercitu fœdè cæso, in villam se proximam recipiens, igne ab hostibus injecto, conflagravit.

Hos secutus est Constantinus Copronymus; ac deinceps Leo Armenus Impp. qui non disputando, cavillando, aut legibus latis; sed carceribus, tormentis, cædibus in Religiosas familias grassati sunt. Verùm ut Martyrum sanguis semen fuit olim Christianorum: ita è Monachorum cædibus uberior pululavit seges Religiosorum: tyranni verò illi Vindici Justitiæ Divinæ meritas dederunt pœnas.

Præter hos armavit Satan in Religiosos alias copias, *hæresiarcharum* scilicet, hæreticorum, & improborum Catholicorum: qui non tam armis, quàm dolis, calumnijs, scriptis publicis, & fanaticis declamationibus rem agerent; &, si opprimere non possent, saltem in invidiam & odium implacabile inducerent DEI servos. Signiferi illorum, temporibus S. Hieronymi, fuerunt Jovinianus Romæ, Vigilantius in Gallia: quorum alter Virginitati Matrimonium, alter Paupertati voluntariæ divitias æquando, Religiosæ Vitæ jugulum petierunt. Quos deinde secuti sunt Vicleffus, Lutherus, Calvinus, Melanchthon, cum non minùs furioso, quàm frequente satellitio.

E Catholicis quoq; non neglexit veterator auxiliares conducere copias, quas subinde exortis opponeret Religiosis Ordinibus. Sic contra novellum D. Benedicti gregem, & ipsum ejus Caput, eduxit Florentium quendam Presbyterum; contra DD. Dominici & Francisci Ordines Guilielmum Matisconensem Canonicum, & Gyraldum Doctorem Parisiensem: qui tum voce in circulis & cathedris, tum etiam prægrandibus voluminibus conscriptis, magnam in DEI famulos concitârunt tempestatem. Sed opposuit improbis Divina Providentia duo utriusq; Ordinis lumina, an fulmina belli à cyclopibus illis moti, Thomam Aquin. & Bonaventuram, qui doctissimis libris impios blaterones profligârunt. Nec defuit gladius Petri & Justitiæ Divi-

tiæ Divinæ. Florentium illum repentina tecti ruina miserè oppressit: Guilielmus Romam ab Alexandro IV. Pontif. evocatus, publicè convictus, damnatus, Ecclesiasticis Censuris suppositus, atq; è Gallia à rege Ludovico proscriptus est: Grymaldus primùm paralysi, deinde leprâ percussus interijt.

Contra nostram Societatem, à Divina Providentia recentioribus hæresibus oppositam, quantâ rabie dæmon pertinacissimè decertaverit; quales, quantasq; copias hæreticorum, cum malevolorum Catholicorum densissimis agminibus eduxerit, atq; etiamnum educere pergat: scripto testari necesse non est. Nec jam apologias concinnare oportet: cùm res pro DEO & Ecclesia per unum & dimidium sæculum gestæ, sufficienter nobis militent. Illud universim observare juvat: quod Sanctissimus Martyr, B. Josaphat Archiep. Polocen. disertè affirmare consuevit: Eos, qui Religiosis liberiùs obtrectant, magnum præbere argumentum: quòd non sint è numero Prædestinatorum.

FER. III. post Dom. XIV. post Pent.

MEDITATIO: *De affectu DEI, JESV & MARIÆ erga Vitam Activam.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quo feratur affectu in Vitam hominum, quam ascetæ vocant *Activam*, consistitq; in frequenti exercitio earum actionum externarum, quibus DEI gloria, & salus atq; perfectio animarum promovetur, vel corporibus indigentium subvenitur. Tales actiones sunt, divinas laudes canere, doctrinam Christianam tradere, concionari, confessiones audire, Sacramenta ministrare, Missas celebrare, opera misericordiæ exercere &c. Hujusmodi instituto, & vitæ genere DEUM mirificè delectari, dubium non est. Quo enim affectu fertur in promotionem gloriæ suæ, animarum salutem, & miserorum levamen: eodem feratur oportet in eos, qui talia agunt amore ipsius & proximi. Ad hæc sicut ipse DEUS continuò in & cum omnibus creaturis operatur, & omnia inter terram & cœlum empyreum posita vult esse in motu continuo: ita homines non amat otiosos & desides, sed vegetos & activos. *Ite Angeli veloces*, Isa. 68. *Quodcunq; facere potest manus tua, instanter operare.* Eccle. 9. At ego quàm plumbeus & ignavus! Incita, stimula pigrum hoc jumentum tuum, Domine.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm addictus fuerit vitæ Activæ. Non venit in mundum; ut tanquam dominans Dominus sederet in throno majestatis suæ, & omnia ageret per ministros: sed per se, in persona propria, agere voluit, & peregit, grande opus redemptionis

 nostræ.

nostræ. *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.* Matt. 20. *Pater meus usq; modò operatur, & ego operor.* Ioan. 5. *Jesus ergo fatigatus ex itinere sedebat sic super fontem.* Ioan. 4. Apostolis quoq; suis dixit equidem: Sedebitis super sedes duodecim; sed non citiùs, quàm explerent illud: Ite in mundum universum, prædicate Evangelium omni creaturæ. *Inutilem servum ejici jubet in tenebras exteriores.* Non dicit: Servum malitiosum, scelestum &c. ejicite; sed *Inutilem* ob ignaviam. Activos ergo & impigros desiderat servos IESUS, nec alios judicat esse bonos & fideles, qui jubeantur intrare in gaudium Domini sui.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; vitæ activæ studiosè deditam fuisse. Nam non solùm cum muliere illa forti Proverb. 31. digiti ejus apprehenderunt fusum, & operata est consilio manuum suarum: sed etiam *accinxit fortitudine lumbos suos* nunc in Bethlehem eundo, nunc in Ægyptum fugiendo, nunc ascendendo statis temporibus Ierosolymam, transcendendo cum festinatione montana Iudææ, inserviendo mensibus aliquot cognatæ Elisabeth, comitando Filium sive prædicantem, sive in Calvariam ascendentem. *Panem otiosa non comedit:* sed manuum labore partum, & spiritualibus obsequijs pro ratione sexûs & statûs sui, proximo impensis, meritum. Infunde & mihi, ô Domina, talis vitæ amorem.

Proposit. v. g. *de diligenter obeundis, præsertim officij & statûs proprij, actionibus.*

LECTIO PRACTICA,

De Vita Activa.

TRiplicem distinguunt Ascetæ Vitam hominum piorum, *Activam, Contemplativam & Mixtam*: ad quas referuntur omnium Religiosorum Classes. Vel enim toti sunt in Actione virtuosa, vel in Contemplatione Divinorum, vel utriq; ex primaria intentione incumbunt. Vita porrò Activa nunc sumitur *strictè*, pro ordinaria occupatione in exercendis & proximo exhibendis quibusdam externis charitatis ministerijs, v. g. docendo, concionando, infirmis serviendo, hospitalitatem exercendo, captivos redimendo, &c. Nunc *latiùs* sumitur, scilicet pro ordinaria spirituali occupatione sive circa proximum DEI causâ juvandum, sive circa se ipsum excolendum virtutibus Christianis. Unde S. Bonaventura Vitam Activam in duas distinguit partes lib. Medit. c. 45. *Activæ vitæ, inquit, duæ sunt partes. Prima pars, quâ quis se exercet ad suam principaliter utilitatem, corrigendo se, emundando se à vitijs, & informando virtutibus: Et idem secundariò fit ad utilitatem etiam proximi per opera justitiæ, & obsequia pietatis & charitatis. Secunda pars*

cunda pars ejus est: quando quis principaliter suum exercitium conferri in utilitatem proximi (quàmvis ad suum etiam majus meritum) ut alios regendo, docendo & adjuvando in animarum salutem: prout faciunt Prælati, & Prædicatores, & hujusmodi.

Circa primam partem vitæ Activæ advertendum est: eam esse Fundamentum & necessariam dispositionem ad Vitam Contemplativam: imò nec secundam partem ipsius Activæ vitæ subsistere sine illa posse. Nisi enim quis bene sit exercitatus in domandis passionibus suis, in mortificatione, & studio virtutum: non multum proficiet circa proximum; nec, ut decet, id munus obibit: & ipse detrimenta non modica patietur circa animam suam. Ad Contemplationem autem non faciliùs ascendet, ut notavit Blosius; quàm qui plumbo ferroq; onustus, & manus pedesq; vinctus, in arborem valde proceram ascendere vellet. Quocirca Magistri Spiritûs, antequam tyronibus suis tradant doctrinam de Contemplatione; exercere eos diligenter diuque debent in mortificatione tum externa, tum potissimùm interna passionum & pravorum affectuum, in eradicandis vitiosis habitibus, in studio solidarum virtutum, humilitatis præsertim, patientiæ & obedientiæ. *Oportet*, inquiunt Ascetæ, *ut priùs sis Jacob luctans, quàm Israël DEUM videns.* Non priùs oportet alta petere volatu quodam, quàm alæ succreverint. Meliùs pedibus, quàm alis implumibus ad montis cacumen pervenitur. Advertit quoq; opportunè P. Felix Locki *in Summa suæ Theol. Spirit. Sect.* 5. Non omnes, qui agunt vitam Activam, Contemplativam, vel Mixtam; esse in *Statu* vitæ talis. Nam dantur subinde, etiam inter sæculares, animæ valde piæ, & in virtutibus provectæ; quæ etiam dono altissimæ Contemplationis gaudent: & dantur in statu vitæ contemplativæ, qui non nisi Marthæ functionibus distinentur, corporalibus aliorum obsequijs dediti, adeoq; Activam potiùs, quàm Contemplativam vitam agunt. Cæterùm *Unusquisq;*, prout monet Apostolus 1. Cor. 7. *in qua vocatione vocatus est in ea permaneat:* atq; diligenter se exerceat. Erit, ut Magdalenæ, ita Marthæ sua merces: facileq; fieri potest; ut hujus sit copiosior; siquidem fuerit laboriosior.

FER. IV. post Dom. XIV. post Pent.

MEDITAT. *De Affectu DEI, JESU & MARIÆ erga Vitam Contemplativam.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quantopere ipsi placeat Vita hominum Contemplativa: quorum scilicet primaria occupatio est, contemplari veritates æternas, ac inprimìs Primam Veritatem & Sum-

mum Bo-

mum Bonum, DEUM, cum suis infinitis perfectionibus, mirabilibus judicijs, sanctissimis voluntatibus, seu decretis & mandatis. Nulla enim in hac vita potest esse occupatio hominis vel nobilior, vel jucundior, vel utilior. Præstantiam ejus commendat dignitas objecti, jucunditatem affluentia divinarum consolationum, utilitatem copiâ bonorum, quæ inde promanant, uti sunt Amor DEI sincerus, purus, fervens & constans, Amor proximi propter DEUM, totâq; virtutum omnium œconomiâ. Quid ergo fatui filij hominum meditamur inania? Totâ mente & corde, ut porci inter glandes, occupamur terrenis, DEUM & divina vix obiter attingimus! O DEUS, illumina oculos nostros, ut videamus cæcitatem nostram.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm addictus fuerit vitæ contemplativæ. Tota ejus vita temporalis, à primo Conceptionis instanti ad ultimum agoniæ momentum, unica, nunquam interrupta, & eminentissima fuit divinorum contemplatio. De ipso prædixit Jeremias Thren. 3. *Sedebit solitarius, & tacebit: quia levavit se super se.* Hujus vitæ studium mirificè amavit, & commendavit in Magdalena, pedibus suis affusa, sed mente & corde in altitudinem mysteriorum rapta: nec permisit illam inde à solicitante sorore avelli, contestans: optimam ab illa esse partem electam, *quæ non aufertur ab ea.* Quàm longè sum ego à talibus cogitationibus? O Domine, vanam mentem meam affige tibi.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, etiam in mortali corpore, ut volatilium Reginam, irretorto & indefesso oculo semper defixam in sole lucis inaccessibilis: seu ut Cherubinorum Seraphinorumq; omnium Principem, contemplando & amando Summo Bono, assiduè, diu noctuq; intentam. Non abstrahebat ipsam inde, ut Martham, frequens ministerium, non mentis levitas, non corporis infirmitas. O quando ordiar & ego hanc vitam! *Dies mei transierunt, cogitationes meæ dissipatæ sunt, torquentes cor meum!* Subveni, ô Gratiosissima.

Proposit. v. gr. *de majore studio meditationis & contemplationis Divinorum.*

LECTIO PRACTICA.

De Vita Contemplativa.

REligiosos, Vitæ Contemplativæ deditos, carpere amant Sectarij, & rudiores Catholici, ut ignavos, vitam otiosam ducentes, & Ecclesiæ inutiles. Sed idem est eorum de illis judicium, quod cœcorum de coloribus, aut surdorum de musica. Nam si nullâ aliâ re vel actione commodo essent Ecclesiæ; vel solæ ipsorum preces, ac tacita merita, quantum valent ad DEUM universo humano generi propitiandum & conciliandum? Ab

dum? Ab ipso nimirum ad hoc vitæ genus vocati sunt, vitam ducunt non solùm ad mandata, sed etiam consilia divina compositam, abnegârunt se ipsos amore DEI, reliquerunt omnia, quæ in mundo habuerunt, & habere poterant, tulerunt crucem suam, & arctissimam ingressi viam, constanter sequuntur Christum: quomodo igitur ipsi non sunt gratissimi? quomodo preces illorum non habent ingens apud eum pondus? Quomodo Ecclesiæ sunt inutiles? Meritò Bernardus Serm. 63. in parv. dicit eos *constitutos esse ad orandum pro corpore Ecclesiæ, tam pro vivis, quàm vitâ functis:* Nazianzenus Orat. 1. in Julian. *Eorum lacrymas esse peccati diluvium, & mundi expiamentum:* Eusebius Demonstr. Evang. l. 1. c. 8. *Summo DEO consecratos esse pro universo genere.* Quis scire possit, inquit Hieron. Platus libr. 2. c. 30. quot mala, quot calamitates eorum deprecationes à mundo depulerint? quot beneficia impetrâtint? Deinde viva virtutum exempla, quæ præbent, quantum valent ad ædificationem? Vel solus illorum aspectus acris est vitiorum objurgatio, atq; ad virtutem cohortatio: ut meritò S. Chrysostomus hom. 59. ad pop. hortetur sæculares: ut sæpe monasteria invisant, ad spiritualia commoda inde referenda. Deniq; hoc vitæ genus non ita est languidum & iners: ut non habeat multas, easq; præclaras intercurrentes actiones: ut psalmodiam, lectiones sacras, sacrificij divini oblationes, varias mortificationes &c. imò & corporales quasdam honestas exercitationes; quibus & præmium comparatur apud DEUM, & intensio animi nonnihil laxatur, & valetudini consulitur.

Quodsi verò ipsam Contemplationis, circa objectum præstantissimum versantis, naturam consideremus: ea est excellentiæ tantæ; ut philosophorum princeps Aristoteles, &, qui emunctioris fuerunt naris philosophi veteres, in Contemplatione Summi Boni summam hominis felicitatem collocandam putârint. Agentis enim intellectivi beatitudo constitui debet in operatione ejus perfectissima: non est autem ulla perfectior Contemplatione illâ. Quid jam nobis, altiori lumine illustratis, sentiendum: qui probè cognoscimus, quanta res, quomodo, & quo affectu agatur in Contemplatione, de qua hìc agimus? Meritò S. Gregorius lib. 31. Mor. c. 20. applicat Contemplativam vitam agenti, illud Isa. 33. *Iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas ejus; panis ei datus est; aquæ ejus fideles sunt, Regem in decore suo videbunt oculi ejus: cernent terram de longè.*

Tam sublimis professio ne Contemplantibus cedat in ruinam: unum alterumve D. Bernardi, in hac re præclarè exercitati, monitum altâ mente repositum teneant. Dat illa Serm. 3. in Assumpt. B. Virg. *Simplex esto; non*

tantùm sine dolo & simulatione; sed & absq; multiplicitate occupationum: ut tecum sit sermocinatio ejus, cujus & vox dulcis, & facies decora. Unum cave: ne abundare incipias in sensu tuo, & velis plus sapere, quàm oportet; ne fortè, dum lucem sectaris, impingas in tenebras, illudente tibi dæmonio meridiano. Ita ibi. Quàm turpiter hoc dæmonium, scilicet spiritus elationis, illuserit Justino cuidam: vid. Sabb. post Dom. 5. à Pasch.

FERIA V. post Dom. XIV. post Pentec.

MEDITATIO: *De Affectu DEI, JESV & MARIÆ erga Vitam Mixtam.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm chara illi sit vita, Mixta ex Activa & Contemplativa. Quælibet harum valde bona & DEO grata est: sed longè melior & gratior, pro hoc statu peregrinationis, ea hominum vita, quæ complectitur utramq;. Activa sine Contemplativa subsistere vix potest, multisq; obnoxia est defectibus: Contemplativa sine Activa sterilior est, & DEO proximoq; minùs utilis. Mixtam igitur tenuerunt Christus, S. Joannes Bapt. Apostoli & Sanctorum præcipui. Præsignabant illam Gen. 28. Angeli per scalam Jacob ascendentes & descendentes. Ascendimus enim ad DEUM per contemplationem atq; orationem; ut eum laudemus, amemus, & necessaria auxilia impetremus: descendimus autem ad juvandum proximum per sanctam operationem. O quis me talem Angelum faciat? At ego & talpa sum, & testudo, Domine.

2. ADora D. JESUM & considera: quàm excellenter in seipso expresserit Vitam hanc Mixtam, nobisq; accuratam ejusdem tradiderit ideam. In utero Virginis Matris tanquam in asceterio sacratissimo vitam egit contemplativam: natus illico inchoavit Activam, vocando pastores & Magos Orientis, terrendo scelestum Herodem, proficiscendo in Ægyptum, idola Ægypti convellendo, in Judæam redeundo &c. Auspicaturus prædicationem Evangelicam, ad eremum se recepit, & 40 dierum contemplationi vacavit: ipsam verò prædicationem ita instituit; ut diem docendo populo impenderet, noctem autem orationi: *& erat pernoctans in oratione Dei,* Luc. 6. Hæc igitur sit & nostræ vitæ forma.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: idem vitæ Mixtæ institutum & ipsam tenuisse; ut patet ex præcedentibus. Studebat enim perfectissimè imitari Filium, & formabatur à divina Providentia nobis in exemplar omnigenæ sanctitatis. Unde, quas piè vivendi, DEOq; placendi, formas sigillatim in se exprimebant sorores duæ, Magdelena & Martha, illa Contemplativam, ista Activam: easdem accuratissimè collegit in se MARIA. Da,

RIA. Da, Domina: ut & nos non solùm levemus corda pura & ferventia ad DEUM, sed juxta Jeremiæ monitum (Thren. 3.) *Levemus corda nostra cum manibus ad Dominum in cœlos*; piè orando, & strenuè operando.

Prop. v. gr. *de conjungenda oratione & operatione pro DEI gloria & proximi bono.*

LECTIO PRACTICA,

De Vita Mixta.

PRæter duo superiùs considerata Vitæ Religiosæ genera, Activæ scilicet atq; Contemplativæ, datur tertium, complectens illam utramq; ; quod *Vita Mixta* dicitur: & communi suffragio Ascetarum & Doctorum, præfertur utriq;, sigillatim spectatæ. Et manifestum est, singulis eminere, quod utriusq; continet perfectiones. Unde S. Bernardus Serm. 3. in Assumpt. B. V. post comparatam Vitam Activam cum Martha, & Contemplativam cum Magdalena, quæ à Domino dicitur, Optimam partem elegisse; scilicet respectu Marthæ, seu Vitæ tantùm Activæ; subdit: *Bonum acquirit gradum, qui bene ministraverit; fortè meliorem, qui bene vacaverit DEO; optimum autem, qui perfectus est in utroq;.* Et S. Thomas 2. 2. q. 188. art. 6. c. *Summum*, ait, *gradum in Religionibus tenent, quæ ordinantur ad docendum & prædicandum; quæ & propinquissimæ sunt perfectioni Episcoporum. Secundum autem gradum tenent illæ, quæ ordinantur ad Contemplationem: Tertium est earum, quæ occupantur circa exteriores actiones. Similiter si Religiosi Ordines profitentes vitã activã (idẽ de profitentib9 contemplativã vel mixtã) cõparentur ad se, deprehenderetur præeminentia: secundùm quod unus ordinatur ad altiorem actũ in eodẽ genere; sicut inter opera Activæ vitæ potius est, redimere captivos, quàm recipere hospites. Et in operibus vitæ Contemplativæ potior est Oratio, quàm Lectio. Potest etiam attendi præeminentia, si una Religio ad plura horum ordinetur, quàm alia.* Sed omnem, si quæ superesset, controversiam tollit efficacius ipsius Salvatoris nostri, & Apostolorum ejus vivendi ratio perfectissima, non minùs Contemplationi, seu Meditationi rerum divinarum, aliarumq; spiritualium: quam Actioni circa juvandum tum in spiritualibus, tum in temporalibus proximum, dedita. Nemo putet autem: Vel Contemplationem officere Actioni, vel Actionem obstare Contemplationi. Compertissimum enim est: illa sibi mutuò auxiliari. Nam hoc ipso, quòd quis nocturno vel matutino tempore sedulam impendit operam Contemplationi; procedit ab illa ad opus alacer & vegetus, ac velut ignem, qui in ejus meditatione exarsit, spirans: ideoq; & plus & meliùs operatur, quàm si à somno statim se accinxisset labori. Similiter qui strenuè propter DEUM, non ob vanum aliquem finem vel lucrum suum, operatur; præsertim si sæ-

piùs mentem elevare ad DEUM, & intentionem illam renovare, consuevit: accedit ad Orationem seu Contemplationem meliùs dispositus; tum quia assuevit agere cum DEO, tum quia DEUS intuitu laborum susceptorum, & operæ proximo impensæ, pluribus illum instruit gratijs. Valet enim hìc vel maximè illud Luc. 6. *Date, & dabitur vobis.* Et Proverb. 11. *Anima, quæ benedicit, impinguabitur: &, qui inebriat, ipse quoq; inebriabitur.* Patet id in omnium Virorum Apostolicorum Vita.

Illud deniq; observandum hanc Vitam profitentibus: ne se ultrò implicent negotijs, vel pluribus, quàm par est, vel merè sæcularibus; uti sunt, agere paranymphos in contrahendis conjugijs, exequi testamenta, procurare lites, gubernationi politicæ sese immiscere, & similia. Nam, ut monet Apostolus 2. Tim. 2. *Nemo militans DEO, implicat se negotijs sæcularibus.* Extinguunt enim spiritum, ac tempus viresq; subtrahunt laboribus Evangelicis. Compatitur quidem Vita Contemplativa Activam; sed eam, cujus actiones ex natura sua, & proximè, promovent spirituale bonum proximi: ut optimè notavit Lucki *in Summa Theol. Spirit. Lect.* 4. *Subsect.* 3. Tales sunt Regimen Spirituale Animarum, S. Scripturæ explicatio, Prædicatio, Catechizatio, Sacramentorum administratio, Adolescentum in pietate & literis instructio, Opera Misericordiæ spiritualia & corporalia, præsertim circa moribundos, Colloquia Spiritualia in conversatione &c. &c. His occupati verè sunt Discipuli Christi, Viri Apostolici, & fideles Ecclesiæ Ministri: quorum nomina in Libro Vitæ, & Memoria in benedictione.

FER. VI. post Dom XIV. post Pent.

MEDITAT. *De Amore DEI, J. & M. erga ferventes in Oratione & Operatione.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quo charitatis affectu complectatur Ferventes in Or: & Operatione. Solet n. singularibus benevolentiæ argumentis testari suavissimum, quem inde percipit, gustũ suũ: mentẽ divinis illustrationibus copiosiùs perfundendo, corpori quoq; subinde cœlestem lucem circumfundendo, vel illud à terra sublimè attollendo, cor supernis consolationibus & delicijs, etiam in summis ærumnis & afflictionibus, usque ad *satis est, satis est, Domine!* implendo. Unde amor nisi ex gratia tua, DEUS? Da gratiam, da amorem: & fervebo, ardebo in orando & operando.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm charos & ipse habeat ferventes in oratione & operatione. Amabat teneriùs geminas sorores, Martham & Magdalenam; hanc in contemplatione, illam in frequenti ministerio ferventem. Familiariores præ cæteris discipulis habuit Petrum, Jacobum & Joannem: quia cæteris omnibus ferventiores vidit.

Paulum

Paulum quoque elegit: prævidit enim, quo animi ardore, quo corporis vigore, & virium omnium applicatione atq; contentione id muneris obiturus esset, indefessè conversando, & cum Angelis in cœlo per contemplationem, & cum hominibus in terris per Apostolicam prædicationem. *Abundantiùs illis omnibus laboravi.* 1. Cor. 15. Deniq; unum ex primarijs finibus adventus sui in terram fuisse suscitationem hujusmodi fervoris, testatus est Dominus ipse Luc. 12. *Ignem veni mittere in terram: & quid volo, nisi ut accendatur?* Ah! quòd nondum ardeam hoc igne! Accende ipse illum in me, Gratiosissime JESU.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quanto amore ardeat erga fervidos in spiritu. Cùm enim ardentissimè desideret divinæ gloriæ propagationem, & perfectionis nostræ continua incrementa: non potest non singulariter affici erga eos, quos videt in eo negotio impigros & ferventes. Quo affectu complectebatur pastores, & Orientales Reges, sine mora ad Filium suum natum accurrentes, Magdalenam & Martham eidem impigrè inservientes? Incita, accende & me, ô Domina. Pudet ignavi torporis. Proposit. v.g. *de alacritate & fervore, dum orandum. vel agendum pro DEO.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm liberalem sperent DEUM & DEIparam V. ferventer Orantes & Operantes.

EXcitat illis insigni exemplo eam spem P. Nicolaus Lancicius Opusc. 12. c. 3. Cùm Collegium Aletinum regeret P. Bernardinus Realinus, quàm fervens erat ipse in Oratione, tam ferventes socios habuit in operatione. Viderunt illum complures inter orandum igneo vultu collucere; nonnemo advertit toto corpore scintillas spargere; ut mirum non sit: DEIparam V. frequenti apparitione dignatam esse orantem, teste Nadasi in Anno Dier. Mem. S. J. 2. Julij. Habuit aliquando Bernardinus Fratres quatuor in vinea ejusdem Collegij strenuè laborantes, Antonium, Petrum, Ascanium & Augustinum: digniq; visi sunt ipsi tales operarij, qui non vulgari mensâ reficerentur. Instituit igitur supplex apud DEIparam V. ut ipsa servis suis diurnam annonam suppeditare dignaretur, & lassos reficere. Et ecce sub tempus prandij adfuerunt elegantes quinque juvenes, magnam exquisitorum ferculorum copiam adferentes. Apportârunt pro prandio hædulos duos assos, tres assos porcellos, columbas aliquot cum jusculo delicato, tortam valde dulcem, quatuor placentas rotundas ex densato lacte, butyro & saccaro confectas, quas Itali grassiolas vocant; frusta aliquot regiæ, ut vocant, pastæ, solitâ longè sapidioris; globulos item è saccaro varios & magnos, intus loco coriandri habentes quiddam odoriferi instar

 musci,

musci. Attulêre insuper multos panes triticeos candidissimos, & tria genera vini exquisiti, nunquam ea in civitate visi; ollam præterea grandem, menestræ, ut appellant, plenam, lacti similem, saporis planè cœlestis, ex ignota materia coctæ. Pro cœna attulerunt insuper alij juvenes Angelici unam insolatam, seu lactucam cum malis citrinis, & botris uvæ, saccaro in globos formato respersam, ac folijs rosarum ac boraginum, necnon limonijs. Præterea attulerunt tres aves assas grandes, phasianorum speciem præ se ferentes, & copiosam carnem vitulinam tenerrimam, assam, & tria genera vini exquisiti, diversa à matutinis. Quæ omnia Fratres illi in Processu Canonizationis P. Bernardini Realini jurejurando testati sunt. En quàm liberale epulum exhibuit Divina & Mariana liberalitas impigris in vinea terrestri operarijs. Numquid parcam se præbebit erga desudantes in vinea spirituali? Si ventri non præstabit dapes exquisitas: at menti certò parabit, quales nec oculus vidit, nec lingua gustavit unquam.

Ex memorato exemplo infert Lancicius: Hinc Superiores possunt discere, quomodo, etsi parciùs, possint imitari Charitatem DEI, sine præjudicio parsimoniæ & paupertatis Religiosæ; non tantùm solius necessitatis habendo rationem, sed etiam decori, & justæ ac honestæ consolationis atq; recreationis religiosæ suorum subditorum: quandoquidem DEUS ipse summus paupertatis ac parsimoniæ, & perfectionis nostræ amator, tam liberalem pro prandio & cœna servis suis præbuit annonam, Angelicis manibus paratam & apportatam. Quod ut efficaciùs persuadeat; adducit n. 35. varia alia exempla: ac inter alia, quod Alphonso Rodriquez, notæ Sanctitatis Coadjutori Societatis nostræ, revelaverit DEUS: ob defectum spei & parcitatem Rectoris (cui id ipsum DEUS significari voluit) vineam Collegij destruendam à dæmonibus: prout re verâ contigit. Vidit enim Alphonsus dæmones nube densa adducta supra vineam, eam multa grandine penitùs destruxisse: ut scribitur in ejus Vita. Vult non rarò Divina Providentia domos religiosas angustiore premi annona: vel in pœnam diffidentiæ Superiorum, vel ut periclitetur eorum erga se fiduciam. Præclarè S. Leo ibid. n. 34. *Non timeatur*, inquit, *in ijs expensis defectio facultatum: quoniam ipsa benignitas magna est substantia. Non potest largitatis deesse materies; ubi Christus pascit & pascitur.*

SABB. post Dom. XIV. à Pentec.

MEDITATIO: *De displicentia DEI, JESV & MARIÆ erga pigros & tepidos.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quantopere ipsi displiceant in obsequio & cultu ejus desides & tepidi, Principes terræ, imò ple-

beji pa

beji patresfam. non patiuntur in domibus suis servos ignavos: sed verberibus emendant, vel domo ejiciunt. DEUS, præterquam quòd naturali jure & innumeris alijs titulis ipsi mancipati simus, grandi mercede regni cœlestis conduxit nos. Videre igitur torpentes in suo obsequio, nec erubescentes præsentis, & inspectantis, vultum; quàm acerbum est illi? Bene Sapiens Prov. 10. *Sicut acetum dentibus*, quos stupefacit, *& fumus oculis; sic piger his, qui miserunt illum.* Parce ignaviæ meæ, Domine: præstò erit deinceps & promptus servus tuus ad nutum omnem.

2. ADora D. JESUM & considera: quàm ingrati, & acerbi, ipsi quoq; sint segnes & tepidi. Terribilis est illa vox ejus Apoc. 3. qua perstrinxit quendam ministrorum Ecclesiæ suæ: *Scio opera tua, quia neq; frigidus es, neq; calidus: sed quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Tepidos igitur aversatur tanquam cibum, quem compellente nausea ejicimus; quo nihil abominabilius. Averte, obsecro, à me, Gratiosissime JESU, lethiferum hunc teporem. Manda: ibo, volabo.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quòd, quamvis clientes suos omnes maternis complectatur visceribus; tepidi tamen & ignavi nauseam ipsi quoq; faciant, & stomachum moveant. Ut enim matrum sollicitissima cura est, non solùm in alendis filijs, sed etiam bonis moribus formandis, comendis, ornandis; ut elegantuli, vividi, vegeti & promptissimi sint ad nutum maternum: ita fastidiunt prolem, ursorum catulis similem, ignavam & frequenti murmure molestam. Ecce me, ô Mater: jube, ô Domina. Audit, facit servulus tuus.

Proposit. v. gr. *de excutiendo sine mora torpore in obsequijs DEI, J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

Non differendum Studium Perfectionis.

STudium perfectionis Evangelicæ pertinere ad omnes omnino Christianos: ut secundùm vocationem suam studeant perfecti esse in gradu suo: ostensum est in Lect. Pract. *Dom. 2. Advent. & seq.* atq; extra dubium est. Nec facilè prudens quispiam & probus reperietur, qui absolutè nolit perfectionem: sed pleriq; vel putant eam in statu suo, v. g. sæculari, obtineri non posse; vel serium & fervens ejus studium differunt de die in diem, de anno in annum: atq; interim satis habent, si cum DEI auxilio abstineant à gravibus peccatis. Verùm id satis non esse; ostensum est ibidem. Dum enim desperamus vel procrastinamus: transit tempus pretiosissimũ & irrevocabile, quo ingentia merita & lucra comparare potuimus, & comparabimus nunquam; transeunt plurimæ, quibus excitamur ad meliora, Gra-

tiæ Di-

tiæ Divinæ; transit vitæ pars major & melior; transit deniq; Dominus ipse, qui stat ad fores cordis nostri, & nos evocat ad tollendam crucem. Nos verò dum ad anteriora non extendimur, retrò labimur; dum virtutes negligimus, vitia cumulamus; fitque tandem: ut non solùm moriamur imperfecti, sed peccatores insignes.

Sapientissimum fuit apophtegma Joann. Berchmans, Angelici è Societate nostra Juvenis: *Nisi ego Sanctus evadam, dum Juvenis sum: nunquam ero.* Est enim ea ætas inter ætates hominis, quod tempus vernum inter partes anni. Quæ verno tempore non germinat terra, aut germina sua continuis non auget incrementis; messem dabit nullam, aut admodum parcam. Verni dies ad oculum quotidianis augescunt accessibus: æstivi quotidianis minuuntur detrimentis, donec ab hybernis noctibus penè toti absorbeantur. Quid differimus? Incertissima sunt vitæ nostræ momenta. Nescimus, terram nostram fertiliorem esse loliorum, quàm florum? Crescunt continuò habitus vitiosi, & negotium perfectionis difficilius nobis reddunt: si nunc tam difficiles sumus ad hoc studium: quid erit postea? P. David Locher S. J. Anno 1650. defunctus, per plures annos obnixè precabatur DEUM; ut ex hac morte quantocyùs evocaretur ad vitam: vel si vivendum esset; ut non viveret, nisi Sanctus. Unde illud ei frequens in ore: *Aut mori, aut in Sanctum evadere.*

Jucundum est Motivum, quod ad insignem comparandam sanctitatem excitavit B. Columbam Reatinam. Audijt hæc Concionatorem plurimas enumerantem urbes, quæ è civibus suis haberent Tutelarem aliquem Sanctum, vel etiam plures. Tum illa, cùm nullum audiret è patria sua nominari; cum tribus alijs puellis statuit concionatorem adire, & rogare: num nullus esset Reatinus Sanctus? Ille reposuit: se de nullo scire: interim optare; ut ipsæ sint primæ, vel saltem una earum. Gavisæ responso, sortitæ sunt inter se, penes quam ea dignitas esset futura. Felix sors cecidit super Columbam. Quare ad Sacerdotem reversæ puellæ cupiunt eam sortitionem ab eo ratam haberi. Ita Columbæ sorte imposita est necessitas: ut seriò studeret fieri Sancta. Nec defuit aut ipsi Gratia Divina, aut ipsa gratiæ. Sine mora negotium perfectionis aggressa, vixit, & obijt ut Sancta *Barry p. 4. Anni San. c. 3. praxi 6.* Nos numquid similia aut graviora urgent Motiva? Quid ergo est, quod nos moratur, aut absterret à sanctitate & perfectione? Hoc notemus: contra hoc sine mora, strenuè constanterq;, pugnemus: & in Sanctos sine dubio evadem9. *Alioqui, si moratus fueris: reputabitur tibi in peccatum* Deuter. 23.

BREVIARII ASCETICI

Quotidianis per annum

MEDITATIONIBUS & LECTIONIBUS

de

DEO & PERFECTIONIBUS DIVINIS.

CHRISTI, ac DEIPARÆ V. Vita & Excellentia

STUDIOQUE PERFECTIONIS CHRISTIANÆ

instructi

PARS IV. AUTUMNALIS

Continens

MEDITATIONES & LECTIONES

à Dominica XV post Pentecosten
usque ad Dominicam I. Adventûs.



S. AMBROSIUS, Serm. in Psalmum 148. gravi adhortatione commendat studium diligens Orationis & Meditationis.

PRævenerunt (canit Psaltes) oculi mei ad te diluculo: ut meditarer eloquia tua. Supra dixerat: Media nocte surgebam ad confitendum tibi; *hic autem,* Præveni Orientem Solem, *Grave est enim, si te otiosum in stratis radius solis orientis inverecundo pudore conveniat, & lux clara feriat oculos, somnolento torpore depressos. Arguit nos tanti temporis spatium sine ullius devotionis munere, ac sacrificij spiritualis oblatione feriata transmissum. An nescis, ô homo: quòd primitias tui cordis ac vocis, Quotidie DEO debeas? Quotidiana tibi messis, quotidianus est fructus. Ocurre ergo ad solis ortum: ut te oriens inveniat jam paratum; ne lumina tua madido adhuc sopore mergentia, primus diei fulgor exagitet.* In cubiculo meo, in noctibus quæsivi, quem diligit anima mea; *dicit Ecclesia, & ideo meruit eum invenire. Si hunc solem præveneris: invenies Christum illuminantem. Ipse primus in tui cordis illucescet arcano. Cùm te meditantem verba divina dies invenerit, & tam gratum opus orandi & psallendi delectaverit suam mentem; iterum dices ad Dominum JESUM:* Exitus Matutini & vespere delectabis. *Tu Christiane dormis, cui Magister est Christus, & non vereris, ne de te dicatur:* Populus iste nec labijs me honorat? *Quàmdiu te somnus, quàmdiu te sæcularia tenent, quàmdiu solicitudo istius vitæ, quàmdiu terrenæ? Divide saltem DEO & sæculo tempora tua: somnum tuum bona fraude fraudato, manè festina ad* Ecclesiam, *defer primitias pij voti: & postea si vocat sæcularis necessitas, non excludêris dicere:* Prævenerunt oculi mei manè meditari verba tua *& sic securus procedis ad actus tuos.*



DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

De Amore DEI, CHRISTI, & DEIparæ V. erga Pauperes spiritu.

1. ADora DEUM O. M. & considera: quo amoris affectu complectatur Pauperes spiritu, seu voluntariè pauperes; qui nec divitias, nec honores mundi desiderant, imò quæ possidebant, DEI amore reliquerunt. Quicunq; in divinis literis leguntur divini favores erga pauperes de hujusmodi potissimùm pauperibus intelligendi sunt! Speciali providentiâ eorum curam gerit DEUS. *Oculi ejus in pauperem respiciunt.* Ps. 10. Preces & vota eorum facilis exaudit. *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Ibid. Ab alijs neglectos suscipit, & protegit. *Tibi delictus est pauper.* Psal. 14. Consolationibus cœlestibus recreat. *Parasti in dulcedine tua pauperi DEUS.* Psal. 67. Benefactoribus eorum benefacit: *Beatus qui intelligit super egenum & pauperem: in die mala liberabit eum Dominus.* Psal. 40. Oppressores punit: *Causam pupilli non dixerunt: & judicium pauperum non judicaverunt: numquid super his non visitabo, dicit Dominus.* Jerem. 5. v. 28. Misericordiam & salutem facilius consequntur. *Parcet pauperi & inopi: & animas pauperum salvas faciet.* Psal. 71. O felicem pauperum sortem!

2. ADora D. JESUM & considera: quàm chari & ipsi sint Pauperes spiritu, quibus & magistrum se præbuit, & exemplum. 1. Beatificat illos adhuc in hac vita; & quidem inter beatos primo loco ponit ipsos. *Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Matt. 5. Non dicit, *Erit*, sed *Est*: quia abdicatione temporalium facultatum quasi pretio dato, illud sibi compararunt. 2. Præter regnum cœlorum & vitam æternam, centuplum in hac vita eis promittit. Marc. 10. *Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filium, aut agros propter me, & propter Evangelium, qui non accipiat Centies tantum nunc in tempore hoc; & in sæculo futuro vitam æternam.* 3. Constituit eos principes populi, & judices mundi. Matt. 19. *Sedebitis & vos*, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, *super sedes* 12. *judicantes* 12 *tribus Israel.* Quis jam inhiet divitijs, & non potiùs paupertati? *Videant pauperes* voluntarij, quo loco sint apud Christum, *& lætentur.* Psal. 68.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: eam inter alias dotes fortis illius matronæ Prov. 31. etiam hanc possidere: quòd singulari affectu feratur erga pauperes, & liberalissimam illis porrigat manum: *Manum suam*

aperuit inopi: & palmas suas extendit ad pauperes: quem scilicet non dura necessitas, sed libera ac DEI amans voluntas pauperem fecit. Huic favores suos, gratias divinas, curam maternam offert liberalissima pauperum spiritu Mater & Regina. Facesse igitur mamona.

Propositum v.g. de liberali affectu erga Pauperes, præsertim voluntarios.

LECTIO PRACTICA.

De Beatitudine Pauperum Spiritu.

BEatitudo vera consistit tum in carentia malorũ, quæ hominem affligere possent; tum in affluentia bonorum, quæ vitam ei faciunt jucundam. Si perfecta sit beatitudo, qualis est Beatorum in cœlo: excludit omne absolutè malum, & importat omne absolutè bonum. Imperfecta beatitudo, qualis in hac temporali vita haberi potest, quàmvis non sit sine quibusdam malis; affluit tamen tot ac tantis bonis; ut malorũ vel nullus sit sensus, vel tã moderatus; ut pacẽ animi non tollat, & magna adferat commoda cũ insigni voluptate.

Talis est Pauperum Evangelicorum, qui ultro renunciant opibus & honoribus mundi, Beatitudo in hac vita. Immunes sunt à malis, quæ ordinariè comitantur divitias & honores: & affluunt inæstimabilibus jucundissimisq; bonis. Mala divitum satis aperte exponunt sacræ Literæ. *Qui aurum diligit, non justificabitur.* Eccli. 10. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* 1. Tim. 6. *Væ vobis divitibus, qui habetis hic consolationem vestram.* Luc. 6. Sed quam brevem, quàm non sinceram, quot malorum feracem consolationem! *Si intueri volueris animam hominis aurum amantis,* inquit Chrysostomus hom. 47. in Matt: *invenies eam, ut vestimentum à decem millibus vermium corrosum; ita eam perforatam undiq; à solicitudinibus, & à peccatis putrefactam, & ærugine plenam.* Eadem omnino est conditio captantium honores, plausus & fumos mundi: ut meritò scripserit Bernardus in ep: Beatus qui post illa non abijt, quæ possessa onerant, amata inquinant, amissa cruciant!

Verùm haud talis est anima pauperis voluntarij: pergit citatus Chrysost: *Sed potiùs fulget ut aurum, splendet ut gemma, efflorescit ut rosa. Non est illic tinea, neq; fur, neq; solicitudo negotiorum hujus vitæ: sed sicut Angelus ita conversatur. At non habet equos & currum? Quid verò his opus est ei, qui super nube vehi debet, & esse cum Christo?* Præclarè S. Leo Serm. 4. de Quadrages. *Semper dives est Christiana Paupertas: nec pavet in isto mundo indigentiâ laborare, cui donatum est, in omnium rerum Domino omnia possidere.* Et Hieronymus ad Pammach: *Parva dimisimus, & grandia possidemus: centuplicato fœnore promissa Christi redduntur,*

dantur. Idem ep. 150. ad Hen: *O quanta beatitudo; pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia, & habere Dominum debitorem!* S. Laurentius Justinianus in lign. Vit. tr. de paup. c. 4. *Quid*, inquit, *Paupertate melius? quid securius? quid jucundius? Tristentur omnes, gemant cuncti, formident universi: hæc semper hilaris, semper eodem vultu, eodem animo perseverat. Bonum cœleste præstolatur possidere in cœlo: ideo nihil habet, quod amittere possit in terra. Frequenter evolat ad supernam patriam, ubi suum Remuneratorem esse cognoscit:* qui est merces & voluptas ejus magna nimis. Si nulla Paupertati Evangelicæ promissa esset merces: sufficeret abunde ad ejus commendationem, quòd valde placeat DEO, JESU & MARIÆ: ut ex Medit: patet.

Inter innumeros alios expertus est hanc vitæ hujus Beatitudinem P. Andreas Spinola, qui spretis nobilissimæ familiæ opibus & splendoribus, honoribusq; partim habitis, partim non vanè speratis, in Societatem nostram se recepit. Ante ingressum, videbatur illi, in lauta domo educato, Paupertas religiosa valde servilis, præsertim supellectilem triclinij, velut plebejam & indecentem, aspernabatur. At in Societatem receptus, visus sibi est omnia solitò nitidiora videre, orbes & patinæ velut argenteæ apparebant. Ratus, id à prudenti Rectoris charitate suæ imbecillitati dari; querebatur: hæc sui causa; minimè fieri debere; se ordinarijs & communibus contentum forej. donec ordinaria & simplicia omnia esse, edoctus, agnovit errorem suum, & S. Paupertatis divitias, quam deinceps amavit tenerrimè. P. Abrahamus Georgius Maronita S. J. ad mare Rubrum pro fide cæsus à Saracenis, inter summas Indiæ ærumnas lætus, delicijsq; plenus dicebat: *O quæ divitiæ! O quæ divitiæ sub sancta ista paupertate latent!* Nadasi in Ann. Dier. Mem: Non potest fallere Christus, Pauperes spiritu beatificans. Hæc tamen Beatitudo nō pertinet ad eos qui Paupertatem volunt sine defectu.

FERIA II.

MEDITATIO: *De Amore DEI, CHRISTI & DEIparæ V. erga Mites.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quàm tenerè & svaviter afficiatur erga homines Mites; qui nimirum ita compositos habent affectus irascibiles; ut non tantùm ipsi invadant alios convicijs, contumelijs, verberibus; sed etiam acceptâ injuriâ non exardescant irâ, non rapiantur in vindictam: verùm placidè sustinent, vultu amœni, verbis gratiosi, moribus svaves. Agnoscit itaq; in Mitibus Divina Bonitas imaginem & similitudinem suam clariùs radiantem, & in animabus ipsorum, tanquam thalamo ab omni strepitu remoto, quiescit dulciùs. *In cordibus mansuetorum requiescit Dominus: anima autem turbulenta nidus est diaboli:* inquit rectè Climacus Gradu

24. Unde monet opportunè Ecclesiasticus cap. 3. *Fili in mansvetudine opera tua perfice: & super gloriam hominum diligeris*, tum ab hominibus, tum ab ipso DEO. *Nihil mansvetudine est violentius*: ait Chrysostomus hom. 58. in Gen: Non captat, sed rapit corda in amorem. At ego quàm turbulentus affectibus, quàm asper verbis, quàm inhumanus moribus! Pudor!

2. ADora D. JESUM, & considera: quòd quàm gratam, sibiq; familiarem, semper habuit mansvetudinem; tam charos habeat mansvetos & mites. *Ego quasi Agnus mansvetus, qui portatur ad victimam.* Jerem: 11. *Discite à me: quia mitis sum.* Matt. 11. *Cum malediceretur, non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur.* 1. Pet. 2. Intuetur ergo mites, tanquam dociles discipulos suos, tanquam germanos, & moribus non difformes, fratres suos, utpote Filios Pàtris cælestis, cujus spiritus est ipsa benignitas, & svavitas. Inter Beatos secundum ipsis assignavit locum, cum amplissimo jure ad possidendam terram. *Beati Mites quoniam ipsi possidebunt terram:* non solùm super cœlestē illam terrā viventiū; sed etiā sublunarem hanc mortaliū. Ipsi enim aptissimi sunt: qui regant populos, & pascant gregem Domini. Unde præcipuos populi sui Duces, mansvetissimos elegit DEUS, Moysen & Davidem: è quibus iste, cùm non ignoraret, quam charus esset DEO ob eam virtutem, *In Domino.* inquit, *laudabitur Anima mea: audiant mansveti, & lætentur* Psal. 33. Audi & tu anima mea, & imitare.

3. VEnerare DEIparam V. & considera cor ejus nullo unquam iracundiæ motu æstuans, labia non nisi mel & nectar fundentia, Animū ut Mare quoddam Pacificum nulli tempestati obnoxium: totam non tam mitem & mansvetam, quàm ipsam mansvetudinem. Quomodo ergo non diliget svavissimè mites? O mihi amabilissimam hanc virtutem impetra ô Gratiosissima! Si enim Filius tuus humilibus & pauperibus spiritu promisit cœlum, mitibus terram: mihi arroganti & violento quid restat, nisi infernus?

Propositum. v. g. de diligentiore studio in comparanda Mansvetudine.

LECTIO PRACTICA.

De Beatitudine Mitium, seu Mansvetorum.

BEatos esse Mites, non solùm ex ore Veritatis Incarnatæ discimus: sed etiam ex carentia malorum, quibus subjacent iracundi; & afluentia bonorum, quibus abundant Mites, non obscurè colligimus. Mala iracundiæ docent, Job cap. 5. *Verè stultum interfecit iracundia:* postquam scilicet illum ratione privavit, & stultum fecit. Et Ecclesiasticus c. 30. *Zelus & iracundia minuunt dies.* Et Christus Matt. 5. *Omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio.*

S. Basilius *in hom: de ira:* Ne, obsecro, *inquit*, Fratres charissimi, tantū malum

malum nobis inducamus, Animæ morbum, rationis tenebras, à DEO alienationem, oblivionem familiaritatis, principium bellorum, plenitudinem, calamitatnm, dæmonem pessimum nostris animis innatum, incolam impudenté. *S. Hieron: in epistolam ad Timoth:* graphicè depingit fœditatem hominis irati. Nihil ait, est fœdius Præceptore (idem de quovis gubernativam potestatem habente) furioso: qui cùm debeat esse mansvetus, & humilis ad omnes; ex diverso, torvo vultu, rugata fronte, trementibus labijs, effrenatis supercilijs, facie inter pallorem & ruborem variatâ, clamorem perstrepitat, & errantes non tam à bono retrahit, quàm ad malum suâ sævitiâ præcipitat.

Bona Mansvetudinis patent imprimis ex dictis in Medit: & Amore DEI, JESU & MARIÆ, imò omnis nationis & conditionis hominum, erga Mites. Resident enim & promicant in vultu ac ore hominis mansveti admirandæ gratiæ, illices cordium; præsertim dum injurijs lacessitus serenitatem vultus non amittit, & pro felle mel fundere pergit. Quale spectaculum, inquit S. Basilius Orat. 9. de Ira, quàm grave & admirandum, ac sanè nonnihil ipsam humanam naturam exsuperans; hominem multis convicijs jactatum, &c. qui etiam vulnus in facie accepit &c. non irâ incendi, nec ultionem parare; sed mansvetum, pro eo qui sibi injurias intulit preces fundere! *Ita Basil.* Est sanè magna pars Beatitudinis illius cælestis & æternæ: inter tonitrua & fulmina conviciorum, inter infestos adversariorum insultus, animi pacem non amittere; sed hæc ita pati, quasi ad alium pertinerent. *Beatus, ac verè felicissimus vir ille est, qui mansvetus est:* ait S. Ephrem de virt: & vit:

Ad hanc Beatitudinem pertigerunt Moyses & David, pauciq; nonnulli ante Christum: at ubi ipse divinam in se mansvetudinis ideam orbi proposuit, plurimos nactus est imitatores. De S. Martino scribit Severus Sulpitius in vita: quòd eum nemo unquam iratum, nemo mærentem vidit; sed unus idemq;, semper cœlestem quodammodo lætitiam præseferens vultu, extra naturam hominis videbatur. B. Pius V. vir lenissimi animi, cùm quidam ob probrosum libellum in eum vulgatum, delatus esset: ex accersito ad se quæsivit; Utiq; tu hæc non in Pontificem, Christi Vicarium, sed in Michaëlem Gislerium (sic antea vocabatur Pontifex) scripsisti? Annuentem dimitti jussit, ad monitum tantùm de periculo talia scribentis.

S. P. N. Ignatius, quamvis natura cholericus, ita domitam habebat passionem iræ; ut fons olei, & totus melleus diceretur. Acerbo scripto ipsum anno 1546 impetijt Religiosus quidam minitans; se curaturum in Hispania Socij omnes cremarentur. Ignatius id solùm rescripsit: si quid à se vel Sociorũ

quopiam

quopiam esset commissum; non deesse Judices & Vindices. Cæterum opsta-re se: ut ipsemet adversarius igne Spiritus Sancti totus inflammaretur & cō-flagraret incendio charitatis.

Eximia paris mansvetudinis & gravitatis specimina dedit Philippus II. Rex Hisp: Inter alia illud: quòd cum Epistolam quandam ad Pontificem de gravissimis negotijs in multam noctem scripsisset, ac tandem aulico dedisset; ut obsignatam complicatamq; inscriberet: hic semisomnis loco arenarij vas-culi atramentarium arripuit, & epistolam largè perfudit. Exanimaverat fere hominem casus: sed Philippus serena fronte aliam poposcit chartam, aliáq; de integro scripsit epistolam, nullo motæ bilis dato indicio: Dignus, qui etiā titulo Mansvetudinis tam amplas possideret terras.

FERIA III.

MEDITATIO: *De Affectu DEI, CHRISTI & DEIparæ V. erga Lugentes.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quo affectu feratur erga Lugen-tes in hac vita, sed non luctu, quem sola indixit & expressit natu-ræ infirmitas, & charorum amissio, vel desideratorum negatio: verùm qui ortus est ex copia & gravitate offensarum DEI, ex impulsu sinceræ pœni-tentiæ, ex imminutione gloriæ divinæ, multitudine pereuntium animarum, & quia incolatus noster in corpore mortis hujus prolongatus est. Hujusmodi lugentibus svavissimum æquè ac solidissimum consolatorem se se exhibet DE-US, convertens luctum in gaudium, & gaudium mundanorum in luctum a-cerbissimum. *Ecce* inquit per Isaiam cap. 65. *Servi mei comedent & vos esu-rietis. Ecce servi mei bibent & vos sitietis. Ecce servi mei lætabuntur, & vos con-fundemini. Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis; & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione Spiritus ululabitis.* Felicem servorum hujus Domini sortem, quorum luctus est momentaneus, consolatio æterna! Imò nec solidus luctus est: *quasi tristes, semper autem gaudentes.* 2. Cor. 6. Spes enim, quā in sinu repositam habent, diluit, & fere tollit tristitiam.

2. ADora D. JESUM, & considera amorem ejus erga Lugentes *spiritu*, Ipse in mortali corpore risit nunquam, flevit non semel, in luctu fuit semper. Eandem vitæ rationem tenere voluit Apostolos. *Amen, amen dico vobis quia plorabitis & flebitis vos; mundus autem gaudebit: vos autem con-tristabimini.* Sed nūquid continuo luctu tabescent? Non patitur hoc svavissi-mū Cor JESU. *Ego rogabo Patrē, & aliū Paraclitū dabit vobis.* Imò ipse *non re-linquam vos orphanos: veniam ad vos.* Joan. 14. *Tristitia vestra vertetur in gau-dium & gaudebit cor vestrū & gaudiū vestrum nemo tollet à vobis.* Joan. 16. Quid ergo optemus, in hac miseriarum valle vivere sine luctu, & fallaci hypocri

sarum gaudio dissolvi? Si in nobis non invenirentur gravissimæ causæ continui luctus; lugendum tamen esset potiùs, quàm gaudia captanda: quia gaudium nostrum Christus in continuo luctu vixit, & ipse absterget olim omnem lachrymam ab oculis nostris, & dilatabitur & affluet cor nostrum in infinito cœlestium voluptatum pelago.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam ut svavissimam & certissimam Consolatricem Lugentium luctu Christiano. Conscia est infirmitatis nostræ: quòd spiritus tristis exsiccet ossa, & prolixiore luctu etiã fortes animæ tabescant: nisi stillicidijs supernæ consolationis subinde recreentur. Ipsa igitur, cui tanquam filiæ charissimæ, dedit Pater cœlestis (ut Caleb Axæ filiæ suæ, Josve 15.) irriguum superius & inferius, reficit lugentes, & luctûs facit uberrimos proventus gaudiorum.

Propositum. v. g. de moderanda lætitia, & assumendo subinde pœnitentiæ luctu.

LECTIO PRACTICA.

De Beatitudine religiosè Lugentium in hac vita.

MIrum omnino est: etiam in medio luctûs consistere posse Beatitudinem. Consistit tamen, oraculo Veritatis æternæ, Lugentes beatificantis etiam in hac vita. Qui enim non naturæ impulsu conjiciuntur in luctũ, sed voluntatis arbitrio ex causis in Meditatione indicatis eum assumunt; vel aliunde indictum prosequuntur non gravati: evadunt inprimis mala, quæ corripiunt intempestivæ & insolenti lætitiæ deditos. Conclusit ea paucis verbis, sed duris, Christus Luc. 6. *Væ vobis, qui ridetis nunc; quia lugebitis & flebitis.* Plerumq; gaudium intempestivum & insolens convertitur in luctum non solùm æternum, sed etiam temporalem hujus vitæ. Ratio hujus conversionis est: quòd qui se nunc dedunt vanis conversationibus, jocis, risibus, ineptijs, & animi dissolutioni; agunt id loco non suo, nec tempore suo, nec modo debito; nec ex causa honesta.

Terra enim, in qua vivimus, vallis est lacrymarum, & *locus flentium*, Jud. 2. ad quem justo DEI judicio, è paradiso ejecti sumus, ut debitas peccato nostro luamus pœnas. Huic divinæ sententiæ contraveniunt, qui continuò ducunt in bonis dies suos, & vallem lacrymarum convertunt in pratum lasciviæ suæ. Tempus hujus vitæ tempus est flendi tum ob amissum hortum voluptatis, ac inprimis innocentiæ & Justitiæ originalis stolam; tum ob actualia, quibus quotidie magis magisq; inquinamur, peccata; tum ob luctuosissimam Salvatoris nostri Passionem & Mortem. Modus lætandi adhibetur sine modo, quali usi sunt Gaudentij illi Sap. 2, Fruamur bonis, quæ sunt, & utamur creatura tanquam in juventute *celeriter.* Vino pretioso & ung-

ventis nos *impleamus*, & non prætereat nos flos temporis. *Ubiq;* relinquamus signa lætitiæ: quoniam hæc est pars nostra, & *hæc est sors*. Hæc est sors, sed infelix & brevi mutanda. Lætantur homines passim ex causa non honesta; sed quia sensus suos voluptate aliqua demulserunt: *lætantur cum malè fecerint & exultant in rebus pessimis*. Proverb. 2.

Non mirum igitur, quòd extrema talis gaudij luctus occupet; quòd *Væ* ipsi inclamet Christus; quòd divino lumine illustratus Ecclesiastes c. 7. judicarit: *Melius est ire ad domum luctûs, quàm ad domum convivij: in illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & vivens cogitat, quid futurum sit. Cor sapientum ubi tristitia est: & cor stultorum ubi lætitia.* Nam ut notavit S. August: in Psal. 36. *Propterea bona hujus mundi*, quibus gaudent, *asperitatē habent verā, jucunditatem falsam: certum dolorem, incertam voluptatem: durum laborem, timidam quietem, rem plenam miseriæ, spem Beatitudinis inanem.* Quodsi conversio illa gaudij in luctum differtur aliquantum; non auferetur, sed cumulatior veniet. Durandus Archiepiscopus Tolosanus graves non modico tempore luit pœnas in Purgatorio: quòd levitatibus, facetijs, risui, & lætiori genio liberiùs indulsisset. Apparuit enim ore tumido & fœdè exulcerato in pœnam ejus delicti: & questus de acerbitate pœnæ, suffragia petijt. *Barry in Anno S. 23 Oct.*

Ex adverso, qui religioso luctui vitam dedicant; ingentibus sincerisq; affluunt bonis. Nam 1. tenerè amantur à DEO, JESU & MARIA: ut Meditatio docet. 2. Mirâ gaudent conscientiæ tranquillitate: luctu enim suscepto reliquias expiant peccatorum, quibus aliàs turbari solet animus. 3. Liquidissimis fruuntur solatijs divinis; quibus, ut ait S. Bernardus, *comparata omnis jucunditas mæror est; omnis suavitas dolor est, omne dulce amarum est, omne pulchrum fœdum est, omne postremo, quod delectare potest, molestum est.* 4. Adversa & amara, sine quibus hæc vita non agitur, vertuntur illis in dulcedinem: & ipsis pœnitentiæ acerbitatibus, tormentis & doloribus, ceu suavissimis voluptatibus pascuntur. Quemadmodum enim mel non solùm in se dulce est, sed rebus etiam insipidis dulcedinem suam impertit: sic divina, quâ affluunt, gratia, non modò in se suavis est & dulcis: sed etiam amarissima quæq; dulcorat, & grata facit.

Bene dixit Seneca: *Res severa est verum gaudium.* Melius Thomas Kemp. l. 3. c. 16. *Vanum est & breve omne humanum solatium: beatum & verum solatium, quod intus à Veritate percipitur.*

FERIA IV. post Dom. XV. post Pent:

MEDITATIO: *de Affectu DEI JESU & MARIÆ erga Esurientes siti-*

& sitientes Justitiam.

1. ADora DEUM O. M. & considera affectum ejus erga Esurientes & sitientes Justitiam: id est, erga eos, qui *vehementer* desiderant profectum in virtutibus, & perfectionem animarum suarum. Exiguo aut nullo in pretio apud illum sunt qui simpliciter volunt, aut potiùs *vellent*, esse perfecti: quia nunquam erunt; imò eum gradum justitiæ, quem consecuti sunt, facile amittent. *Desideria occidunt pigrum: noluerunt enim quidquam manus ejus operari.* Prov. 13. Desideria enim ejus sunt langvida & frigida, quæ impellere non possunt potentias executrices ad opus. At qui instar Danielis Viri sunt desideriorum, in quibus desideria fervent, ita; ut facile digerant cõsumantq; obstacula omnia, & omnes animæ vires applicent ad exercitia virtutum, perfectionemq; consequendam, sicut famelici & sitibundi solent ad cibum potumq; obtinendum: in his svavissimum habet gustum DEUS, horum animas non cibario agrestium pane & obvio fonte, sed pane Angelorũ, nectare cœlesti singularium gratiarum & consolationum, satiat ac implet. *Animam esurientem satiavit bonis.* Psal. 106.

2 ADora D. JESUM, & considera: quàm charos & ipse habeat hujusmodi Esurientes & sitientes. Ipsius vox est Joan. 7. *Si quis sitit, veniat ad me & bibat:* ô qualem aquam! Salientem in vitam æternam! Ipsius mensa est, quàm illis proposuit sapientia Prov: 9. cum humanissima invitatione: *Venite comedite panem meum; & bibite vinum quod miscui vobis.* Esurijstis: sed favis mundi, aut siliquis potiùs, ventrem implere noluistis, ad ollas Ægypti non anhelastis. Sitivistis: sed ad cisternas putridas non recurristis. Ad alium cibum potumq; se extendebant, & fervebant desideria vestra: virtutum nucleum, & medullam perfectionis fames vestra appetebat; non fraudabimini à desiderio vestro. *Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam. quoniam ipsi saturabuntur.* At in me quàm exigua aut nulla fames sanctioris justitiæ? Quàm incrassata & impingvata vel potiùs distenta, est anima mea cupedijs vanissimis mundi? Excita ipse in me D. JESU beatam illam famem: in Te & virtutem feratur omne desiderium meum.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: ipsi quoq; charissimos esse Esurientes justitiam. Affectum ipsius & studium erga eos egregiè expressit fortis illa matrona Prov. 31. quæ *de nocte surrexit, deditq; prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Non sinit pijssima Domina, domesticos suos virtutum exercitijs diu noctuq; intentos fame laborare: sed cœlestibus gratijs maturè confortat & recreat; quin & corporalem escam suppeditasse, quandoq; visa est. Concipe igitur, Anima mea, ferventia perfectionis desi-

deria: erunt, qui esurientem repleant bonis, DEUS, JESUS & MARIA.
Propositũ. v.g. de ferventiore perfectionis studio, præsertim in obtinenda virtute N.

LECTIO PRACTICA.

De Beatitudine esurientium Perfectionem suam.

FAmes & sitis cibi potusq; materialis inter tormenta naturæ numeratur; Fames sitisq; Justitiæ, seu Perfectionis Christianæ, inter Beatitudines animæ censetur. Fames enim hæc, seu Desiderium fervens Perfectionis arcet à nobis plurima & gravissima mala, quibus obnoxij sunt tepidi, seu ignavi in studio virtutum & obsequij divini: confert autem ingentia bona, quibus ornantur, ditantur, & beatificantur Perfecti servi, amici & Filij DEI.

Mala, quibus involvuntur fastidientes Perfectionem sunt Maledictio divina: *Maledictus, qui facit opus DEI negligenter.* Jerem. 48. Dilapidatio bonorum operum & virtutum acquisitarum: *Qui mollis & dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis.* Prov. 18. Ejectio è familia Christi: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores.* Matt: 11. Egestio ex ore divino: *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo.* Apoc. 3. Incuriũ enim perfectionis suæ necesse est contrahere innumeras, nec leves nõ tantùm imperfectiones, sed noxas, quas sponte sua germinat corrupta natura, ut spinas & lolia maledicta terra. Nec diu aberunt graviores lapsus; cùm conclamatum sit inter Ascetas: quòd Non proficere, deficere sit: Non progredi, regredi sit. Regressus autem & defectus quò longiùs procedunt, majores fiunt & graviores, ut globus nivium è monte devolutus.

Unde S. Bernardus *Serm. de Ascens. Dom: describens Perfectionis negligentes ait:* Invenire est homines pusillanimes & remissos, deficientes sub onere, virgâ & calcaribus indigentes, quorum brevis & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio: quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione; quos deniq; ut videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frænat ratio, vix disciplina coërcet. *Serm: verò 63. in Cant: inquit:* Hoc frigus si semel animam invaserit, mox (ut in corpore solet evenire febricitantibus, subit quidam animi rigor, & vigor lentescit, dissimulatur lex, abdicatur jus, fas proscribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur postremò impudentiæ manus; præsumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpissimus, plenus ille ignominia & confusione saltus, de excelso in abyssũ, de pavimento in sterquilinium de solio in cloacam, de cœlo in cœnum, de claustro in sæculum, de paradiso in infernum. *Ita Bernard.* Quid pejus atq; horribilius dici potest?

Quid verò fructuosius & ingentium bonorum feracius fervente Perfectionis desiderio & studio? Evitantur per illud prædicta omnia mala, & non pecata solùm sed leves quoq; defectus & nævi: acquiruntur autem virtutum Christianarum & Religiosarum incomparabiles dotes, conciliatur singularis erga nos DEI, JESU & MARIÆ, amor, ut in Meditatione ostensum: cõparantur inæstimabilia dona supernaturalia, congeruntur merita & plurima & pretiosissima, quæ in nobis operantur proportionatum æternæ gloriæ pondus: & quòd his omnibus præstantius & felicius est, assimilamur Christo, DEO ac Domino nostro; cui quo quis per morum conformitatem conjungitur magis, eò est beatior, & gloriosior. Nam ut ait Ludovicus Granatensis in loc: comm: *Summa rationalis creaturæ perfectio est, principio suo conjungi, illiq;, quatenus licet, assimilari.*

Deniq; beatæ huic fami & siti Justitiæ respondet jucundissima quædam saturitas (*Quoniam ipsi saturabuntur*) sed quæ nullum invehit fastidium, imò majus majusq; accendit desideriũ perfectionis amplioris: ut in Apostolo Paulo; qui, licèt absolutissima esset idea perfectionis, tamen arbitrabatur se non comprehendisse; & obliviscens eorum, quæ retro sunt, ad priora & altiora continuò se extendebat. *Philip:* 3. Beatus ergo, qui hac fame sitiq; laborat!

FERIA V. post Dom. XV. post Pent:

MEDITATIO: *de Affectu DEI, JESU & MARIÆ erga Misericordes.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quo affectu complectatur Misericordes; qui nimirum pauperibus, ægris, alijsq; corporali vel spirituali necessitate pressis, promptè subveniunt, compatiendo, consolando, instruendo, & pro viribus adjuvando. 1. Si & ipsi necessitate premantur, promptiùs subvenit: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam coseqnentur.* Matt. 5. tam apud DEUM, quàm homines. 2. Præstitam misericordiam liberalissimè remuneratur. *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis.* Prov. 19. Pro paucis enim multa, pro temporalibus æterna, pro terra accipit cœlum. 3. Faciliùs peccatorum veniam consequntur. Unde Daniel svasit Nabuchodonosori c. 4. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordijs pauperum.* 4. Tanquã filios, genio patris conformiores, teneriùs diligit. *Estote misericordes, sicut & Pater vester misericos est.* Luc. 6. Beatos certè, qui benevolo affectu, & exiguo censu, tantas merentur gratias divinas! At ego, quàm durus corde, quàm tenax manu?

2. ADora D. JESUM & considera: quàm chari sint ipsi Misericordes. Amat eos tanquam uterinos fratres suos, ex matre misericordiæ genitos: tanquam filios Patris sui cœlestis, patris misericordiarum & DEI to-

tius consolationis tanquam sibi similiores in affectu tenerrimo. Quàm blandè testatus affectum misericordiæ suæ erga turbam fame laborantem. Marci 8. *Misereor super turbam; quia ecce jam triduo sustinent me!* Quàm graviter admonuit Pharisæos Matt. 9. potiorem sibi esse misericordiam, quàm victimas taurorum: *Euntes discite, quid est: Misericordiā volo & non sacrificium. Non enim veni, vocare justos, sed peccatores.* Deniq; sibi factum reputat: quidquid egentibus præstitum fuerit, publicumq; in die judicij misericordium aget encomiasten. Verè mi JESU, misericors es & miserator Dominus, faciens misericordiam non solùm in tertiam & quartam generationem: sed à progenie in progeniem sine termino. Tu nosti, quanta egeo misericordiâ: da ut quam possum, præstem alijs; ut eadem mensura, qua mensus fuero, remetiaris mihi.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam illos misericordes oculos non in alios convertere libentiùs, quàm in misericordes. Cùm enim egenorum omnium sit Mater, & afflictorum Consolatrix: non potest, non habere charissimos, quos videt in eadem charitatis officia conspirare secum. Noëmi ubi vidit nurui suæ Ruth liberale spicilegium à quopiam viro bono concessum esse, mirificè lætata dixit: *Sit benedictus qui misertus est tui.* Ruth. 2. Quantò magis divinarum benedictionum copiam precatur & impetrat misericordibus MARIA! Fove illos affectu materno, ô Misericordissima: & me illorum numero accense. Parce cruditati meæ.

Propositum. v.g. de majore operum misericordiæ studio; præsertim N. N.

LECTIO PRACTICA.

De Beatitudine Misericordium.

VIx aliqua virtutum tam disertis & amplis gloriari potest elogijs, promissis & præmijs, ac Misericordia. *Nihil tā commendat Christianum, quam miseratio charitatis:* ait S. Ambrosius lib. de offic: Et iterum: *Omnis summa Christianæ disciplinæ in misericordia & pietate est.* S. Gregorius Nazian. in Orat: de paup: amore: *Nihil* inquit, *tam divinum habet homo, quàm de alijs bene mereri. Fac, calamitoso sis DEUS, DEI misericordiam imitando.* Chrysostomus autem hom: 33. ad pop *Melius est artem eleemosynam dandi scire, quam esse regem, & diademate coronari. Hæc namq; te docet, quomodo possis DEO similis fieri: quod est omnium summa honorum.*

Veritas æterna Beatos prædicat Misericordes vel hoc solo titulo: *quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Sed hoc ipso removet ab ipsis omne malum, & confert omne bonum. Consequi enim misericordiam apud Dominum, est inprimis liberari ab omni miseria. *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem*

perem: in die mala liberabit eum Dominus; canit Psalmographus Psal. 40. *Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Fiducia magna erit coram DEO omnibus facientibus eam.* Tob. 4. *Conclude eleemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Eccli: 29. Tam potente Advocata muniti misericordes, securi subeunt Tribunal Divinæ Justitiæ, quo nihil horribilius est immisericordibus. Nam, ut præmonet S. Jacobus, & quasi horrendo tonitru terret, minaturq; fulmen: *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* Jac. 2. Notum est: quàm durum expertus sit Judicium Mauritius Imperator cum tota domo sua; quòd captivos milites suos redimere noluerit: nec potuit accusare severitatem, sed potiùs confiteri debuit: *Justus es Domine; & rectum judicium tuum!*

Deinde consequi Misericordiam apud Dominum, est repleri ab illo veris, cælestibus, & nunquam transituris bonis; quibus plerumq; in auctarium adjicit etiam temporalia. *Benefac justo, & invenies retributionem magnam; & si non ab ipso, certè à Domino*: assecurat Ecclesiasticus c. 12. *Qui dat pauperi, non indigebit. Qui despicit deprecantem, sustinebit penuriam*: promittit, & minatur Spiritus S. Prov. 28. Disertiùs per Isaiam c. 57. *Cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris: orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies, & requiem tibi dabit Dominus DEUS tuus semper, & splendoribus implebit animam tuam, & ossa tua liberabit; & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cujus non deficient aquæ.* Nonne hoc est esse Beatum?

Inter innumeros tantorum promissorum executionem expertos, est Petrus Telonarius: qui cùm importunè petenti mendico, panem ferè invitus projecisset, alteri autem subuculam quandam donâsset; vocatus subinde in judicium divinum, ob tantillam eleemosynam à damnationis sententia liberatus, vitæ est restitutus ad agendam pœnitentiam. *Spec: Exempl.* d. 8. B. DEUSdedit, opificio sutor, quidquid supra necessarium victum ex labore manuum suarum ei supererat, Sabbato semper in pauperes distribuit. Unde visa est domus valde splendida pro ipso ædificari in cœlo: circa quam tamen solis Sabbativis diebus laborabatur. *S. Gregor. lib. 4. dial. c. 36.*

Recentiùs Petrum Vellium, Lusitanum mercatorem nummosum, convenit in India S. Franciscus Xaverius, & aliquod subsidium pauperi puellæ in dotem petijt. Versabatur tunc Vellius in domo aliena, & honesto quodã lusu animum distrahebat. Clavem ergo dedit Xaverio ad scrinium suum, cùm facultate ampla accipiendi, quantum vellet. Acceptis trecentis aureis nummis, clavem retulit Xaverius. At cùm postea scrinium recognoscens Vellius

nihil

nihil deesse comperisset: amicè expostulavit cum amico Francisco, quòd nihil accepisset. Audiens autem 300 aureos esse acceptos, iterum expostulavit de parcitate in accipiendo: suam enim voluntatem fuisse, ut dimidium pecuniæ in arca contentæ acciperet; inerant autem 45 millia aureorum. Xaverius pro ea liberalitate non minùs liberalis, DEI nomine promisit: Nunquã ipsi defutura media vitæ honestè agendæ; ac insuper diem mortis suæ præsciturum. Evenit utrumq;, ac Domini sententiam confirmavit: *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

FERIA VI. post Dom. XV. post Pent:

MEDITATIO. *de Affectu DEI, JESU & MARIÆ erga Mundos corde.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quantam habeat complacentiam in Mundis corde; id est ijs, qui non tantùm inquinati non sunt vitijs carnalibus; sed puram & ab omni plena deliberatione commisso peccato immunem conscientiam servare student, atq; cor abstrahunt ab omni inordinato rerum creatarum amore. Complacet sibi in illis tanquam in tersissimis speculis, candorem lucis æternæ sine macula repræsentantibus; tanquam in viva Imagine sua, qualis recenter prodit è manu perfectissimi artificis; tanquam in Angelis incarnatis; tanquam in miraculis corrupti generis humani. *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate! Immortalis est enim,* & jucunda, *memoria illius: quoniam & apud DEUM nota,* atq; dilecta, *est, & apud homines. In perpetuum coronata triumphat, incoinquinatorum certaminum præmium vincens.* Sap: 4. Quis dabit oculis meis fontem lacrymarum, quibus eluam maculas cordis mei: ut totus placeam tibi puritatis Amator zelosissime. Ipse cor mundum crea in me DEUS.

2 ADora D. JESUM, & considera: ipsum singulari affectu complecti Mundos corde. Gaudet enim: bene positum in illis esse sangvinis sui balneum, & à se non esse lotos porcos. Suspicit ipsos, ut pulcherrima mystici corporis sui membra, non habentia rugam neq; maculam. Amat, ut individuos comites suos, per ardua & aspera, per prata virentia, & cœnosas paludes impolluto pede transeuntes, proximè stipaturos latus suum in triumphante Ecclesia, & cantaturos sibi canticum novum, quod nemo alius novit. Cæteris justis pro merito virtutum suarum promisit Beatitudinem æternam umbris quibusdam allegoricis vestitam, v. g. Regni cælorum, possessionis terræ viventium, consolationis, saturitatis, misericordiæ obtinendæ; Mundis corde ipsam medullam seu essentiam Beatitudinis summæ promisit planè & expressè: *Beati mundo corde: quoniam ipsi DEUM videbunt.* O Vi-

sionem! O Beatitudinem! Quid est, videre DEUM, verum & vivum DEUM? Summum & omne bonum. Et adhuc pigebit mundare, & munda servare corda?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quomodo afficiatur Mundis corde. Nemo æquè ac ipsa, novit pretium & decorem, & vim mundi cordis humani: quàm suavis & fortis sit illecebra cordium, etiam divini. Meminit quàm avidè, magnis passibus, ut gigas, in virginei cordis sui thalamum properavit Sponsus cælestis. Non ignorat: quomodo etiamnum inter lilia pasci, & quiescere amat. Amat ergo tenerrimè, quod JESUS amat: inculcatq; nobis illud Prov. 4. *Omni custodiâ serva cor tuum; quia ex ipso vita procedit.* Cor sordidum mortis est pabulum, & Asmodæi latibulum.

Propositum v. gr. *de mundando per pœnitentiam, & mundo servando corde per Examina Conscientiæ.*

LECTIO PRACTICA.

De Beatitudine Mundorum corde.

BEatitudo istorum tantò est major: quantò graviora sunt mala, quibus obruuntur Immundi corde; & quantò majus est præmium Mundis animabus designatum & declaratum. Mala, quæ seqvuntur immunditiem cordis, plurima sunt & gravissima. *Polluisti sanctificationem tuam: producam ergo ignem de medio tui, qui comedat te, & dabo te in cinerem:* dicit Dominus Ezech. 28. *Quomodo facti sunt in desolationem! Subitò defecerunt, perieruntq; propter iniquitatem suam!* Psal. 72. *Vidi eos, qui operantur iniquitatem: & seminant dolores, & metunt eos:* metentq; per omnem æternitatem, dolores in anima, dolores in corpore; dolores ex verme conscientiæ, dolores ex igne devorante, dolores ex tortorum immanitate &c. Sed super omnia mala, quæ conseqvuntur quodvis peccatum mortale, est ipsummet peccatum, inquinans, & fœdissimè conspurcans cor animamq;; ideoq; summè odibiles nos reddens DEO, Patri alioqui amantissimo nostri. Maculam, quam inurit animæ, nec ignis infernalis in æternum exurere potest.

Illa quoq; mala, quæ à venialibus culpis inferuntur, levia profectò & pauca non sunt. Nam, ut ait S. Augustinus Serm. 41. de Sanctis: *Licèt illis occidi animam non credamus: ita tamen eam veluti quibusdam pustulis, & quasi horrenda scabie replentes deformem faciunt; ut eam ad amplexus illius Sponsi cælestis, aut vix, aut cum grandi confusione venire permittant.* Imò nullatenus permittunt, nisi priùs igne expiatorio, ô quam immani! purgatam. Deinde disponunt hominem ad noxas lethales, minuunt fervorem charitatis, vires &

vigorem animi debilitant, minuunt merita & consequenter gloriam. Privant enim specialibus divinis luminibus & auxilijs; subtrahunt divinos favores & consolationes, arguuntq; hominem DEI parum amantem & reverentem; imò quandam meretricis frontem habentem, siquidem post divinã Majestatem intimè cognitam, post amplissima ejus dona suscepta, post gustatam spiritus suavitatem, non erubescit infinitam illam Majestatem offendere. Ab his plurimisq; alijs malis immunitate gaudent Mundi corde.

Bona, quibus affluunt, sunt 1. Amabilitas specialis, qua cor DEI, JESU & MARIÆ, rapiunt in sui amorem: ut ex Medit: patet. 2. Capacitas proxima, & jus quoddam, propter adjunctam gratiam sanctificantem, ad videndũ DEUM. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt*: Matt, 5. Unde S. Leo Serm. in festo Omn: SS. Meritò hæc beatitudo cordis promittitur puritati: splendorem enim veri luminis sordens acies videre non poterit; & quod erit jucunditas mentibus nitidis, hoc pœna maculosis. Declinentur igitur terrenarum caligines vanitatum, & ab omni squalore iniquitatis oculi tergantur interiores: ut serenus intuitus tantùm DEI visione pascatur. 3. Operibus nostris bonis rectitudinem & nitorem eximium conciliat cordis Munditics. *Qui mundus est rectum opus ejus*. Prov. 21. Non placent etiam speciosissima munera in disco inquinato. 4. Sermoni & orationi singularem tribuit gratiam. *Qui diligit munditiam, propter gratiam labiorum suorum habebit amicum regem*. Prov. 22. Sermo enim puri cordis est vena illimis limpidi fontis. 5. Cor mundũ est ara, in qua sola ardet ignis divinæ charitatis, quam Apostolus 1. Tim. 1. requirit *de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta*. 6. Solum cor mundum aptum est, imò necessarium, ad recipiendos Divinæ Sapientiæ radios. *Quoniam in malevolam animam non introibit Sapientia; nec habitabit in corpore subdito peccatis*. Sap. 1.

Meritò igitur & Psaltes sacer beatificavit mundos corde Psal. 118. *Beati immaculati in via*! In quæ verba S. Augustinus, *Scio*, inquit, *quid velis. Quæris beatitudinem. Si ergo vis esse Beatus, esto immaculatus*. Admitteris facile in conspectum Regis regum: possidebis cor ipsius, & in ipso Omne bonum. Unde idem Augustinus lib. qq. 83. q. 9. *Agite ergo*, ait, *ô miseri mortales: hoc agite, ne unquam polluat hoc domicilium malignus spiritus; ne sensibus immixtus incestet animæ sanctitatem, lucemq; mentis obnubilet*; ac loco Beatitudinis extremam inducat calamitatem.

SABBATO post Dom. XV. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De affectu DEI, CHRISTI & DEIp. V. erga Pacificos.*

I. ADora DEUM O, M. & considera affectum ejus benevolentissimum ergà

erga Pacificos: qui nimirum triplicis pacis (cum DEO, cum proximo, & intra se) studiosi sunt, ita: ut malint omnia amittere, quàm cum DEO dissidere; malint injuriam accipere, quam inferre; quibus deniq; tranquilla conscientia potior est omnibus mundi bonis. Hi veri sunt filij pacis, in medio turbarum non turbati, in bello pace fruentes, impavidi in ipsis fracti orbis ruinis. Quomodo hos non amet *DEUS pacis*, qui est Pax æterna, & intra se nullis obnoxius passionum turbis, & extra se procurans ea quæ pacis sunt, quàmvis creberrimè & gravissimè ab hominibus offendatur. *Ego scio cogitationes, quas ego cogito super vos, ait Dominus, cogitationes pacis, & non afflictionis.* Jerem. 29. Nos quam pugnaces sumus in ipsum DEUM, quàm ligitiosi cum proximo, quàm turbulenti intra nos ipsos? Da pacem Domine, quam mundus dare non potest: *& Pax tua, quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda & intelligentias nostras in Christo JESU.*

2. ADora D. JESUM, & considera, quàm optata sit illi pax, & quàm grati Pacifici. Promisit illum mundo Isaias cap. 9. ut *Principem pacis*: & talis venit, scilicet inermis, imbellis, infans amorem spirans non furorem, stipatus numeroso exercitu Angelorum, sed musicorum non bellatorum, gloriam in excelsis DEO, & pacem in terris hominibus canentium. Talis vixit inter homines semper, *pacificans per sangvinem crucis sive quæ in terris sive quæ in cælis sunt.* Tales sibi legit stipatores, & regni sui primos ministros, simplices & pacificos, nec fraudibus, nec armis instructos, misitq; eos ut agnos inter lupos; patiendo, non vim inferendo, triumphaturos. Tales etiamnum desiderat, præsertim quorum operâ uti placet ad Evangelij promulgationem & gloriæ suæ propagationem. Tales etiam ante fata canonizat, & ambitioso Filiorum DEI elogio honorat: *Beati Pacifici quoniam filij DEI vocabuntur.* O amabilissime Princeps pacis, compone omnem litem in me: ut pax tua requiescat super me.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: pergratos & ipsi esse Pacificos. Ut enim in moribus ipsius nihil unquam fuit inquietum, & asperum: ut omnia ejus vota & studia eò tendebant: ut pax inter DEUM & homines, & inter homines ipsos conciliaretur & firmaretur; ita eos chariores habet clientes, quos indoles pacifica commendat, & innocua morum concinnitas amabiles reddit. Hos ut suos & DEI filios amplectitur, fovet, & provehit. O merear & ego hos DEI & MARIÆ favores! Merebor; si fortis fuero in bello contra turbulentas passiones meas. Non erit pax sine tali bello.

Propositum v. gr. *de componendis, si quæ sunt, litibus, & animi aversionibus à certis personis.*

LECTIO PRACTICA.

De Beatitudine Pacificorum.

PAcificis Beatitudinem facile asserit ipsum dulce nomen Pacis. Ut enim nihil optabilius pace, ex communissimo omnium sensu: ita nihil beatius quàm alta pace frui. Quid enim malorum non important bella, discordiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, schismata, seditiones? Nulla salus bello, sed certa pernicies, & interitus communis. Discordes & contentiosos perstringit Apostolus. Galat. 6. *Si invicem mordetis & comeditis: videte, ne ab invicem consumamini.* S. Augustinus de Verb. Dom. serm: 56. *Non poterit concordiam habere cum Christo, qui discors voluerit esse cum Christiano.* S. Bernardus serm. 5. in Dedic. Temp. *Sicut in pace factus est locus Domini: sic in discordia locum diaboli fieri, manifestum est.* B. Petrus Damiani refert de quodam Fratre, nomine Cunizo, astuto, litigioso, contentioso, assiduoq; fratrũ turbatore; eum tandem ad eam dementiam pervenisse, ut diaboli patrocinium quæsierit, eiq; se mancipârit, modò ejus operâ æmulos superare posset. Post multas turbas excitatas, horrendæ morti traditus, ad eum, cui se mancipârat, infelix tandem est deturbatus. Post mortem per plures noctes nigra canum turma non cessavit tumulo ejus assidere, & quasi depositum custodire: ut pateret, cum quibus sortem habeat mortuus, qui pacem Christi & religionis noluit colere vivus.

At filij pacis jucundantur & exultant in opulentia pacis. *Qui pacis ineunt consilia, sequitur eos gaudium.* Prov. 12. Gaudent autem non solùm jucundissima inter se societate, sed etiam speciali præsentia Domini tanquam Principis pacis. *Pacem habete; & DEUS pacis & dilectionis erit vobiscum.* 2. Cor. 13. Est cum ipsis DEUS, non solùm ut cum servis vel amicis: sed ut cum Filijs charissimis. Unde Christus Matt. 5. speciali prærogativâ Pacificos Filiorum nomine honorat: *Beati Pacifici, quoniam Filij DEI vocabuntur.* Quæ verba ponderans S. Bernardus serm: 1. in festo Omn. SS. Meritò, inquit, Filij DEI nomine vocabuntur, qui Filij opus impleverunt. Ipse enĩ est, per quem reconciliati pacem habemus ad DEUM. Ipse qui pacificavit in sangvine suo, quæ in cælis sunt, & quæ super terram, Mediator DEI & hominum Christus JESUS.

Pacem *maximum & divinum esse, bonum, quod nullus mortalium præstare potest*; dixit Philo. Et meritò: Est enim speciale donum seu fructus Spiritus Sancti, juxta Apostolum Gal. 5. continetq; in se plurima alia suavissimaq; bona. Nam, ut ait S. Augustinus de verbis Dom: Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, serenitas cordis, amoris vinculum, consortium charitatis

tis. Hæc est, quæ simultates tollit, bella compescit, comprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat, inimicos concordat: cunctis est placida, non quærit alienū. Unde idem Augustinus serm. 12. de verb. Apost. dixit: Nolo habere cum quo litigem. Multò est optabilius, inimicum non habere, quàm vincere.

Ejusdem sententiæ fuit Fridericus III. Dux Saxoniæ, pacis amantissimus. Cùm enim arces & munitiones ab alijs conditas dirueret, nullamq; ærarij curam haberet; quin potiùs opes collectas liberaliter dispensaret; rogatus, cur ita ageret? respondit: Se id agere: ne aliquando leviter offensus, arcibus & pecunijs fretus, ad bellum facile prosiliret: aut ultro vicinos lacesseret. *Lohner in Biblioth. V. Pax.* Utinam in omnibus mundi principibus is esset amor pacis, ea parsimonia Christiani sangvinis. At pleriq; malunt videri bellicosi & filij Martis, quàm pacis studiosi & Filij DEI. Quin & spiritualium, religiosarumq; familiarum quosdam subinde Martius quidam spiritus afflat: ut vivere nequeant sine turbis, *soliciti servare unitatem spiritûs in vinculo pacis*: prout monet Apostolus Ephes. 4. Non advertunt: se ipsi DEO indicere bellum, dum lacessunt proximum; nec reputant: an tam potenti adversario resistere possint?

Opportunè ait: Augustinus: *Pacem ergo qui accipit teneat; qui perdidit, repetat; qui amisit, exquirat. Quoniam qui in eadem non fuerit inventus, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio, à Spiritu S. alienus efficitur.*

DOMINICA XVI. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De affectu DEI, CHRISTI, & DEIparæ V. erga Patientes persecutionem.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quo affectu feratur in patientes persecutionem propter Justitiam: quæ hìc latè sumitur pro quavis virtute Christiana. Amat Pacificos tanquam Filios suos: sed non vult nos ignava pace torpere, & omnem subterfugere pugnam, nullâq; exerceri adversitate. Vult Pacificos: ne ullum injuriosè impetamus, vel injuriam quampiam passi statim ad forum & lites prosiliamus: vult quoq; fortes & strenuos; si quis propter Christum, vel virtutis alicujus, seu boni operis, causâ nos impetat, vexet, atq; persequatur. Fortitudinem autem vult exerceri, non profligando vel repellendo hostem, sed sustinendo & patienter ferendo: qui est nobilior actus fortitudinis. Agere fortia gloriosum est: libenter pati dura, gloriosissimum. Unde ab initio mundi ad hanc horam, quos chariores habet DEUS, & majori gloriæ destinavit; adversis,

inimicis & hostibus varijs exercuit & exercet. Non declino pugnam, O: ptime Max: DEUS: sustinebo propter te, quicunq; occurrent, inimicos; unicum oro: clypeum patientiæ.

2. ADora D. JESUM & considera: præcipua in æstimatione & amore apud ipsum esse Patientes persecutionem propter justitiam. Ut Dux peritissimus & prudentissimus æstimat cælestem ipsorum prudentiam: quòd non resistendo, sed cedendo pugnent, vulnera tolerare malint quàm inferre; vitam potiùs amittere sint parati, quàm recedere ab exemplo Ducis sui. Suspicit illorum fortitudinem in corpore fragili, inter hostes tam varios tamq; potentes, in adversis tam gravibus, tamq; diuturnis. Amat & commendat ipsorum erga se fidem: *Vos estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Æstimat erga hostes ipsos Charitatem: *Maledicimur & benedicimus: persecutionem patimur, & sustinemus: blasphemamur, & obsecramus.* 1. Cor. 4. Beatos igitur prædicat, & hæredes beatissimi regni nominat: *Quoniam ipsorum est regnum cælorum*; cum omni gloria, divitijs, & voluptatibus suis. Quis jam fugiat, quis non optet potiùs persecutiones? Præstò est Christus, qui coronam & regnum rependat.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm chari & ipsi sint patienter & fortiter ferentes persecutionem. Recole S. Symphorosam septem filiorum Martyrum matrem; uti & illam septem Machabæorum 2. Mach. 7. quæ virili eoq; heroico, animo sexum & humanam conditionem supergressæ, filios malebant martyres, quàm principum gratiâ & sæculari gloriâ florentes. Prudentior, & maximarum æternarum peritior MARIA, & exultat in tolerantia patientium, & confortantes gratias impetrat, & coronam victoribus parat. O si & mihi aliqua veniret de hac manu! Veniet: Patiendum.

Propositum v. gr. *de adversis fortiter & libenter tolerandis amore DEI, J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

De Beatitudine Patientium persecutionem propter Justitiam.

ET hoc paradoxum Evangelicum est: Beatum esse, dum sævit persecutor, dum in medio tempestatum & tribulationum, ut Jonas in ventre ceti versamur. Veritatis tamen æternæ id oraculum est Matt. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter Justitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. Beati; cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mentientes Propter Me. Gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cælis.*

Duo indicantur hic fontes veræ solidæq; Beatitudinis: nimirum Causa perse-

persecutionum, *propter Justitiam, Propter me*; & amplissimum opulentissimumq; præmium; *Quoniam ipsorum est regnum cælorum*; *Quoniam merces vestra copiosa est in cælis.* Primus fons tam largus est; ut per se sufficiat ad hominem beatificandum beatitudine, qualem patitur hæc vita. Pati enim fortiter & libenter *Propter Christum, & Justitiam Christianam*, pertinacem & gravem alicujus vel aliquorum insectationem ita, ut nullus detur quieti aut securitati locus, (id enim significat nomen Persecutionis, ut ibi notat ex Nysseno Cornelius à Lap:) est præstantissimus actus Charitatis & Fortitudinis. Vera autem Beatitudo nostra formalis, ut ajunt, non consistit in rebus quibusdam jucundis, sed in operatione nostra perfectissima; seu in actibus, quos elicere possumus, præstantissimis (ut cum Aristotele docent Theologi) inter quos principatum tenet CHARITAS PATIENS. Plus est enim Pati dura, quàm agere magna: quia magis arduum. Ipsa quoq; Charitas, quæ est vinculum & apex perfectionis, non diu subsistit, si non fundetur in Patientia. *Tolle Charitati Patientiam, & desolata non durat. Tolle patiendi & tolerandi substantiam; & nullis radicibus ac viribus perseverat*: inquit S. Cyprian. de Bono patien: Ipsâ igitur Patiente Charitate beati sunt qui persecutionem patiuntur propter Christum & Christianam Justitiam.

Adde jam, non titulum coloratum, non jus quoddam prætensum, sed solidissimum jus ad Regnum cælorum: adde felicitatem & voluptatem æternam, & quodammodo infinitam, & percipiendam ex Visione beatifica: adde favores, gratias & consolationes supernaturales, quibus affluunt hujusmodi Patientes in hac vita: adde honorem inæstimabilem, qui in illos redundat ex conformitate cum Christo Domino suo; & non miraberis: Beatos dici, qui amore Christi & Justitiæ Christianæ persecutionē patiuntur.

De Consolationibus divinis testatur Apostolus 2. Cor. 7. *Repletus sum consolatione; superabundo gaudio in omni tribulatione nostra.* Notandū quod dicit: *Repletus sum, Superabundo, In omni* tribulatione, quantumvis gravi, vel gravissima. Unde mirum non videbitur, quod de S. P. N. Ignatio scribit Ribadeneira in Vita l. 5. c. 10. Tanti æstimabat persecutiones & vincula, quibus pro Christo fuerat vexatus, atq; constrictus; ut apertè diceret: Si quæ à DEO creata sunt, omnia altera in parte steræ collocarentur, in altera carcer, catenæ, probra: vix illa omnia præ istis momentum ullum habitura apud se. Neq; enim creaturam ullam posse lætitiam talem in animo procreare; quæ æquare possit gaudium illud Spiritus Sancti.

De gloria & honore, quo etiam in hac vita coronatur Charitas Patiens, testatur S. Petrus 1. Pet. 4. *Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis* (in Græco

Græcō non est *Eritis*, sed tantum, *Beati!* Tertullianus & Cyprianus legunt: *Beati estis*: & hoc indicant etiam sequentia verba præsentis textûs) *quoniā quod est honoris & gloriæ, & virtutis DEI, & qui est ejus Spiritus super vos requiescit.* Non dicit: quod est gloriæ & honoris &c. super vos *requiescet*, sed in præsenti *Requiescit.* Quod de Cruce Christi dicit S. Cyrillus Hierosol: Catech. 13. *Gloriatio Ecclesiæ Catholicæ, est omnis Christi actio: gloriatio verò gloriationum est CRUX:* id meritò accomodari potest Crucibus nostris: Gloriatio hominis Christiani præsertim Religiosi, est omnis virtuosa actio: Gloriatio autem gloriationum est CRUX, seu fortiter tolerata Tribulatio. Quid ergo juvat Beatitudinem quærere in mundi voluptatibus, nunquam inveniendam; quam certiùs & facilius reperire possumus in Patiente Charitate, alijsq; suprà consideratis virtutibus?

FERIA II post Dom. XVI. post Pent:

MEDITATIO: *De Misericordia DEI, JESU, & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera summam & infinitam ejus Misericordiam. Est Misericordia propensio quædam animi ad sublevandam depellendamq; alienam miseriam. Propensio hæc in DEO respectu creaturarum est planè summa & infinita. Cùm enim ipse sit Author & origo illarum, velitq; perfectas esse in genere suo: summè desiderat (quantum ratio tum universalis, tum particularis, Providentiæ patitur) ab illis abesse defectus & imperfectiones, quibus reddantur miseræ & infelices. Fundatur misericordia divina. 1. in Sapientia ejus infinita, qua pervidet omnes creaturarum defectus & miserias; media quoq; quibus avertantur. 2. In ejus Omnipotentia, qua potest hujusmodi media efficaciter applicare, & juvare. 3. In ejus Bonitate infinita, qua vult juvare. Quanta hinc nobis spes & fiducia? Summa est miseria nostra: summa misericordia DEI. Infinitæ sunt miseriæ nostræ, magis infinita Misericordia divina. Confitemini Domino, quoniam bonus; quoniam infinitè major est misericordia ejus miserijs nostris.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quoq; summè & incomparabiliter Misericordem esse tum ratione Deitatis, tum ratione Humanitatis suæ. Ut DEUS eadem propensione fertur ad avertendas miserias nostras, qua reliquæ Personæ Divinæ, id est, infinita. Ut homo est, accedunt complura, eaq; gravissima motiva, impellentia ad miserendum. 1. Novit: se eam ob causam hominem factum esse. *Voluit per omnia fratribus assimilari: ut misericors fieret.* Hebr. 2. quasi aliàs æstimabilis non fuisset misericordia ejus.

2. Ipsa

2. Ipsa naturæ humanæ, quàm assumpsit, integritas inclinat & impellit ad compatiendum, & juvandum miserrimum genus suum. 3. Probè videt: nos aliter juvari non posse, & erui è summis malis, nisi per ipsum. 4. Liquidissimè perspicit quanta inde gloria redundatura sit in DEUM. His, alijsq; velut infinitæ molis ponderibus movebatur, & etiamnum movetur, Misericordissimus JESUS ad miserendum. Quis jam desperet? *Adeamus ergo* monet Apostolus Heb. 4. *cum fiducia thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur.*

3. VEnerare DEIparam V. & considera Misericordiam ejus ineffabilem. Inprimis enim nulla est in ipsa, vel erat aliquando, irascibilium passionum inordinatio: nulla voluntatis pravitas, qua alicui malè vellet: ob summam intellectus perspicaciam æstimabat maximè, & æstimat, miserias, quibus subjecti sumus: ob incomparabilem Benignitatem suam, etiam naturalem, optimè vult omnibus. Ut charitas erga DEUM, ita misericordia erga homines grandissimis incrementis continuò crescebat in illa, præsertim ubi totam Misericordiæ divinæ abyssum visceribus suis est complexa. O verè multæ filiæ congregaverunt divitias misericordiæ: tu supergressa es universas, ô Misericordissima. Miserere igitur miserrimorum fratrum & clientum tuorum.

Propositum v. gr. *de concipienda majore fiducia in misericordia DEI, J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur Exemplis Misericordia Divina.

JUvenis incestum commisit cum sorore: monentem de enormitate sceleris fratrem occidit: tandem & patrem, qui eum exhæredatum & urbe pulsum, in vita servavit, clam in urbem regressus, peremit. Sed ubi pro concione audivit illud Ezech: 33. *In quacunq; die conversus fuerit impius ab impietate sua, impietas non nocebit ei*: intimè compunctus, magno animi dolore peccata confessus est. Sacerdos eum jussit accedere altare, in quo fuit Imago DEIparæ V. Christum mortuum in sinu gestantis. Ibi tanta contentione in actus pœnitentiæ erupit, ut rupto corde sit extinctus. Sacerdos ratus eum amaritudine animi sopitum, dum surgere jubet, mortuum reperit. Jussit ergo populum pro defuncto ferventius orare. Sequenti die in conspectu omnis populi Columba advolavit candidissima, rostro schedulam gestans, quam ante Sacerdotem dimisit. Scriptum in ea fuit: animam hujus pœnitentis fuisse in cælum deductam, antequam calor naturalis à corpore ejus recessisset: monebaturq; Sacerdos, ut peccatoribus Misericordiam DEI impensiùs commendaret, modò animum ad sinceram confessionem applicare

velint. *Discip. in Prompt. lit. M.* Exclamat attonitus S. Laurentius Justinian. lib. 1. de spirit. animæ interitu: *O divinæ miserationis ineffabiles divitiæ! Non præfixit compunctionis tempus, non indixit mensuram, neq; consequendæ gratiæ terminavit locum, sed simpliciter dixit: Quotiescunq; ingemuerit peccator: insinuans, nullum ab eadem miserendi finem esse impositum.*

Tolosæ juvenis quidam hominibus impijs & atheis factus familiaris, evasit illis propè per omnia similis. Ut tamen prius experiretur: num DEUS aliquis esset; æstate sub vesperum extra urbem loco solitario inambulat, & pileo pallioq; in campum abjecto, ceu pugil DEUM provocat: ut si DEUS aliquis sit, secum congrediatur. Sed DEUS hominis misertus, aliud nihil egit; quàm ut è cœlo schedam amplam demitteret. Quam ibi impius provocator è terra tulit, vidit inibi aureis literis exaratum: *Miserere mei DEUS.* Advertit, DEUM non arma sed veniam parare, & patentem misericordiæ sinum offerre: esse DEUM, qui parcere malit, quàm ulcisci. Resipiscens ergo, & in genua provolutus, humiliter veniam petijt temeritati & impietati suæ. Summo manè ad Collegium nostrum venit, & sincerè expiato animo, rem totam aperuit. *Barry in Anno S. 15. Octob.* Advertit B. Petrus Damiani serm. de S. Martino latam differentiam inter offensos DEUM & hominem. *Homines mundi faciles ad iram, difficiles ad misericordiam: DEUS autem & ad irascendum difficilis, & facilis ad miserendum.*

Salmanticæ fuit mercator prædives, qui aleâ perdidit omnia. Hinc in DEUM, tanquam sibi iniquum, ingens concepit odium; & quæ excogitare poterat, patravit scelera, ut DEUM tantò gravius offenderet. Ne quid præteriret malitiæ & insaniæ, Navarri Summam Casuum Conscientiæ, diligenter pervolvit, & omne ibi deprehensum nefas patrare studuit. Ubi venit ad Tractatum de Confessione & Pœnitentia, & legisset, quæ traduntur de gravitate Confessionis sacrilegæ: gavisus est nova peccandi occasione. Ergo sacrum tribunal adit, & joculariter quædam recensens petit absolutionem. Confessarius è modo confitendi suspicatus, pœnitentem non esse rite dispositum; hortatur, ut sincerè cum DEO agat, ejusq; misericordiam multis extollit. Admiratus homo, superesse sibi, sic in omne flagitium projecto, spem veniæ; quærit: An veniam obtinere possit, qui omne genus peccati de industria & malitiose commisit? Annuente confessario, cœpit rem seriò agere, & conscientiam inter largissimas lacrymas exonerare. Ne verò horaria solùm esset pœnitentia, Religionem ingressus est: in qua ubi post triennem luctum ad extrema devenit, Crucifixi Imaginem amplexus, O quàm, ajebat, me pudet vitæ actæ! Sed talis debebat esse Dominus, qui peccatorem tantum re-

cipere in gratiam. Nisi infinitè misericors esset, non admisisset. Ita piè obijt. *Engelgr. Dom. 2. post Pasch.*

Præstat liberaliter, quam promisit veniam & gratiam, Misericordissimus Dominus imò magis Pater: modò nos exiguum id, quod nobis præstandum, non negligamus. Ipse suppeditat occasionem resipiscendi, illuminat oculos ad videndum pravitatem & periculum nostrum, commovet cor & inclinat voluntatem ad pœnitendum, offert se paratissimum ad amplectendum: unicum restat; ut cum prodigo dicamus: *Surgam & ibo ad Patrem meum; & dicam: Pater, Peccavi!* Non amplius! Miserere. Tantillũ qui ex corde præstare contemnit, seu negligit, numquid dignus est inferno?

FERIA III post Dom. XVI. post Pent:

MEDITATIO: *De Altitudine & Profunditate Misericordiæ DEI, J. & M.*

1. ADora DEUM O. M. & considera Altitudinem & Profunditatem Misericordiæ ejus. David cùm dixisset Psal. 32. Misericordiâ Domini plenam esse terram; non ibi terminum illi fixit, sed addidit Psal. 56. admirabundus: *Quoniam magnificata est usq; ad cælos misericordia tua.* Ibi enĩ facit oriri solem, & pluit super justos & in justos; inde per opportunã pluviã & serenitatem suppeditat fami nostræ anonam. Sed nec ibi terminus: penetravit ipsos cælos, & in summo cælorum miserationes suas dispensavit: *Quia magna est super cælos misericordia tua.* Psal. 107. Ibi enim Angelis sanctis per se insufficientibus ad resistendum tentatori, & obtinendam gloriam æternam, efficaces distribuit gratias: ibi electos, *vasa misericordiæ* suæ coronat. Rom: 9. Profunditas ejus extenditur usq; ad fundum abyssi magnæ, usq; ad centrum terræ. Nam etiam ibi puniuntur reprobi infra condignum. Confiteantur tibi Domine Misericordiæ tuæ: quoniam non est in cælo vel inferno, qui se abscondat à luce miserationum tuarum.

2. ADora D. JESUM & considera: quanta sit & ipsius Misericordiæ Altitudo & Profunditas. Profunditatem inde metiri licet; quod è sinu Patris, & celsissimo Majestatis suæ throno in hanc miseriarum vallem descenderit: ut gementes sub intolerabili peccatorum & dæmonum jugo, non solùm solaretur, sed liberaret: imò in intima terræ viscera sese demiserit, ut captivam educeret captivitatem Patrum, & in gloriosam assereret libertatem. Ad hæc ipse agnosci vult in vilissimis mendicabulis, & non dedignatur unam quodammodo constituere cum ipsis personam. *Amen dico vobis: quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Altitudinem misericordiæ ejus quis assequatur? Magnum fuisset, & omni gratitudine

 majus,

majus, si miserrimam Adæ posteritatem è durissima; eaq; æterna servitute diaboli, solo voluntatis imperio, vel unico Patri exhibito obsequio liberâsset. At placuit, calamitates nostras non solùm à nobis avertere, sed transferre in se ipsum, langvores & dolores nostros portando, & iniquitates omnium nostrum in se recipiendo. O altitudo divitiarum Misericordiæ & Charitatis Christi! Quis medicus in se transferat gravissimos ægri morbos, quem obvia potiuncula curare potest? Quis Princeps servituti se addicat, si servulum triobolari lytro redimere possit?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsius Misericordiam esse profundissimam pariter ac altissimam. Penetrat usq; ad inferos, in expiatorijs flammis recreandos, & eripiendos. Extendit se usq; ad Altissimum, in corporalibus temporalis vitæ necessitatibus juvandum. Quomodo commovebantur materna ejus viscera: quando vidit Filium, DEUM, omnigenis ærumnis expositum? Quo studio serviebat egenti? O Mater altissimæ & profundissimæ misericordiæ, profundior inferno est miseria mea; ascendit usq; in cælum iniquitas mea: miserere.

Propositum v. gr. *de cognoscendo & honorando in pauperibus ipso Christo. Sic enim Misericordia nostra & alta & profunda erit.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur Exemplis Misericordia Christi D.

DEclaravit eam luculenter Dominus ipse Luc: 10. assumptâ personâ pij Samaritani, qui hominem à latronibus spoliatum, & graviter sauciatum, à Levitis & Sacerdotibus neglectum, misericordiâ motus, curandum suscepit, vulnera ejus alligavit infundens oleum & vinum, & impositum jumento Humanitatis suæ deportavit ad opportunũ, ubi curaretur, locũ. Innumera tantæ & majoris misericordiæ argumenta dedit posterioribus temporib⁹.

Notum est, quod scribit S. Dionysius Areop. in ep. ad Demophitum; de S. Carpo Episcopo. Infidelis quidam hominem christianum ab Ecclesiæ gremio abduxerat. Carpus zelo zelatus petijt à DEO: ut ambos accelerata morte tolleret de terra. At mox aperto latè cœlo, apparuit Christus innumeris stipatus Angelis: infra verò profundissima vorago patebat serpentibus plena, ad cujus os duo illi viri trementes, já jamq; dejiciendi stabant. Non deerant Carpo impetus, ad eos præcipitandos: sed Christus ad ipsum: Carpe, paratus sum iterum pro salvandis hominibus pati, & istud mihi gratum est, modò homines non peccent. Tu autem videris, an expediat potiùs hos dejicere ad æternam cum serpentibus mansionem, vel evehere ad consortium Angelorum?

Sauli persecutoris exemplum renovavit Gratiosissimus JESUS in S

in S. Procopio, qui & Neanias dicebatur. Is à Diocletiano Imp. missus fuerat cum turmis aliquot militum Alexandriam ad comprehendendos & perdendos Christianos. Nocte quadam iter faciens vocem audivit: *Neania quò tendis? Contra quem insurgis?* Respondit: Vado perditum credentes in crucifixum, secundùm mandatum Cæsaris. Rursusq; vox: *Numquid & tu mecum vis decertare?* At ille: Quis es tu Domine? Non possum Te agnoscere. Et hoc dicens, vidit quasi crucem ex crystallo, audivitq;: *Ego sum JESUS Crucifixus, DEI Filius.* Cui Procopius: Docuit me Cæsar; DEUM christianum non habuisse uxorem, & quomodo tu es Filius DEI? aut si es, quomodo te Judæi damnatum crucifixerunt? Respondit Christus: *Propter genus humanum hoc suscepi, ut à servitute diaboli, & æterna damnatione liberaretur.* His dictis in cœlum ascendere visus est dicens: *In signo, quod vidisti, vinces hostes tuos, & pax mea tecum erit.* Hac visione commotus Procopius Christi fidem amplexus, gravissimis cruciatus tormentis, Martyr pro Misericordissimo JESU occubuit. *Surius tom. 4.*

Vivebat Romæ Anno 1221 puella, quam ob formæ præstantiam, vulgò pulchram Catharinam appellabant: sed in illa boni erat nihil, nisi quòd à S. Dominico persvasa, Rosarium Marianum ad DEI Matris imaginem, sæpe persolveret. Huic Romanæ juventutis offendiculo aliquando se se obtulit Christus juvenili habitu, formâ elegantissimâ, beneq; illi precatus, quonam pergeret, ubi habitaret, sciscitatus est? Non defuerunt Catharinæ mutua urbanitatis officia; resalutatum, ac domum suam invitatum juvenem excepit humaniter, & ad mensam haud vulgariter instructam adhibuit. Hic, cùm quidquid ille eduliorum tangeret, ista infici cruore videret; mirata quærit: an fors læsus, vel an ea esset oculorum fascinatio? Neutrum respondit ille: sed heus! inquit: nescis hominis Christiani cibum potumq; Christi sangvine tinctum esse debere? Proh! reponit ista; quàm tu mihi serius es, quàm superstitiosus! Equidem, subjicit juvenis; & experiere tu quidem brevi: age modò ad cubile pergamus. Nihil moratur Catharina, prævolat, amicumq; invitat ad lectum. Sed ô ineffabilem Optimi JESU misericordiam! Ecce tibi Juvenis ille mox in alterum mutatus, coccinea se veste talari indutum, ac gravi onustum cruce exhibet meretriculæ, atq; perforatum latus, manus, pedes, totumq; adeò vulneribus concisum corpus, tum ex singulis plagis emicantem lucem stellis rutilantiorem, ostentans, sic amice quærens, affatur: Eja nostine me jam Catharina? Agnoscis eundem illum, qui pro te olim passus sum? Quousq; in sordibus volutari juvat, ac me iterum Cruci affigere! Ergo peccandi finem nullum facies, & sangvinem meum inutilem reddes? Ad hoc Ca-

tharina immenso pudore suffusa, in lacrymas abit, ad Domini pedes toto corpore prosternitur, Magdalenam in futurum pollicetur. Et præstitit, tam severâ pœnitentiâ; ut ab ipsa DEI Matre, quam Patronam sibi adsciverat, modum tenere jussa fuerit. *Pædagogus Christian. tom 2. p. 1. c. 4.*

Quid jam benignius, svavius, clementius optemus aut fingamus peccatores: quàm sit JESUS, Misericordia nostra?

FERIA IV. post Dom. XVI. post Pent.

MEDITATIO: *De Longitudine & Latitudine Misericordiæ DEI JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: Longitudinis Misericordiæ ejus non aliam esse mensuram, quàm ipsam æternitatem divinam. Huic toti commensuratur exactissimè. *Misericordia Domini ab æterno, & usq; in æternum super timentes eum.* Psal. 102. In tota æternitate nullum reperitur momentum, quo DEUS non cogitaverit de nobis, non sit compassus miserijs nostris, non ordinaverit media, quibus subveniret egentibus. Nobis quot transierunt anni, quibus nihil aut vix aliquando, idq; obiter cogitavimus de DEO & propaganda gloria ejus? Quid nunc? Latitudo Misericordiæ divinæ extenditur ad omnes omnino creaturas ipsius capaces. *Misereris*, Domine *omnium; quia omnia potes: & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam. Parcis autem omnibus: quoniam tua sunt Domine, qui amas animas* Sap: 11. Tene ultima verba, svaviora super mel & favum: *qui amas animas*; & cogita: quàm lato corde redamare debeas Magnum, infinitum, DEUM; & qua misericordiâ propter ipsum complecti egentem proximum.

2. ADora D. JESUM, & considera: Longitudinem Misericordiæ ipsius duci à puncto Incarnationis ad ultimum vitæ punctum, ita; ut tota ipsius vita dici possit unus continuus actus Misericordiæ erga genus humanum. Sed non erat ejus terminus punctum illud temporalis vitæ, nec reliquit in sepulchro viscera misericordiæ suæ: etiamnum sedens ad dexteram Patris non desinit, nec desinet interpellare pro nobis. *Numquid obliviscetur misereri DEUS*, præsertim incarnatus? Psal. 76. Nobis quando tandem friabilius fiet crudum cor? Latitudo misericordiæ ejus non arctabatur finibus solius Judææ; sed omnes omnino, quæ sub cælo sunt, complectebatur nationes, Græcas & barbaras; datus in salutem omnibus usq; ad extremum terræ, omnes in intimo divini cordis sinu fovebat, & fovet; ut meritò illis Apostoli verbis 2. Cor. 6. nos compellet: *Os nostrum patet ad vos*, filij hominum: *Cor nostrum dilatatum est. Dilatamini & vos*: ut vos invicem, & me unà

unà vobiscum benefico corde excipiatis. Quidquid enim uni ex minimis fratribus meis feceritis, mihi facietis.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsius quoq; Misericordiam longissimam pariter ac latissimam fuisse & esse. Concepit illam eodem, quo ipsa concepta fuit, momento, nec dimisit unquam, quin potiùs continuò grandibus auxit incrementis; ut cum Job c. 31. dicere possit: *Quia ab infantia mea crevit mecum miseratio; & de utero matris meæ egressa est mecum.* Crevit autem, & sic dilatata est: ut omnes corporali vel spirituali ope egentes materno recipiat sinu, & opportunè provideat. Nota est tibi, ô Misericordissima, & mea egestas: duplica beneficium, accelerando opem.

Propositum v. gr. *de constanter fovenda universali quadam erga egentes misericordia.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur Exemplis Misericordia DEIparæ V.

OPportunè Bernardus serm. de Assumptione B. V. *Quis Misericordiæ tuæ, ô Benedicta, longitudinem & latitudinem, sublimitatem & profundum queat investigare? Nam latitudo ejus usq; in diem novissimum: invocantibus eam subvenit universis. Latitudo ejus replet orbem terrarum: ut tua quoq; Misericordiâ plena sit omnis terra. Sic & sublimitas ejus Civitatis supernæ invenit restaurationem; & profundum ejus sedentibus in tenebris, & in umbra mortis obtinuit redemptionem. Per te enim cælum impletum, infernus evacuatus est, instauratæ ruinæ cælestis Hierusalem, exspectantibus miseris vita data.*

Quàm prona sit DEIpara V. ad subveniendum miseris, & periclitanti universo mundo: patet ex gloriosissimo & dulcissimo Nomine MATRIS MISERICORDIÆ, quod sibi per infinita & maxima Misericordiæ opera in universo mundo comparavit. Visus est multoties graviter offensus, & implacabiliter impijs iratus Christus, integris regnis, imò mundo extremam intentasse ruinam: sed interventu Matris irâ telisq; exutus.

Meminit Cæsarius lib. 12. Wilhelmi cujusdam de Claravalle Religiosi, à divinis revelationibus celebris: quòd in raptu mentis viderit Christum, qui justâ in mundum irâ accensus, jussit Angelum, Tribunali suo propiorem, tubâ clangere: quo sono totus orbis, non secus ac folium in arbore contremuit. Cùm urgente Judicis imperio, secundo id esset facturus, ac mundum eversurus: unam Divam Matrem ex omnibus Sanctis ausam se interponere; atq; ad Filij pedes provolutam orasse atq; impetrasse vindictæ dilationem. Aliàs infans adhuc in cunis jacens, & ad loquendum ineptus, singulari prodigio solutâ lingvâ, sic matrem suam compellavit: Vidi, mea mater, Christum Judicem

dicem regali solio sublimem & metuendum; cui supplex accidit Sanctissimi Mater ejus, rogavitq;: ut, quem minabatur, averteret à mundo funestum diem. Dixit puer, & obmutuit, nec deinceps locutus est, quàm per ætatem liceret. *Pædag: Christian. lib. 7.*

Anno 1410. Faventiam in Italia dira pestis affligebat, exhauriebatq;. Indictæ supplicationes solemnes, & ardenter solicitata DEIpara; ut miseræ civitati gratiosam se monstraret Misericordiæ Matrem, placaretq; meritò iratum Filium. Inter alias è devoto sexu, ferventius in templo S. Andreæ orationi instabat Joanna de Costumi. Huic spectabilis facta DEIpara, quid vellet? rogavit. Patriam à peste liberam, reposuit Joanna. Tum Virgo protensis in modum crucis brachijs, utraq; manu exhibuit confractas sagittas, & Vide, inquit, quomodo iram Filij mei avertam. Tu interea Præsulem adi; dic, velle me à populo jejunium unum, & tridui supplicationes. Quibus præstitis, pestifera lues finem habuit. *Atlas Mar. l. 4. n. 6.*

Imminebat Anno 1536. Savonensibus in Italia, quod provocaverant, grave, & fortè extremum malum. Interea Sabbato Palmarum, quod in 18. Martij tunc inciderat, post toleratum pondus diei & æstum, rusticellus quidam præterfluentem rivulum accessit, sitim levaturus: cùm ecce audit, se vocari de nomine, clara & plena voce. Ubi circumspexit; vidit in medio rivulo non grandi saxo insistentem Virginem, audijtq; sic se compellantem: Antoni, Ego sum MARIA Mater Christi: ito, & facta rite noxarum confessione perceptaq; Eucharistia, Parocho denuncia meo nomine; indicat populo jejunium, in tria Sabbata, Numini irato placando: ac tandem huc ad me revertere. Invenit fidem simplex legatus, postquam protracta usq; in noctem consultatione, supra Ecclesiam Parochialem tres visæ sunt cælestis luminis flammæ, stellis illustriores. Præstitis fideliter jejunijs à populo & Clero revisit Antonius condictum locum, reperitq; ibidem Virginem DEIparam: quæ grata sibi esse Savonensium jejunia cùm dixisset, ac insuper ternas selemnes supplicationes requisivisset; sustulit cum oculis manus in cœlū, & rivulo ter bene precata, ter quoq; has voces inclamavit: *Misericordia Filii, & non Justitia!* Tunc ex oculis inter cœlestes odores ablata est, virtute medicâ rivulo relictâ & conciliatâ Savonæ Misericordiâ Divinâ. *Joan. Bapt. Alberti lib. 2.*

Ipsa peccantes ad frugem reducit, desperantes erigit, tentatos juvat, labantes sustentat, periclitantes eripit, infirmos solatur, moribundos disponit, mortuos subinde ad vitam revocat pro agenda pœnitentia; & quæ non exercet maternæ pietatis officia? Meritò Bernardus serm: 2. super Salve Re-

gina:

gina: *Certè Domina, cùm Te aſpicio, nihil niſi Miſericordiam cerno. Nam pro miſeris Mater DEI facta es, Miſericordiam inſuper genuiſti: & tibi demum Miſericordiæ officium eſt commiſſum.* Et ſerm. de Aſſumpt: *Sileat laudes tuas, ô Virgo beata, qui Te ſuis in neceſſitatibus invocatam, ſibi unquam meminerit defuiſſe.*

FERIA V. poſt Dom. XVI. poſt Pent.

MEDITATIO: *De Multitudine Miſericordiæ JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & conſidera; Miſericordiam ejus erga nos non ſolùm magnam eſſe, verum & multam nimis. Multa enim eſt miſeria noſtra naturalis, cum qua naſcimur & adoleſcimus: multa miſeria moralis, quam peccando contrahimus: multa, quam nobis inferunt viſibiles & inviſibiles hoſtes noſtri: multa indigentia auxiliorum naturalium, plurima ſupernaturalium: multa indignitas noſtra, ob quam meremur, ſubtrahi nobis gratiam & miſericordiam divinam. Et tamen præſto nobis eſt in omnibus miſericordia divina, per omnes annos, dies & momenta vitæ noſtræ, in omnibus periculis & neceſſitatibus noſtris non ſolùm quotidianis, ſed momentaneis. Recole occaſiones præcipuas, in quibus ſingularem expertus es miſericordiam divinam: recole multitudinem peccatorum tuorum, quibus meritus es ſubtractionem miſericordiæ divinæ: & confiteberis cum S. Pſalte: *Quoniam tu Domine ſuavis & mitis, & multæ miſericordiæ.* Pſal. 85. Igitur implorantem ulteriorẽ miſericordiam, *exaudi me Domine: quoniam benigna eſt miſericordia tua: ſecundùm multitudinem miſerationum tuarum reſpice in me.* Pſal. 68.

2. ADora D. JESUM & conſidera: etiam ipſius Miſericordiam eſſe multam nimis. Quoties peccamus, præſertim graviter, toties deleret nos Juſtitia divina, niſi intervenirent ſangvis, merita, miſericordia ipſius. *Niſi quia Dominus adjuvit me: paulò minus,* imò certò certius, *habitaſſet in inferno anima mea.* Quoties redijmus ad cor, & de peccatis dolorem concepimus: toties lux miſerationis ipſius affulſit nobis. *Si dicebam: motus eſt pes meus,* lapſu in peccata; *miſericordia tua Domine adjuvabat me.* Implet cumulatiſſimè miſericordiſſimus Dominus, quod Matt. 18. docuit Petrum: ut offenſas in ſe commiſſas condonaret liberaliter non ſolùm ſepties, ſed *ſeptuagies ſepties*: id eſt, ſemper. Promittimus ſæpe, ſed præſtamus nunquam, aut rarò, vitæ emendationem: cum ijſdem noxis redimus ad pœnitentiæ tribunal: & tamen JESUS promptos vult eſſe miniſtros ſuos ad condonationem, modò ſeriam adferamus reſipiſcendi voluntatem. O quantum *multiplicaſti miſericordiã tuam DEUS* incarnate ſuper filios hominum! Quomodo reſpõdebo illi?

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera: ipſam quoq; profuſiſſimam eſſe miſericordiæ ſuæ, nec unquam deficere aut imminui etiam iſtius

olei lecythum. Qua enim est teneritudine cordis, non potest videre filios periclitantes, quin auxiliarem manum porrigat; non potest audire querulas Clientum voces, quin exaudiat, quantumvis sint frequentes. Sed, quid juvabit, ô Misericordissima, toties multiplicasse misericordiam tuam circa me, si non continues in finem? Miserere nunc, & potissimum in hora mortis. Propositum v. gr. *de frequentandis misericordiæ operibus circa eandem Personã*.

LECTIO PRACTICA.

De Imitatione Misericordiæ Divinæ in temporalibus proximi miserijs.

Misericordia in qua Christus D. Luc. 6. voluit nos studiosè imitari Patrem cœlestem, *Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est*; est Virtus moralis, qua miserijs proximi compatimur cum animo subveniendi, si possumus. S. Thomas 2. 2. q. 30. a. 1. c. ex Augustino dicit: *Misericordia est alienæ miseriæ in nostro corde compassio, qua utiq; si possemus, subvenire compellimur. Dicitur enim Misericordia ex eo, quod aliquis habet miserum* (seu afflictum) *cor super miseria alterius*. S. Gregorius Nyssenus definit: quod sit *erga eos, qui ob res aliquas tristes & molestas se cruciant, cum dilectione conjuncta affectio*. Porro hujusmodi affectio seu compassio sæpe est tantùm naturalis passio, qua movemur etiam erga bruta, dum ea cernimus malè affecta. Quando autem est motus appetitus rationalis, & ratione regulatur; ut moderatè, debito ordine, & modo fiat: eximia virtus est, & virtutum moralium facile maxima. Nam ut ait S. Ambrosius apud S. Thom: cit: q. a. 3. *Omnis summa disciplinæ Christianæ in Misericordia & Pietate est*. Et Oseæ 6. atq; Matt: 12. dicit Dominus. *Misericordiam volo & non Sacrificium*. Cicero quoq; Or: pro Ligar. Cæsarem laudans: *Nulla*, inquit, *de virtutibus tuis nec admirabilior, nec gratior misericordia est*. Nulla nos facit similiores DEO, cui proprium est misereri & parcere.

Quàm grata DEO, tam necessaria est nobis Misericordia. Convincimur enim non diligere proximum (consequenter nec DEUM) si indigenti non subvenimus cum facile possumus. Debitum hoc subveniendi indigentiæ corporali per largitionem eleemosynæ ita æstimant pleriq; SS. Patres: ut quod proximo indigenti non tribuimus, existiment ipsi surreptum & ablatum esse. Ita S. Basilius, Hieronymus, Ambrosius, Bernardus &c. S. Augustinus disertè in Psal. 147. *Superflua diviti, necessaria sunt pauperi: res alienæ possidentur*. Et S. Leo: *Misericordiæ virtus tanta est: ut sine illa cæteræ, etsi sint: prodesse non possint. Quamvis enim aliquis fidelis sit, castus, & sobrius, & alijs majoribus ornatus insignibus: si misericors tamen non est, misericordiam non meretur.* Imò condemnationem meretur. Nam ut Misericordes beatificavit Christus

Matt.

Matt: 5. *Quoniam misericordiam consequentur:* ita per S. Jacobum c. 2. negat eam Immisericordibus; *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit Misericordiam.*

Dividi solet Misericordia in *Corporalem* & *spiritualem*. Per illam compatimur, & subvenimus miserijs proximi corporalibus; per istam spiritualibus, salutem animæ concernentibus. Corporalis Misericordiæ actus seu Opera numerari solent septem: *Esurientes pascere, potum dare sitientibus, operire nudos, captivos redimere, ægrotos invisere, hospitio peregrinos suscipere, mortuos sepelire:* ad quos alia plura reduci possunt. Quorum operum defectum cùm Christus Matt: 25. alleget in causam damnationis reproborum; *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare &c.* manifestum est; nos ad ea graviter obligari, saltem in gravi necessitate proximi.

Quanta compassione moveretur Apostolus erga afflictos etiam corporaliter, disertè testatus est 2. Cor. 11. *Quis infirmatur; & ego non uror?* Quævis infirmitas proximi, incendium & ustulatio fuit Paulo. S. Joannes Eleemosynarius in suis calamitatibus & doloribus quasi sine sensu erat: in alienis nimiùm sensibilis: cruciabatur, si quam vellet, opem ferre non posset. Mirabiles fuerunt in hac virtute SS. Bernardinus Senensis, & Joannes DEI. Ille cum vidisset Senis in publico & numerosissimo nosocomio, sublatos pestifera lue curatores ægrotorum, nec reperiri jam hominem, qui inservire vellet; ultro se se ad id muneris obtulit juvenis nobilitate, annis, & eximijs alijs dotibus florentissimus, nequicquam obstantibus & resistentibus consangvineis: servivitq; omnibus solus cum admiranda charitate & patientia, promptus & indefessus ad vilissima obsequia: donec plures alios juvenes nobiles verbo & exemplo suo ad idem officium Christianæ charitatis induxit; à quorum parentibus & cognatis gravissimas est passus vexationes. Ut verò cumulatiorem à DEO mercedem acciperet: correptus & ipse postea eadem lue, menses aliquot decubuit. S. Joannes DEI, Fundator Religiosorum, quos Bonos Fratres vocant, totam vitam suam, & vires omnes huic addixit muneri: quos in plateis inveniebat infirmos, tanquam thesaurum ingentem inventum, humeris proprijs deportabat domum: incurabile & purulentum ulcus cujusdam quotidiè lingebat, & lingendo curavit. Inter alios cœli favores meruit & illum: quòd dum ante miraculosam DEIparæ Imaginem Gualupanam orans, pronunciaret illa verba? *Illos tuos misericordes oculos ad nos converte,* cortinâ ultro reductâ, serenissimo vultu illum dignata sit cœli Regina.

S. P. N. Ignatius Societatem à se fundatam licèt voluerit primariò occu-

pari juvando proximo in spiritualibus: noluit tamen negligi subsidia temporalia: ideoq; & tyronibus, & absolutis studijs, Patribus tertiæ Probationis injunxit obsequia in Xenodochijs per mensem: omnibus verò ea commendatissima esse voluit, & verbo & exemplo. Unde & primos novem Socios egregiè in illis exercuit; & Laynio atq; Salmeroni, tanquam Theologis Pontificijs ad Concilium Trid: missis, inter alia eam dedit Instructionem; ut ægrotos in Nosocomijs non negligerent invisere & fovere; ut tradit Orlandinus hist: S. J. lib. 5. Ad omnes omnino pertinet illud monitum Tob. c. 4. *Quomodo potueris: ita esto Misericors.*

FERIA VI. post Dom. XVI. post Pent:

MEDITATIO: *De Magnitudine Misericordiæ DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera admirandam Misericordiæ ejus Magnitudinem. Quod confessus est David Psal. 85. fateatur oportet quilibet nostrum, & det gloriam DEO: *Confitebor tibi Domine DEUS meus in toto corde meo, & glorificabo nomen tuum in æternum: Quia Misericordia tua magna est super me.* Magnitudo ejus æstimari potest 1. ex magnitudine & multitudine gravissimorum peccatorum, quæ committuntur, & committi possunt in DEUM. Infinities major est misericordia DEI. Plus enim potest dimittere, quàm quivis, aut omnes simul peccatores peccare; quàvis quodlibet lethale peccatum sit offensa infinita. Vide magnitudinem benignissimi cordis divini, 2. Quod non simpliciter dimittat, seu condonet peccata: sed in justificatione peccatoris inæstimabilem thesaurum gratiæ sanctificantis & supernaturalium habituum eidem infundat. 3. Quòd *miserationes ejus* sint *super omnia opera ejus* (Psal. 144.) quantumvis magna & magnificata. 4. *Misericordia superexaltat* (vincit, superat in effectibus suis) *judicium*, seu Justitiam. Jac. 2. Magnus es, & misericors nimis, DEUS meus, Misericordia mea!

2. ADora D. JESUM, & considera Misericordiam ejus non minorem divinâ imò quodammodo (extensivè) majorem. Nam ut DEUS est, miseretur per eandem omnino misericordiã, Pater cælestis: cùm eadem sit omnium trium Personarum voluntas divina. Insuper ut homo, miseretur nostri per actum voluntatis suæ creatæ, pronissimæ erga genus nostrum, & quemlibet nostrûm. Incredibili facilitate applicat sangvinem suum divinum, sine quo non fit remissio peccatorum, justificationi hominum. Miris modis & medijs vocat, allicit, solicitat, impellit eos ad pœnitentiam, & vitam æternam obtinendam, quasi continuò expostulans amicè & exprobans

eum Propheta: *Quare moriemini Domus Israel?* Ezech. 18. Etiam in glorioso corpore retinui vulnerum stigmata, ut per ea vobis pateant misericordiæ meæ viscera. Agnosco, Misericordissime JESU, & attonitus stupeo magnitudinem misericordiæ tuæ: cujus quamvis innumera habeam argumenta; non aliunde tamen magis eam æstimo, quàm quòd me tantum peccatorem, toleres, imò continuis oneres beneficijs. Unum præ omnibus peto ne ampliùs offendam te.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsius erga nos misericordiam esse maximam. Recole, quæ aliàs legisti, vel audisti, insignia miserationum ejus exempla; quomodo, quàmvis impiè ejurata cum Filio, sacrilegos apostatas mira facilitate receperit in gratiam, & Filio reconciliârit: ut meritò à Dionysio Carthus. (in Polyanth. Mar.) appelletur *Miseratrix præcipua miserorum*: à S. Antonino *Misericordia ipsa*, adumbrata per Reginam Esther, quæ alio nomine vocabatur *Edissa*, id est, Misericordia. Miserere igitur, ô Misericordissima, peccatoris maximi, secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ.

Propositum v. gr. *de fovenda grandi fiducia in Magnitudine misericordiæ DEI, JESU & MARIÆ.*

LECTIO PRACTICA.

De Imitatione Misericordiæ Divinæ in miserijs proximi spiritualibus.

MIsericordia Divina, cujus imitationem nobis præcepit Christus Luc. 6. non in solis necessitatibus & miserijs corporalibus hominum sublevandis avertendisq; consistit: sed etiam, idq; primariò, in subveniendo malis eorum spiritualibus. Hæc enim cùm sint illis longè graviora, & æternam animæ salutem concernant; primas curas, etiam nostras, opemq; præcipuam expetunt, & requirunt. Porro ut Corporalia, ita Spiritualia Misericordiæ opera septem numerari solent: *Peccantes corrigere, Ignorantes docere, Dubitantibus rectè consulere, Pro salute proximi DEUM orare, Consolari mœstos, ferre patienter injurias, Offensam remittere.*

Octavum Misericordiæ tam spiritualis quàm Corporalis, opus dictus est aliquando invenisse pius juvenis Petrus Justinellus, qui postea Societatem ingressus, in obsequio pestiferorum heroica morte decessit. Is cùm notasset, quosdam è coætaneis suis, nocturnis horis frequentare domum quandam non boni odoris; ut erat canendi citharâ peritissimus & suavissimus, consedit opportuno loco, ubi illis transeundum fuit, tamq; dulci vocis citharæq; illecebrâ tenebat transeuntes: ut avelli non possent; atq; ita refrigescente æstu tum corporum tum animorum, ad sua quisq; redibat. Ad Nosocomia verò

complures invitabat, secumq; ducebat, qui peritè fidibus canebant, mœstosq; ægrorum animos recreabat. *Alegambe in Heroibus & Victim: Charit: anno* 1630.

Quæritur subinde: Quisnam sit ordo tenendus in exhibendis spiritualibus Misericordiæ operibus? An Animæ, quæ in purgatorio ergastulo inenarrabilibus tormentis cruciantur, sint priùs & potiùs juvandæ; quàm viventes in peccato mortali, aut proximo ejus periculo? Pro illis facit, quod sint filiæ DEI, & se ipsas juvare non possint, prout possunt istæ. Nihilominus videtur præcipua cura impendenda juvandis istis. Tum quia existentes in peccato mortali sunt in statu longè deteriore; cum malum culpæ longè sit pejus quovis malo pœnæ, & pœna respondens peccato lethali sit infinitè major, quia æterna, pœnâ Purgatorij temporalis: tum quia Christus venit principaliùs ad liberandas animas à peccatis, præsertim gravibus, quàm à pœnis temporalibus: tum quia præstat tollere offensam Divinam gravem, etiam habitualem & infinita maledicta, quæ in DEUM jacientur à damnatis per totam æternitatem; quàm impedire temporalem afflictionem unius animæ. Deniq; pro ijs, qui versantur in periculo proximo peccati gravis, stat Amor divinus, imperans: ut omni studio impediatur gravis offensa divina.

Proinde quod Proverb. 24. dicitur: *Erue eos, qui ducuntur ad mortem; & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses*: quamvis rectè accipi possit de homine innocente, qui iniquè vel per errorem damnatus ducitur, ad supplicium, cujus innocentia meretur defensionem, quàm præstare possumus: à potiori accipiendum est de morte peccati, & interitu æterno. Si enim Charitas & Misericordia jubet impedire mortem hominis temporalem, quantò magis æternam? Unde Beda in eum locum: *Erue eos, qui ab hæreticis decipiuntur, rectam fidem prædicando: libera bonorum operum exempla monstrando, eos, qui à malè viventibus Catholicis trahuntur ad interitum: sed & si quos in certamine persecutionis lapsos, vel lapsuros aspexeris; solicita hos exhortatione ad vitam restaurare, satage.* Salvator noster unicam legitur mulierem adulteram Joan. 8. liberasse à morte corporali, idq; pauca verba digito scribendo in terra: at pro omnibus à morte & supplicio æterno liberandis, quantum tulit laboris & doloris? Videns famelicos homines, qui eum secuti fuerant in desertum; *Misereor*, inquiebat, *supe turbam; quia jam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent.* Matt: 15. & subitò multiplicavit panes: at in refectionem famentium animarum, ipsum corpus & animam suam cum tota Divinitate perpetuo miraculo impendit.

Ex

Ex his patet: quidquid laudis meretur, & commodi adfert Misericordia Corporalis, incomparabiliter mereri & adferre Misericordiam Spiritualem. Unde S. Chrysostomus hom. 3. in Gen: *Ut anima corpore melior est: ita his, qui indigentibus pecunias & facultates suppeditant, majoribus præmijs digni sunt hi, qui admonendo & docendo, in viam rectam supinos & desides inducunt.* Et Gregorius lib. 19. Moral. c. 16. *Si magnæ mercedis est, à morte eripere carnem quandoq; morituram: quanti est meriti à morte animam liberare, in cælesti patria sine fine victuram?* Spiritualia igitur opera Misericordiæ primò & principaliter proximo sunt impendenda pro viribus: Corporalia non negligenda: quia *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem: in die malâ liberabit eum Dominus.* Psal. 40.

SABBATO post Dom. XVI. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Misericordiæ DEI, JESU & MARIÆ cavendo abusu.*

1. ADora DEUM O. M. & considera insignem hominum pravitatem, qui Misericordiâ divinâ, tam multâ & magnâ, tam longâ, latâ, altâ & profundâ, non moventur ad amandum ardentiùs DEUM tam bonũ & benignum, & ad abstinendum omni studio ab ejus offensis: sed ex ipsa tanta DEI Misericordia occasionem, imò quasi motivum, sumunt, multiplicandi peccata, & aggravandi cor suum dùm vocantur ad pœnitentiam. Grandis injuria DEI! Grandis perversitas hominum! *O præsumptio nequissima, unde creata es?* stupet Ecclesiasticus cap. 37. Unde spes discreta, & timor filialis oriri debebat, nata est insana præsumptio, temeritas, dissolutio, peccandi licentia, Justitiæ divinæ contemptus. Sic DEO sua bonitas infinita, sua benignitas summa fraudi est vitio hominum, in omne nefas projectorum. Utinam ex horum numero non fuissem; & misericordiâ tuâ meliùs usus fuissem, Miserator & multùm misericors DEUS! Indignus eâ sum: propitiaberis tamen pro tua bonitate peccato meo: multum est enim.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm gravis & frequens sit inter homines etiam ipsius Misericordiæ abusus. Tam liberè & securè peccant Christiani, ut non liberiùs Saraceni & pagani: imò liberiùs illi, quia sibi blandiuntur fide in Salvatorem, & fiduciâ in ejus sangvine, vulneribus & omnibus parata miseratione: *Hic peccatores recipit.* Sed recolant, oportet: quod notavit sacer Psaltes: *Duo hæc audivi, quia Potestas DEI est,* tam gubernativa, quàm Judiciaria; *& tibi Domine misericordia; quia tu reddes unicuiq; juxta opera sua.* Psal. 61. Et illud Joan. 5. *Neq; enim Pater judicat quenquam; sed omne judicium dedit filio.* Unde *Omnes manifestari oportet*

ante tribunal Christi, ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum. 2. Cor. 5. Mediator, Advocatus, Salus & vita nostra est Christus: verùm & Judex, strictam exacturus rationem de contemptu Justitiæ, & abusu Misericordiæ suæ. O Domine, in justitia tua libera me, & in misericordia tua salva me.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: non paucos reperiri, qui ipsius quoq; Misericordiâ abutuntur in perniciem suam: dum ipsius patrocinio confisi, liberè carni indulgent. Sed recolendum: etiam Bethsabee Reginam multùm valuisse gratiâ & authoritate apud filium Salomonem; & quàmvis recenter audivisset ab illo: *Pete Mater mea: neq; enim fas est, ut avertam faciem tuam*; Adonias tamen, cujus causam agebat Bethsabee, justo sapientissimi regis decreto addictus est neci. 3. Reg. 2. O Mater Gratiosissima utroq; lacta me ubere: è dextro spem misericordiæ, è sinistro propina timorem Justitiæ.

Propositum v. gr. *de cavendo abusu Misericordiæ DEI, J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

Misericordia DEI J. & M. dum tempus est, utendum ad salutem.

COrruptionem optimi esse pessimam; tritum est inter Physicos. Certum quoq; inter Theologos & Ascetas: Abusum spei in Misericordia Divina & Mariana esse summè noxium. Tollit enim cætera ad salutem necessaria media: ac tandem præcipitat in desperationem. Unde opportunissimè monet Spiritus S. Eccli: 5. *Ne dicas: Miseratio Domini magna est: multitudinis peccatorum meorum miserebitur. Misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira illius. Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subitò enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.*

S. Augustinus in Psal. 144. *Et spes,* inquit, *& desperatio timenda est in peccatis* Inducit deinde duos peccatores, unum præsumentem, alterum desperantem. *Videte vocem desperantis ad augenda peccata: & quomodo utriq; voci occurrit Providentia Divina. Audi vocem desperantis: Jam, inquit, damnandus sum, quare non facio, quidquid volo? Audi & vocem sperantis: Misericordia Domini magna est; quando me convertero, dimittet mihi omnia: quare non facio, quidquid volo? Desperat, ut peccet, dimittet mihi omnia: quare non facio, quidquid volo? Desperat, ut peccet: sperat, ut peccet. Utrumq; metuendum est, utrumq; periculosum. Væ à desperatione! Væ à perversa spe! Utriq; huic periculo, & utriq; malo, quomodo occurrit Misericordia DEI? Quid dicis tu, qui desperando volebas peccare? Jam damnatus sum; quare non facio, quidquid volo? Audi scripturam;*

pturam: Nolo mortem impij: tantùm ut revertatur & vivat. *Hac voce DEI reducitur in spem. Sed timendus est alius laqueus: ne ipsa spe ampliùs peccet. Quid ergo & tu dicebas, qui spe magis peccas? Quando me convertero: omnia mihi DEUS dimittet: faciam, quidquid volo. Audi & tu scripturam*: Non tardes converti ad Dominum, neq; differas de die in diem: subitò enim veniet ira ejus, & in tempore vindictæ disperdet te. *Noli ergo dicere: Cras me convertam, cras DEO placebo. Verum quidem dicis: quia DEUS conversioni indulgentiam promisit: sed dilationi tuæ diem crastinum non promisit.*

Idem tract. 33. in Joan: *Semper*, inquit, *expectas, de Misericordia DEI tibi plurimum polliceris, quasi ille, qui tibi per pœnitentiam promisit indulgentiam, promiserit tibi etiam prolixiorem vitam. Unde scis, quid pariat crastinus dies? Rectè dicis in corde tuo: quando me correxero; DEUS mihi omnia peccata dimittet: negare non possumus, quòd correctis atq; conversis indulgentiam DEUS promisit. At in quo Propheta mihi legis, quia promisit correcto indulgentiam; non mihi legis: Quia tibi DEUS promisit longam vitam*; & quod re vera converteris, & corriges vitam. Innumeros, quos aluit, fefellit hæc spes. Hæc est fallax illa Jahel, quæ haustu lactis sopitum Sisaram morti tradidit. *Judic.* 4.

In Vita Thomæ Mori refertur: quomodo quendam in omne scelus projectum amici rogarunt amicè & urgenter; ut maturaret ad meliorẽ mentem redire: sed responsum aliud non tulerunt, quàm plenum illud vanissima præsumptione; cùm migrandum hinc fuerit, tribus se verbulis DEUM ad clementiam exoraturum, & cælum expugnaturum. Verùm res aliter cecidit. Cùm enim postea equitando transiret in ponte fluvium, & improvidum pedem eqvus impingeret saxo: una secum sessorem herum in subjectam aquam effudit. Hic ubi periculum suum advertit, nec modum evadendi reperit, loco trium verborum Davidicorum. *Miserere mei DEUS*! Vel *Tibi soli peccavi*: aut *DEUS propitius esto*; exclamavit: *Rapiat dæmon omnia.* Nec dubium, quin iste ex asse hæres, vindicarit sibi oblata. Sic miseri se fallunt, dum sibi ab innumeris sceleribus offenso DEO promittunt favorem, qui nullis obsequijs etiã justorũ promereri potest, Gratiam scilicet finalẽ.

Quidam in promptissima Matris DEI Misericordia præsumentes, liberiùs indulgent genio suo, & illicitis desiderijs; promittuntq; sibi in supremo agone infallibilem ejus opem, propter exhibita quædam erga ipsam pietatis exercitia. Sed advertere hos oportet. 1. Quòd quàmvis admodùm facilis sit DEIpara V. ad subveniendum clientibus suis, qui eam, *ut decet*, colunt: sed quòd illis, qui in spem gratiæ ipsius liberiùs peccant & in particulari, Tibi, infallibiliter sit mortem felicem impetratura: de hoc nullum extat

Divinum aut Marianum diploma. Imò constat: non paucos, qui in variis Sodalitatibus illius cultui se manciparunt, malè perijsse. Advertendum, 2. DEIparam V. esse quidem eximiè addictam clientibus suis, sed magis Filio suo: quem in spem opis suæ liberiùs & graviùs offendi, conculcari, & iterum crucifigi, non potest non ægerrimè ferre. 3. Adsit sanè promptissima DEI Mater invocantibus se: sed unde constat; quòd illam in supremo periculo invocabis, aut, ut decet, invocabis? 4. Quibusdam Mater Misericordiæ tulit opem & salutem, etiam non invocata, vel culta: num propterea, etiam neglecta invocatione & cultu, præsumes in Misericordia ejus? Bona est, & firmiter tenenda, Spes in Patre misericordiarum & Matre misericordiæ: sed pessima Præsumptio cum dissolutione morum & neglectu pœnitentiæ, *intuitu tantæ misericordiæ.*

DOMINICA XVII. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Patientia DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus Patientiam; non qua dolores aliquos in se conceptos patienter ferat, (horum enim incapax est Mens illa æternùm & essentialiter beata) sed qua perfert injurias sibi ab hominibus irrogatas, ultione cohibitâ. Videt omnia distinctissimè. quæ contra ipsum & mandata ejus homines cogitant, loqvuntur, agunt: idololatrias horrendas, magias, blasphemias, hæreses; inter ipsos Catholicos libidines enormes, fastum intolerabilem, divinorum neglectum, lites & pugnas continuas, & quid non absurdi? Sapientia sua infinita æstimat omnium hujusmodi pravitatum gravitatem, & Majestatis suæ contemptum: sustinet tamen patienter, cohibet vindictam, imò expectat ad pœnitentiam, non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat. *Sustinuit*, & sustinet, *in multa patientia vasa iræ.* Rom. 9. Recole, in quot, & qualibus peccatis te sustinuit. O DEUS, misericordia mea, patientia mea: quid non feram propter te, qui tam diu tolerasti me?

2. ADora D. JESUM, & considera inauditam ejus Patientiã, qua non solùm ut DEUS toleravit & tolerat iniquitates hominum, in se & Patrem suum commissas: sed ut homo sustinuit animo infracto, absq; ullo impatientiæ signo, ærumnas mortalis vitæ continuas, incommoditates, pericula, famem, sitim, labores, frigus, æstum, fatigationem, convitia, calumnias, contumelias, ingratitudines, illusiones, blasphemias: ac demum tempore Passionis, quid non injuriarum, tormentorum & dolorum in corpore & animo? Et hæc omnia sustinuit sibi illata à populo suo, à gente specialiter sibi

sibi electa & dilecta: sustinuit à me & te, sibi irrogata: sustinuit tanquam ovis coram tondente se obmutescens: imò pro transgressoribus & tortoribus suis, pro me quoq; & te, crucifixus Patrem oravit. Verè hic homo Filius DEI erat. Non enim talia sic ferre poterat, nisi DEUS, infinitæ patientiæ, esset. At nostra, qualis & quanta Patientia? Pudet!

3 VEnerare DEIparam V. & considera: 1. quanta fuerit ipsius Patientia in perferendis temporalis vitæ incommodis, defectibus paupertatis, difficultatibus itinerum, ac potissimùm Filij periculis, persecutionibus, injurijs, doloribus, & ipsa morte crucis. 2. Quanta nunc quoq; sit: dum à frigidis Catholicis non æstimatur, à tepidis clientibus negligitur, ab hæreticis gravissimis injurijs afficitur: nihilominus non solùm non concitat Filium ad vindictam, sed humili intercessione prohibet. O mihi duplicem hunc spiritum impetra, ô Gratiosissima, in ferendis injurijs & incommodis!

Propositum v. gr. *de majore studio patientiæ, præsertim in occasione N.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur exemplis & nostræ imitationi proponitur admiranda DEI, J. & M. Patientia in tolerandis hominum peccatis.

CIrca annum 1670. quidam, cæterà probatissimæ vitæ, dum librum & imagines eo contentas non satis honestas, incautiùs versat; primò cogitationes, inde ortas, rejecit abjecto etiam libro. Sed curiositate prurien-te iterum librum legere instituit. Et mox veneno se diffundente, in eam libidinis insaniam prorupit: ut pudore omni prorsus abjecto, modos omnes exquireret, quibus eam ad satietatem expleret. Sed quia à solicitatis repulsam tulit: dæmonem solicitare non est veritus; ut vel aliam procuraret, vel semet personatum flagitio commodaret. Cùm autem dæmon nihil præstaret: ille primùm mirari & castigare dæmonis inertiam, tum circumspicere, num forsan quid lateret apud se, quod Orci satelliti, ad hujusmodi obsequia aliàs promptissimo, aditum negaret. Deprehensos ergo in sacculo libellos pios & Rosarium, quod ad id tempus studiosissimè volverat, reponit in angulum, preces & Sacra, aliaq; consveta pietatis exercitia negligit, præceps in omne scelus. Deniq; in sylvas progressus, vestitu omni posito, abjectâq;, quam inscius secum tulerat, sacrâ cerâ è collo pendulâ, alta voce dœmonem evocat. Sed nemo respondet, vel comparet. Ergo in furias actus, ut tergiversantem efficaciùs accerseret dæmonem, DEUM execratur; & horrendis blasphemijs se DEI hostem proclamat: spondet insuper, se hæc omnia flagitia in Confessione celaturum, & sacrilega Communione usurum; ut tantò magis constet, se toto corde DEUM ejecisse, vacuumq; offerre Sa-

tanæ. Quid ad hæc DEUS? Nisi scirem Omniscium: putarem ignorasse quæ agebantur. Nisi crederem infinitè Benignum & Patientem: non crederem tanta tolerasse. Toleravit tamen: infernum totum, ne noceret, vel operam suam offerret, prohibuit: imò cælesti lumine impium aspersit; ut ad insaniam suam mentem adverteret, & resipisceret. Ergo miser ubi vidit, se ab Orco destitui, & cælum adhuc habere propitium; decrevit cum prodigo redire ad Patrem, tam indulgentem. Et redijt altero statim die, animo cum magna intimi doloris contestatione expiato. *Lohner in Biblioth. Man: tom* 1. *tit.* 40. Discenda hinc 1. Incomparabilis Patientia Divina in tolerandis hominum peccatis. 2. Intolerabilis hominum impietas, & voluntaria insania. 3. Quàm perniciosa sit lectio Librorum non undequaq; honestorum, ne dicam, obscœnorum.

Alterum inter innumera alia, admirandæ Patientiæ exemplum dedit DEUS in Hispania: ubi aleator quidam perditis omnibus in eam erupit insaniam; ut militem cataphractum indutus prodierit in publicum, & DEUM ad singulare provocârit certamen, attonita tota civitate. Dum qua potest rabie cælum lacessit blasphemus: DEUS de minimis armigeris suis unum expedivit crabronem, qui postquam circa caput impij circum volitando non sine terrifico murmure, multo eum metu replevit & à blasphemijs ad sui tutelam convertit; inter loricam & galeam se se insinuans, telum suum cervici infixit. Vix mente motus non est impius, præsertim ubi vidit adversariũ suum circa se gyrare, & alteri vulneri locum quærere. Inter enormes clamores manibus pedibusq; reluctabatur; nunc huc illucve circumcursando, nunc in terra se volutando repugnabat, simulq; largissimo risui frequentissimi populi se propinabat. Post multam vexationem cœpit uti intellectu, & agnoscere: quàm leniter & dissimulanter secum egerit DEUS, qui non fulmen contra se torsit, sed unius crabronis aculeum vibravit. Misericordiam ergo & incomparabilem ejus Patientiam extollens, dedit gloriam DEO, & confusus contritusq; campo cessit.

Magna est Patientia Domini! Sed videant servi nequam. 1. Ne Patientia sæpe læsa fiat furor. *Si arripuerit manus mea judicium; reddam ultionem hostibus meis; & his, qui oderunt me retribuam. Inebriabo sagittas meas sangvine, & gladius meus devorabit carnes.* Deuter 32. Videant 2. quàm patientes ipsimet esse debent injuriarum à conservis sibi illatarum, quando Dominus tam patiens est redditor, imò tam facilis condonator. *Estote invicem benigni, misericordes, donantes invicem, sicut & DEUS in Christo donavit vobis.* Ephes. 4. *Omnis injuriæ proximi ne memineris: & nihil agas in operibus injuriæ.*

Injuriæ. Eccli. 10. Rationem dat cap. 28. quod valde absonum sit: ut pro injurijs ab homine acceptis exardescat & ultionem meditetur homo, qui gravissimarum offensarum suarum tam patientem experitur DEUM. *Homo homini reservat iram, & à DEO quærit medelam?* qua tollantur delicta sua? *In hominem similem sibi non habet misericordiam, & de peccatis suis deprecatur? Ipse caro cùm sit, reservat iram; & propitiationem petit à DEO? Quis exorabit pro delictis illius? Memento novissimorum; & desine inimicari.* Imitandus ergo Patientissimus DEUS 1. Ne facile, præsertim ex levi causa, irascamur. 2. Ne in maledicta & imprecationes erumpamus. 3. Ne in vindictam præcipites feramur. 4 Ut faciles simus ad reconciliationem. 5. Privatas offensas condonemus libenter & constanter.

FERIA II post Dom. XVII. post Pent:

MEDITATIO: *De Longanimitate DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quòd non solùm patiens sit injuriarum in se commissarum, dissimulando iram, & ad breve tempus differendo vindictam sed *longanimis est*, ideoq; *multùm misericors.* Psal. 102. Multò enim tempore, multis, ijsq; strenuis peccatoribus, suspendit ultionem usq; ad decrepitam ætatem, imò & ultimum agonem: si fortè convertantur, & vivant. Stupet Augustinus Enarr. in. Psalm: cit: *Peccatur; & vivitur! Accedunt peccata, augetur vita. Blasphematur quotidie, & facit solem suum oriri super bonos & malos.* Sed non minus miratur stuporem hominum Apostolus Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & Longanimitatis, contemnis? Ignoras: quoniam benignitas DEI* tanto tempore differens pœnam, *ad pœnitentiam te adducit?* Tu verò *secundùm duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicij DEI.* Recole: quot annis longanimis DEUS te toleravit strenuè peccantem: quot annis toleret frigidè pœnitentem. Ne contemnas divitias patientiæ & longanimitatis ejus: *ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat.*

2. ADora D. JESUM & considera ipsius quoq; admirandam longanimitatem; quam non dissimulavit ipsemet Matt. 17. *O generatio incredula & perversa, quousq; ero vobiscum? Usquequò patiar vos?* Passus est tamen, & sustinuit; quamdiu ab ipsis sublatus non est. Nec doctrinam subtraxit, nec miracula, nec omnigena charitatis argumenta: pulchrumq; longanimitatis suæ typum expressit Luc. 13. in illo patrefam: qui cùm per aliquot annos quæsisset fructum in ficulnea sua, nec invenisset, succidi illam jussit; sed facile ab hortulano persvaderi sibi passus est, ut adhuc annum expectaret.

Et in rege illo Matt. 18. qui rogatus à servo debitore: *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi: misertus Dominus servi illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.* In persecutores & parricidas suos Judæos ultra triginta annos distulit ultionem, ut interim redirent ad cor. At illi obstinatione sua aggravarunt sibi supplicium. Et tu quamdiu prolongabis iniquitatem, & seriam pœnitentiam procrastinabis? Ama, sed simul time, Longanimem JESUM.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm fuerit & sit ipsa quoquè Longanimis. Quàmdiu sustinuit Nestorium, Impetratorem Copronymum, aliosq; in se injuriosos hæreticos? Quàm prolixè suffert negligentias & noxas clientum suorum? Non, ut Sara offensa, illico urget supplicium; *Ejice hanc ancillam & filium ejus.* Gen. 21. sed cum Filio orat; *Pater dimitte illis.* Suspendit verbera: non negat ubera. Quid ergo procrastinamus? Tam longanimes DEUS, JESUS & MARIA saltem seram donate resipiscentiam.

Propositum v. gr. *de non differenda ulteriùs vitæ morumq; emendatione.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur exemplis, & nostræ Imitationi proponitur, Longanimitas DEI.

OStensum est suprà: quomodo Ægidius quidam, juvenis nobilissimus, inordinato Scientiarum, & in illis excellendi, studio abreptus, in magiam, DEI ejurationem, & alia enormissima scelera prolapsus, post septennium tyrocinij in schola Satanica positi, proclamatus Doctor, Parisios se contulerit, ibiq; arte medendi insolitâ plurimùm & famæ & scelerum collegerit. Sustinebat hominem impijssimum DEUS admiranda longanimitate: donec tandem visum est incurio salutis suæ, & Numinis oblito, acriorem admovere stimulum. Intento impijs studijs suis in occluso museo, subitò apparuit horribilis eques, januis clausis ingressus, licèt totus cum equo suo videretur ex marmore conflatus. Is ubi concitato equo, propius assilijt, in pectus Ægidij terribilem vibravit, non tamen adegit, lanceam, horrifica voce ingeminans: *Corrige impiam vitam tuam: Corrige impiam vitam tuam: vel hac lanceâ peribis.* Quibus dictis disparuit eques: Ægidius autem toto corpore animoq; contremuit, ac fere mente excidit præ anxietate: ne fortè brevi rediret eques, & se conficeret. Sed ubi is per hebdomadas aliquot non comparuit: arguere se cœpit pusilli cordis; quòd metu vanissimi phantasmatis in tantam sit lapsus consternationem. Ergo interruptam aliquamdiu vivendi licentiâ reassumit, & infrunito cordi iterum laxat habenas. O quàm difficile est emergere: ubi in profundum venerit, peccator! Difficile tamen DEO non fuit, extorquere tandem, quod ultro non dabatur:

Dum

Dum Ægidius in medio flagitiorum cursu pergit intrepidus; DEUS expectando pœnitentiam veluti fessus, novum faciendum duxit assultum. Ecce rursus magum in museo suo solitarium, adoritur Eques ille; rursusq; inclamat: *Corrige, Corrige, Corrige, vitam infelix: aliàs hoc concides telo.* Attonitus Ægidius procidit in genua, & tremens Corrigam, Corrigam, inquit, Domine: parce quòd priori mandato non paruerim. At Eques: *Timor hoc tibi exprimit; quo solutus, redibis ad vomitum: expedit; ut nunc concidas, ne plus mali committas.* Sub hæc lanceâ petit pectus ejus, sed non nisi modico vulnere sauciat, & disparet. Ille quasi plenè confectus, concidit exanimi similis, & præ magnitudine doloris vix spirabat. Ubi animum collegit, & vulnus non esse lethale comperit, famulos horribili voce inclamavit. Accurrentibus, & quid accidisset mali, sciscitantibus, nihil aliud reposuit; quàm ut sine mora omnia pararent ad reditum in patriam. Resumptis viribus omnes magicos libros, pharmaca, & flagitiorum instrumenta igne absumit; rebusq; compositis, tam properè in Hispaniam contendit, acsi continuò cervici imminerent satellites, qui ut veneficum & magum, raperent ad rogum. Palentiam ubi pervenit; non diu moratus, Institutum S. Dominici amplexus est, eaq; rigidissimæ pœnitentiæ per omnem vitam dedit argumenta: ut Sancti nomen & honores meruerit. *Cochem histor: parte 3. hist: 12:*

Prædicante in India S. Francisco Xaverio, Navarchus erat Saracenus, cunctis Indiæ portubus memoratus & notus. Huic mente præsaga prædixerat Sanctus, non priùs moriturum, quàm sacro baptismate lustraretur. Quod ipse tam ratum & indubitatum animo retinebat: ut urgentibus eum subinde Lusitanis ad ejurandum Mahometem (vir erat alioqui animam bonam sortitus) consueverit respondere: Ne vellent esse de se soliciti, obiturum se certò Christianum; hoc se à Sancto Patre promissum tenere, quo falli non posset, sed in exitu vitæ præstandum. Sinerent suum se cursum peragere: nec iter è terris in cælum rectâ, sibi inviderent. Et planè ex voto res homini evenit: sub extrema vitæ periodo expiatus S. lavacro, obijt Christianus, DEO admiranda longanimitate expectante infidelis conversionem. *Bartoli in Vita S. Xav: lib. 4. n. 41.*

Sed majore adhuc longanimitate expectavit conversionem adolescentis & lascivientis Mundi: antequam illum lavacro diluvij expiaret. Ante centum solidos annos præmonuit Nòémum de imminente clade, quam interea per Arcæ fabricam continuò prædicabat; & cùm surdi aures insuper obturarent, nihilominus ad pœnitentiam solicitare impios non desijt: *Adhuc*

huc enim & post septem dies ego pluam super terram &c. Sed cùm neq; tunc audiretur: aperuit tandem, quasi coactus, cataractas cæli.

At nos eodem, quo lædimur, momento contrahimus fœtas mœroris & indignationis nubes, solvimus cataractas bilis, & ore manuq;, quot & quanta possumus, jacimus fulmina: sed quæ in caput nostrum recidunt. Imitandus longanimis, etiam inter gravissimas & creberrimas offensas, DEUS. 1. Dissimulando sensum offensæ. 2. Non statim decernendo supplicia. 3. Terrendo per comminationem pœnæ & alliciendo ad compositionem. 4. Non puniendo, quàm diu bullit ira. 5. Admittendo facile mediatores & promissionem satisfactionis. 6. Si tandem omnino infligenda sit pœna: ita procedatur; ut inviti ad eam descendisse videamur. Notat S. Chrysost: hom: 5. de pœnit: *Multò in tempore ædificia extruuntur, subitò destruuntur: è converso fit in DEO* (& in nobis fieri debet) *velox DEUS struens, tardè destruens.*

FERIA III. post Dom. XVII. post Pent.

MEDITATIO: *De Clementia DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera summam ejus Clementiam erga homines innumerarum noxarum, & non paucorum criminum læsæ Majestatis ejus reos. Est hæc virtus planè regia, & gratiosissima inter alias principum dotes. Consistit autem in facilitate & benignitate animi, qua quis reo commeritas pœnas vel condonat, vel multùm imminuit, & facile placabilis iræ est. Quantum pœnarum & odij divini mereatur vel una culpa lethalis ob gravem contemptum Majestatis divinæ: manifestum est ex æternis inferni tormentis. Quid mereantur etiam leves & veniales noxæ, docent expiatoriæ flammæ purgatorij. Utrasq; tamen culpas tam facile condonat, quàm cito peccator dolet, se peccasse: eodemq; momento reum recipit in gratiam, amicitiam restaurat, merita mortificata resuscitat, pœnas æternas commutat in temporales, à temporalibus facillimo negotio absolvit in hac vita. Quis non serviat libenter tam facile placabili, tantæ clementiæ Domino? Dominator Domine DEUS, misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis, ac verax: non intres in judicium cum servis tuis: sed magnifica super nos clementiam tuam; ut tibi vivamus.

2. ADora D. JESUM, & considera: in ipso, tanquam Rege regum, & vivorum mortuorumq; Judice, regiam Clementiæ virtutem, ut solem inter astra, ut adamantem in purpura, radiare fulgidissime. Compellatus suppliciter de donanda infirmis sanitate corporali, spiritualem prius do-

nare consueverat: *Remittuntur tibi peccata tua*; ut operi misericordiæ imponeretur corona Clementiæ. Quodsi ipsa corporis infirmitas pœna esset delicti: & hanc facilis relaxabat, ut jacenti apud Probaticam piscinam Joan. 5. *Jam noli peccare; ne deterius tibi aliquid contingat.* Quàm liberaliter absolvit mulierem in adulterio deprehensam? Joan. 8. *Nemo te condemnavit? Nec ego te condemnabo. Vade & jam ampliùs noli peccare.* Hujusmodi clementiæ prodigia renovat quotidie per universum orbem in sacro pœnitentiæ, seu clementiæ potiùs, tribunali. Accedunt rei, recedunt amici. Accedunt diaboli satellites, Inferni titiones: recedunt filij DEI, & hæredes regni cælestis. O inauditam Regis, & Judicis nostri clementiam!

3 VEnerare DEIparam V. & considera eam, Clementissimam utriusq; orbis Reginam, cui divina Bonitas tradidit sceptrum clementiæ: ut si quos rea conscientia abstraheret à tribunali Filij; non revererentur accedere ad thronum Matris, per ipsam habituri securiorem accessum ad Filium: prout per Esther Reginam accessum habuit ad regis clementiam periclitans natio Judæorum. Nosti, ô Clementissima: quàm justo metu verear tribunal Regis mei. Interveni ô Clemens, ô pia, ô dulcis Virgo MARIA.

Propositum v. gr. *de imitanda clementia DEI, J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur exemplis & Imitationi proponitur Clementia Divina.

INprìmis DEUS in puniendo nunquam excedit modum & meritum delicti; sed semper, sive in hoc, sive in altero mundo punit infra condignum: habetq; apud ipsum semper & ubiq;, etiam in inferno, locum illud Habac. 3. *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Recordatus est ejus in puniendis protoparentibus nostris, quos non statim, ut Angelos, addixit tormentis æternis, licèt non solùm non deprecarentur culpam aut pœnam; sed impudenter se excusarent. Proscripsit illos quidem è Paradiso, sed facilem concessit aditum ad cælum. Exposuit eos varijs ærumnis, laboribus, & doloribus: sed & remedia & consolationes, & mercedem magnam nimis promisit. Afflixit ipsos cæde filij: sed recreavit nascituro ex semine eorũ Filio DEI, DEO vero &c.

Aperuerat, non tam Justitia Divina, quàm effusissima in omne nefas malitia humana, cataractas cæli, & abyssum magnam iræ DEI, totumq; demersit orbem; & merebatur ipse emergere nunquam: *Recordatus autem DEUS Noë, cunctorumq; animantium, & omnium jumentorum, quæ erant cum eo in arca, adduxit spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ. Et clausi sunt*

fontes abyssi & cataractæ cœli: Gen: 8. Quàm tardus ad pœnam, tam promptus est ad clementiam Dominus. Vix Noë ex arca egressus, modica obtulerat holocausta Servatori: *Odoratusq; est Dominus odorem suavitatis, & ait ad eum: Nequaquam ultra maledicam terræ propter homines &c. Arcum meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Sodomam & finitimas civitates diluvio ignis evertit: sed non eversurus, si vel decem justos in illis reperisset. David gravissimorum criminum reus, quàm facilem obtinuit veniam per unum *Peccavi!* Tam facile placabilis iræ fuit semper, & est DEUS noster.

Discipulus in Prompt: lit: M. exemp. 20. refert de Divite quodam, qui, ut non raró evenit, cùm ad magnam devenisset paupertatem; sponte se subdidit diabolo, ut ipsius operâ ad pristinas rediret fortunas. Diabolus ut hominem sibi magis obstrictum teneret, rebaptizavit illum, sed in nomine Luciferi dicens: Egò baptizo te in nomine Luciferi & omniũ dæmonum quod sis cum corpore & anima noster. Postea dedit ei divitias multas, & dixit: Ex quo noster es, debes portare signum nostrum, scilicet superbiam sicut in vestibus & incessu; ita & in membris. Transegit miser in eo statu annos aliquot. Contigit deinde, ut Ecclesiam ingressus audiret prædicationem de Misericordia DEI infinita; tactus dolore cordis intrinsecus, procidit super terram, omniumq; virium contentione Misericordiam & veniam flagitabat. Fuit autem contritio cordis & angustia animi tam vehemens: ut totus incanesceret, & domum redux vix agnosceretur. Sic contritum non despexit clementissimus Dominus; sed voce de altari missâ solatus est: *Surge, remittuntur tibi peccata tua. Vade & ampliùs noli peccare.*

De V. DEIpara testatur Bern: Serm: super signum M. *Quemadmodum sol oritur super bonos & malos indifferenter: sic MARIA præterita non discutit merita; sed omnibus se se exorabilem, omnibus Clementissimam præbet, omnium deniq; necessitatibus amplissimo miseretur affectu.* Exaggerat Clementiam DEI, J. & M. quòd non solùm facile deponant iras, & resipiscentes peccatóres recipiant in gratiam: sed ultro invitent, alliciant, solicitent tum minis intentatis, tum beneficijs profusis; ac deniq; conversos suavissimè complectantur, & extraordinarijs recreent exornentq; favoribus. *Nullus est adeò magnus peccator*, dixit Christus S. Mechtildi apud Blos: in Mon: *quin, si verè pœnituerit; mox illi omnia sua peccata dimittam plenè & Cor meum tanta clementiâ atq; dulcedine supra ipsum reclinem, acsi nunquam peccasset.*

Nos quàm sensibiles sumus ad injuriam, quàm duri & inflexibiles ad veniam! Adest subinde, qui læsit, humiliter culpam deprecaturus: non audi-

tur. Procidit ad pedes; calce repellitur. Per superos orat: amandatur ad inferos. Crucifixum DEUM interponit: diabolo inter mille diras traditur. Sic Christiani sumus? an potiùs Neroniani, aut Luciferiani, quorum odia æterna sunt, qui vivere non possunt, nisi noceant? Quàm justè audient & sentient hujusmodi illud Matt: 18. *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi, quia rogasti me. Nonne ergo & te opportuit misereri conservi tui, sicut & ego misertus sum tui? Et iratus Dominus ejus tradidit eum tortoribus, quo ad usq; redderet universum debitum. Sic & Pater meus cælestis faciet vobis si non remiseritis unusquisq; fratri suo de cordibus vestris.* Quid autem fiet nobis, si non tantùm non remiserimus, sed pœnas exegerimus ultra condignum? *Induite vos ergo,* monet Apostolus, ad Coloss. 3. *Sicut Electi DEI viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, patientiam: supportantes invicem, & donantes vobismetipsis, si quis adversus aliquem habet querelam.* Aliàs imminet nobis, & aliquando graviter premet sententia Divina: *Cor durum malè habebit in novissimo.* Eccli: 3.

FERIA IV. post Dom. XVII post Pent:

MEDITATIO: *De Liberalite DEI, JESU, & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera profusissimam ejus Liberalitatem in Creaturas rationales. Paucis exprimitur Jacobi 1. Si quis vestrûm indiget Sapientia; (quæ pretiosissimum munus est) postulet à DEO; *qui dat omnibus affluenter, & non improperat.* Dicitur 1. *Dat*: quia non solùm promissorum largus est, ut homines solent; sed re ipsa, libenter & promptè dat, idq; frequenter non rogatus, & gratìs plerumq; 2. Dat *omnibus*, dignis & indignis parvis & magnis, justis & injustis, qui fuerunt, sunt, vel erunt. 3. Dat *affluenter*, multa & magna, non solùm supra merita, & necessitatem; sed sæpe supra vota & expectationem. Mensura enim Liberalitatis ipsius non est indigentia vel dignitas nostra, aut preces fusæ: sed infinita Bonitas & Sapientia ejus. Ab Apostolo Rom. 10. dicitur *Dives in omnes*: non enim more pauperum, sed opulentorum & magnanimorum principum erogat dona sua. 4 *Et non impoperat*, exprobando accipientibus indignitatem, & copiam beneficiorum ante præstitorum, si illis sunt abusi. Magnus Dominus & magna Beneficentia ejus! Quis non serviat tali, etiam sine conventione de stipendio?

2. ADora D. JESUM & considera Liberalitatem ejus tantam, ut Prodigalitas dicenda esset, nisi constaret: ipsam summâ prudentiâ regi. Non solùm enim nobis sua omnia donavit, terram & omnem plenitudinē

ejus, cælum & omnem voluptatem & gloriam ejus; nec solùm se vestimento quodam spoliavit, ut Jonathas; sed planè *exinanivit*, ut nos ditaret: præter sua se ipsum totum dedit, idq; varijs & miris modis: ut meritò dicat Apostolus Coloss. 2. Estis in illo *repleti*, qui est Caput omnis principatus & potestatis. Et Joan. 1. *De plenitudine ejus nos omnes accepimus*, tanquam ex fonte vivo & perenni, ae ultro exuberante, atq; universam terræ faciem, imò & intima ejus, irrigante. Benedic ergo anima mea Dominum: & noli oblivisci omnes retributiones ejus, qui replet in bonis desiderium tuum. Quid habes, quod ab ipso non accepisti? sed quid retribuisti? Mala pro bonis.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam ut Reginam opulentissimam simul ac liberalissimam. Multæ filiæ congregaverunt divitias: ipsa supergressa est universas, & in modo congregandi, & in studio expendendi. Congregavit, non servanda sibi, sed eroganda nobis; sibi gratiarum plena, nobis superplena, vasis instar, à copia affluentium aquarum redundantis. Vide, Domina, egestatem servi tui, non à defectu donorum tuorum egeni, sed à non-usu eorum. Ne subtrahas liberalissimam manum tuam: annitar ut optatum referas fructum donorum tuorum.

Propositum v. gr. *de liberaliùs procedendo cum DEO: ut liberalem in nos experiamur.*

LECTIO PRACTICA.

Multa & Magna petenda à DEO, JESU & MARIA.

PRovocat enim nos urgetq; summa ipsorum Liberalitas: ut non simus parci in petendo. Est genius verè Magnorum; magnitudinem & opes suas largitionibus ostentare: & qui magna petit, indicat magnificam quam habet de altero opinionem. Hinc Antiochus rex Thrasyllum Cynicum drachmam sibi à rege donari petentem, repulit dicens: *Non petis munus regium.* Alexander autem M. cùm quæstorem suum jussisset, Anaxarcho Philosopho dare, quantumcunq; postularet; ille verò postulasset centum talenta: stomachante quæstore ob intemperantiã petitionis, rex laudavit philosophũ. Rectè inquit facit, sciens; se habere amicum, qui tantum dare velit, & possit. *Plutarch. in Apoph*: Aliàs Perillo uni ex amicis, petenti dotem filiæ, assignavit 50. talenta. Illo dicente, satis esse decem; respondit Alexander: Tibi quidem satis est, tantum accipere: mihi verò satis non est, tantum dare. Proinde etiam à DEO, idq; potiore titulo, *Petenda sunt, quæ digna sunt DEO*: inquit S. Basil: de Constit: Monast:

S. Chrysostomus in Psal. 142. *Quemadmodum*, ait, *ad Imperatorem nemo pro veste*

veste discissa, nec pro decem obolis ereptis audet accedere: ita etiam tu, atq; adeò longè amplius, cave, ne ad DEUM accedas pro rebus vilibus, contemptis, & nihilis qualia scilicet sunt terrena, quantumvis magna & splendida videantur. *Tu eùm oras, magna ora: quæ æterna sunt, non quæ caduca. Noli orare pro peccunia, quæ ærugo est; noli orare pro auro, quia metallum est: noli orare pro possessione, quia terra est. Ista oratio ad DEUM non pervenit. Non audit DEUS, nisi quod dignum ducit beneficijs suis:* ait S. Ambros. in Psal. 118. Petenda ergo bona cælestia & munera supernaturalia, quorum una, ut ita dicam, mica pretiosior est orbe terrarum, & omnibus bonis ipsius: petendum Regnum integrum, ipsum scilicet regnum cælorum; prout Christus docuit in sua Orandi methodo: *Adveniat regnum tuum.* Nimia quidem visa est ipsi Salomoni talis petitio, quando Matri petenti Abisag Sunamitidem Adoniæ in uxorem, respondit: 3. Reg. 2. *Postula ei & regnum.* Quasi diceret: sicut Regnum non censetur inter regia dona, nec alteri donatur; sic nec Abisag concedi potest Adoniæ in uxorem. At DEUS gaudet Regnum suum venire in possessionem plurium; Christus amat optatq; unicè cohæredes plurimos; vocabitq; olim exultabundus fideles servos in possessionem regni sui: *Venite Benedicti Patris mei, possidete regnum, paratũ vobis à constitutione mundi.*

Advertit non nemo ex aulæ fucis, ad regem Alphonsum delata esse decem aureorum millia; nec imperare sibi potuit, quin diceret: se tali summâ auri possessâ beatum futurum. Cui rex: Accipe, quantacunq; est; beatus esto. *Panorm:* lib. 4. Magis nos vult beatos esse Christus: siquidem in beatitudinem nobis comparandam infinitum Divini sangvinis sui pretium libens impendit; ac insuper Joan. 16. monuit: *Petite, & accipietis; ut gaudium vestrum plenum sit.* Imò ut gaudium nostrum sit superplenum, profusissima Liberalitate non solùm consuevit dare DEUS quantum petitur, sed longè amplius. Filium petijt Abraham à DEO. Filium accepit, & insuper posteritatem tam numerosam, sicut arenæ in litore maris, tam gloriosam sicut stellæ cæli; & in hac Nepotem Messiam. Salomon unicam desideravit Sapientiam: obtinuit; & insuper opulentissimâ cum ea sponsa dotem: *Ecce dedi tibi secundùm sermones tuos cor sapiens & intelligens* &c. *sed & hæc, quæ non postulasti, dedi tibi; divitias scilicet & gloriam:* & quidem tam copiosè, *ut nemo fuerit similis tui in regibus, cunctis retro diebus.* 3. Reg. 3. Tobias pro filio tantùm reduce supplicavit: habuit reducem, & simul cum illo opulentam sponsam. Obæratus ille servus Matt: 18. moram tantum aliquam petijt pro corradenda pecunia ad debitum exsolvendum: & Dominus *Omne debitum dimisit illi.* Prodigus ille tantùm optavit mercenarijs patris

annumerari: & liberaliùs exceptus est, quàm primogenitus Patri obsequentissimus. Quærentibus primùm regnum DEI, etiam temporalia liberaliter adjicienda promittuntur. Matt: 6.

Quid? quod non raro conqueri auditus est Dominus de parcitate nostra in petendo? P. Balthasar Alvarez S. J. vir cum DEO conjunctissimus dum pro quodam speciali gratia indigente oraret, audijt sibi dici: *Cur tu in petendo tam parcus es: cùm DEUS in dando tam sit liberalis?* Lud. de Ponte in Vita c. 15. §. 2.

Tanta Domini profusio provocare nos debet ad mutuam, quantam tenuitas nostra patitur, liberalitatem. 1. Ut largiores simus in offerendis ipsi virtutum actibus, præsertim quos supererogatorios vocant. 2. In liberaliter condonandis propter ipsum injurijs nobis illatis. 3. Liberaliores simus erga pauperes, & in ornatum Ecclesiarum &c. *Qua mensurâ mensi fueritis, eadê remetietur vobis.* Luc: 6.

FERIA V. post Dom. XVII. post Pent:

MEDITATIO: *De Fidelitate DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera summam ejus Fidelitatem inimplendis & superimplendis promissis suis. Liberales sunt homines in promittendo, parci & segnes in exequendo promissa, sive defectu seriæ voluntatis, sive inopiâ facultatum. At DEUS essentialis Veritas & Veracitas nec falli nec fallere potest: & cùm sit summum & omne Bonum, deesse ipsi non potest, quod largiatur: cùm deniq; sit omnipotens, superare potest omnia impedimenta occurrentia executioni promissorum suorum. Et hoc est inconcussum spei nostræ firmissimæ & infallibilis fundamentum: quàmvis captum nostrum excedant, quæ promisit DEUS. Unde Moyses Deuter. 7. monet populum Israel: *Et scies: quia Dominus DEUS tuus ipse est DEUS fortis & fidelis, custodiens pactum & misericordiam diligentibus se & his, qui custodiunt præcepta ejus, in mille generationes.* Beati igitur, qui confidunt in Domino. Sperate in eo omnis congregatio populi. At nos quàm multa, quàm sancta & splendida facimus promissa DEO: quàm pauca præstamus!

2. ADora D. JESUM & considera: ipsum quoq; infallibilem esse & fidelissimum in promissis suis, & omni attestatione. Apoc: 1. vocatur *Testis fidelis.* Omnes enim attestationes ejus de mysterijs fidei summam infallibilitatem habent. De prædictionibus & promissionibus suis affirmat ipse Luc. 21. *Cœlum & terra transibunt; verba autem mea non transibunt* Un-

de Apo-

de Apostolus 2. Tim. 2. excitat fideles ad fidendum verbis Christi, promittentis sequacibus suis vitam æternam, & regnum cæleste. *Fidelis sermo: Nam si commortui sumus, & convivemus. Si sustinebimus & conregnabimus. Si negaverimus: & ille negabit nos. Si non credimus: ille Fidelis permanet.* Credimus equidem; & quòd verba Christi oracula sint æternæ veritatis; & quòd ij, qui impleverint conditiones ab ipso positas, infallibiliter obtinebunt bona promissa: sed stupenda res est; quòd ea fides tam parum operetur, ad excitandos nos: ut conditiones illas & similes impleamus; *Si commortui sumus: Si sustinebimus &c!* Adjuva Domine fragilitatem nostram.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: eam non solùm in credendo revelationibus divinis fuisse fidelem: *Beata quæ credidisti.* Luc. 1. imò Fidelium omnium fuisse & esse Matrem: sed etiam Prophetissam fuisse Fidelem; ut eam appellat Rupertus lib. 1. in Cant: Cernimus enim luculenter impletum, quod cecinit ipsa de se: *Beatam me dicent omnes generationes.* Dixerunt sæcula omnia; dicunt nationes omnes, excepto semine serpentis antiqui. At ego, ô Fidelissima, gaudeo medullitus: quod tam copiosi surrexerunt Filij, qui te Beatissimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverint Te.

Propositum v. gr. *de majore fidelitate in exequendis promissis DEO, J. & M. factis.*

LECTIO PRACTICA.

Fidelitati Divinæ respondeat Fidelitas nostra.

FIdelitas subinde sumitur latiùs, pro constantia in Fide suscepta. Unde qui Christi fidem susceperunt, atq; in ea perseverant, passim *Fideles* appellantur. Et pro Perseverantia in obsequio alterius aut rebus ejus custodiendis, vel non violandis. Unde servi dicuntur Fideles, qui non subducunt se vel bona Dominorum. Propiè Fidelitas est Constantia animi in reddendis promissis alteri factis, sive DEO, sive proximo. Ut Proximo simus fideles, præstanda sunt ipsi integrè, quæ vel simplici Promissione aut Donatione, vel speciali aliquo Contractu eidem polliciti sumus. Sine rationabili causa non stare promissis, excusari non potest à culpa saltem veniali. Per hoc enim Promissio distingvitur à simplici proposito: quòd illa obligationē aliquam importet; quam non infert Propositum.

Ut DEO simus Fideles, non solùm deserenda non est Fides Christiana: sed accuratè reddenda sunt Vota facta ipsi. Est autem *Votum*, juxta S. Thomam 2. 2. q. 88. *Promissio DEO deliberatè facta, de bono possibili & meliori.* Requiritur autem ad Votum ea deliberatio quæ requiritur ad committendum peccatum. Unde ad emittendum Votum requiritur deliberatio plena,

sicut

sicut dum committitur peccatum mortale. Debet autem promissio esse rei, vel actionis, voventi possibilis; cùm ad impossibile nemo obligetur: ac insuper non debet impedire majus bonum.

Vota DEO facta, nisi excuset materiæ levitas, vel insufficientia deliberationis, importare gravem obligationem satis indicant, Dignitas suprema & infinita DEI, Sacræ Literæ, & communis sensus Fidelium. Unde frequenter & graviter S. Scriptura exigit Votorum redditionem accuratã & celerem. *Si quid vovisti DEO: ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* Eccli: 5. *Cùm voveris Domino DEO tuo; non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus DEUS tuus; & si moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.* Deuter 23. Si negligentia in reddendo non est sine peccato, quanto magis Violatio voti! Unde David religiosissimus in exolvendis votis graviter monet Psal. 75. *Vovete, & reddite Domino DEO vestro, omnes, qui in circuitu ejus affertis munera: Terribili, & ei, qui aufert spiritum principum, terribili apud reges terræ.* In quem locum S. Augustinus: *quid tibi dixerit Psalmus*, inquit, *attende. Non dixit: Nolite vovere: sed Vovete, & reddite. Quia audisti, Reddite, non vis vovere? Ergo vovere volebas, & non reddere? Imò utrumq; fac. Unum sit ex professione tua; aliud ex adjutorio DEI perficietur.* Fide DEO: qui dedit velle, dabit & perficere Qui sine rationabili gravi causa facile quærunt voti relaxationem; audiant S. Bernardum: *Absq; necessitate remissio voti, non Dispensatio, sed Prævaricatio est.*

Quàmvis verò omnes, qui se voto aliquo obligârunt DEO, oporteat esse fideles in reddendo: maximè tamen ea fidelitas concernit eos, qui per Vota Religiosa se DEO obstrinxerunt. Cùm enim homo per ea Vota non solùm res suas, aut certas quasdam actiones offerat DEO; sed seipsum totũ, velut in holocaustum suavissimum Domino: ideo sicut summi meriti est talis oblatio: ita grandis piaculi est, subtrahere se divino obsequio, & in libertatem abdicatam sese petulanter asserere. *Ego Dominus diligens judicium, & odio habens rapinam in holocausto*: dicit Dominus Isa. 61. Nam, ut observat S. Gregorius in Regist: ad Venant: *Si ille mortis periculo dignus fuit* (Ananias in Act: Apost:) *qui eos, quos dederat*, per voluntariam oblationẽ DEO factam, *nummos DEO abstulit: considera: quanto periculo in divino judicio dignus eris; qui non nummos, sed temetipsum DEO Omnipotenti, cui te devoveras, subtraxisti?*

Grandia confici possunt volumina tragicorum casuum, quibus intra unum sæculum, recenter elapsum, interierunt non solùm apostatæ à Religione; sed etiam qui non legitimis ex causis procurarunt, seu ultro meruerunt dimissionem,

sionem. Unicum do. Anno 1680. quidam (nomen prætereo) Tribunalis Regni Poloniæ Assessor, olim è Societate nostra dimissus, tanta repentini morbi vi correptus est circa mediam noctem; ut succedente die sit extinctus. Habuit eam gratiam à Dinina Bonitate in illo articulo, ut reatū suum agnosceret, ac deploraret. Vocato è Nostris Confessario, pluribusq; circumstantibus, triplicem magno animi sensu emisit vocem. 1. *O mors, si tui non oblivisceremur!* 2. *Horrendum DEI judicium, mi Pater, timeo.* 3. *Sanctam Matrem Societatem deserui! Heu! ad vomitum redij: & ecce justo DEI judicio per vomitum pereo.* Agnosco, & accepto pœnam. Septem annos vixit in Religione: & observatum est, septies iterato violentissimo vomitu extinctum esse. Ad omnes, præsertim Religiosos & Ecclesiasticos pertinet illud Prælato Ecclesiæ Smyrnensis dictum Apoc: 2. *Esto Fidelis usq; ad mortem: & dabo tibi coronam vitæ.*

FERIA VI. post Dom. XVII. post Pent:

MEDITATIO: *De Magnanimitate, DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera incomparabilem ejus Magnanimitatem; id est, ingentem animi vigorem & robur ad suscipienda & perficienda opera atq; negotia magna, & maximè ardua. *Magnus fortitudine atq; judicio.* Job. 37. quis, vel quid resistit ei? Hinc ad suscipiendum magnum opus Creationis mundi, Incarnationis, atq; Redemptionis nostræ absterrere ipsum non potuerunt innumera & gravissima Angelorum hominumq; prævisa peccata, & ingratitudo summa: quin potiùs magis eum incitârunt, ad demonstrandas ea ratione divitias Bonitatis suæ. Unde sacer Psaltes Psal. 118. *Tempus*, inquit, *faciendi Domine* (misericordiam scilicet in medio terræ, & reparationē mundi depravati) *dissipaverunt legem tuam.* Et Psal. 24. ut flectat DEUM ad largiendā veniam, tanquam rationem inprimis potentem proponit ei multitudinem peccatorum suorum. *Propter nomen tuum Domine propitiaberis peccato meo: multum est enim.* Perspectam quippe habuit Magnanimitatem Divinam, cujus est largiri magna, & ignoscere multa. Et meis igitur propitiaberis peccatis Opt: Max: DEUS, multa enim & magna sunt nimis.

2. ADora D. JESUM, & considera ipsius quoq; summam & inæstimabilem Magnanimitatem, qua ut DEUS suscepit Incarnationem, exinaniendo semetipsum propter hominem; ut homo objecit se infinitis ærumnis, opprobrijs, tormentis & morti ignominiosissimæ. Quanto animo adjit præsentia vitæ pericula? *Rabbi*, monebant discipuli Joan. 8.

nunc quærebant Judæi te lapidare, & iterum vadis illuc? In horto quanta resolutio in voluntatem Patris? *Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Post agoniam ubi sensit appropinquare Judam cum satellitibus; excitatis discipulis, *Surgite eamus: ecce appropinquavit, qui me tradet*; quàm intrepidus occurrit? & se ipsum manifestavit: *Ego sum.* Et iterum: *dixi vobis, quia ego sum.* O Virum ineffabilem, nec terrore victum, nec morte vincendum! Nos quàm infirmi, trepidi, & nullius animi sumus in causa DEI, & Religionis; in proximi tutela & occasione exercendæ virtutis? Suffice animos Magnanime JESU. Te duce, quid non audeamus?

3 VEnerare DEIparam V. & considera: eam animo supergressam fuisse non sui tantùm sexus heroinas, sed omnes quotquot præsens & vetus miratur orbis heroas. Quanto animo se resolvit ad tolerandum probrum & maledictum sterilitatis, ultro oblatâ DEO Virginitate? In omni vita *manum suam misit ad fortia*: sed super omnia illustrissimum Magnanimitatis ejus argumentum est: potuisse videre sic morientem Filium & sub cruce *Stetisse*. Corrobora pusillanimitatem meam, ô Domina, ut ad ardua virtutis fortior assurgam, nec cedam malis.

Propositum v. gr. *de imitanda Magnanimitate DEI, J. & M. præsertim in occasione N.*

LECTIO PRACTICA.

De Studio Veræ Magnanimitatis.

MAgnanimitas non est una de grege virtutum, sed planè eximia & præcellentissima virtus, Ornamentum & fastigium reliquarum virtutum, juxta S. Thomam 1. 2. q. 66. a. 4. ad 3. & 2. 2. q. 129. a. 4. & 5. Ipsa enim incitat, ut in qualibet virtute operemur magna, & præstantissimos ejus actus exerceamus: adeoq; non simus contenti tali quali Fide, Spe, Charitate, Humilitate, Patientia &c. sed enitamur ad Fidem magnam, Spem magnam, Charitatem magnam, & sic de cæteris. Attollit ergo virtutes cæteras, & evehit ad gradum summum, vel saltem excellentem: nihil enim vile aut tenue molitur. *Magnanimus intendit magna operari in qualibet virtute: in quantum scilicet tendit ad ea quæ sunt digna magno honore*, ait S. Thomas art: 4. cit: ad 1. Unde patet: Magnanimitatem sub hac ratione, in quantum se extendit ad omnes alias virtutes, esse Generalem quandam virtutem. Est tamen secundùm se Virtus specialis, quia in operando spectat semper Excellentiam, seu Perfectionem magnam; quod ex proprio suo motivo non faciunt aliæ virtutes.

Porro dum Magnanimitas dicitur *Extensio animi secundùm rectam rationē ad ma-*

ad magna: intelligendum est; ad Magna vel absolutè, vel secundùm proportionem. Magnanimitas enim non solùm intendit actus, qui sunt valde excellentes, in quantum versantur circa objecta valde magna seu eminentia: sed etiam non dedignatur versari circa objecta minora & mediocria, ita tamen: ut illis utatur modo optimo; seu versetur circa illa per actus valde præstantes. v. g. Si quis ex misericordia se demittat ad obsequia pauperum infirmorum, vel culinæ &c. Magnanimitas requirit, & incitat: ut hujusmodi obsequia exerceantur modo perfectissimo. Et sic verè Magnanimus præstabit ea, non propter humilem aliquem aut vanū finem, v. g. Vanam gloriam suam, vel commodum aliquod temporale; sed propter finem altissimū, scilicet amore DEI, & ad gloriam ejus majorem: deinde non absterrebitur varijs hominum sermonibus, aut alijs occurrentibus, ut solet, difficultatibus; sed quidquid repugnantiæ vel in ipso orietur ex aversione naturæ, vel ab extrinseco adveniet, rejiciet vel subiget: ut obsequium suum, quàmvis secundùm se humile seu vile, faciat præstantissimum, magna admiratione, laude, & præmio dignum.

Ex his colligitur. 1. Non esse eum verè Magnanimum, qui ita afficitur & intentus est rebus terrenis & honoribus temporalibus: ut se non extendat studio longè majore & primario, ad bona cælestia, & beatitudinem gloriamq; æternam obtinendam, ac inprimis ad promovendam omni conatu gloriam Divinam; cui quò magis intenti fuerimus, plus obtinebimus gloriæ cælestis Quis enim hominem sive plebejum sive nobilem, dicat Magnanimum, qui cùm possit industrio labore, impensis obsequijs, arte militari &c. eluctari ex humili conditione ad pingviorem & altiorem fortunam, puta gradum Senatorium aut Ducalem; mavult domi delitescere, & humili sorte sua contentus seu ignavus vivere? Quid autem sunt honores omnes & dignitates etiam regiæ hujus mundi respectu gloriæ cælestis & æternæ: quàm puerorum crepundia, aut theatrales mimorum principatus, aut summa, quæ inter pastorculos aliosq; agrestes, distribuuntur officia? Parvi ergo & vilis animi sunt, qui horum avidi negligunt cælestia. *Parvus est, qui terrena diligit: Magnus, qui æterna concupiscit*: ait S. Gregorius Moral. l b. 5. Nec magis magnanimi sunt, qui irrogatis offensis, & illatis injurijs fere exanimantur; qui ad condonandas injurias, ne dicam ad benefaciendum injuriantibus, animum nullatenus extendere possunt; qui possibilem inopiam & casus fortuitos metuentes, inducere animum nequeunt ad notabilem aliquem sumptum DEI & salutis suæ causâ faciendum; qui metu vel gravioris laboris, vel judiciorum humanorum, aliorumq; similium incommodorum nihil ma-

gni aggredi audent, aut à cœptis facile absterrentur &c.

Colligitur 2. Magnanimitatem non officere Humilitati, imò ad eam esse omnino necessariam. Cùm maximè arduum sit: pati aliorum se pedibus substerni, vel ultro se substernere: præcelsi sit animi oportet; qui reluctantem totis viribus congenitum fastum supplantat, & jacturam famæ super omnes opes & vitam ipsam, amatæ, nihili facit. *Verè magnus est, qui in se parvus est & pro nihilo omne culmen honoris ducit*: ait Kempen: lib. 1. de Imit. c. 3. Et lib. 3. c. 42. *Tantò quis altiùs ad DEUM ascendit, quantò profundiùs in se descendit, & plus sibi ipsi vilescit.* Mensura omnis veræ magnitudinis humanæ Christus est. Cùm ergo per humilitatem animus noster propius accedat ad Christum, per tumorem & fastum longius recedat ab ipso: tantò major sit oportet, quantò minor est per sinceram humilitatem.

Opportunè monet Chrysostomus hom: in Psal. 144. *Quoniam magnum habes Dominum, sis quoq; tu excelsus, & te explica à rebus, quæ ad hanc vitam pertinent. Sume spiritus qui superent præsentium rerum humilitatem: non ut sis elato animo & insolens; sed magno & excelso animo. Aliud enim est arrogantia & insolentia; & aliud Magnitudo animi. Est enim arrogans; qui propter res parvas se jactat, & gloriatur, ac conservos despicit. Alto verò animo est, qui mente est humilis & præsentis vitæ umbras nihil esse existimat.*

SABBATO post Dom. XVII. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Zelo DEI, JESU & MARIÆ erga Honorem Divinum.*

1. ADora DEUM O. M. & considera zelum ejus, seu ardentissimum studium gloriæ suæ amplificandæ & vindicandæ. Ultimus finis, propter quem condidit mundum, est (nec alter esse potuit) ut ipse & perfectiones ejus infinitæ innotescerent creaturis rationalibus, & pro merito suo glorificaretur ab ipsis. Si ergo justissima hac intentione sua fraudetur, & honor amorq; ipsi debitus transferatur ad creaturas: succenditur zelus ejus, arsurus *usq; ad inferni novissima.* Deut: 32. Hinc illæ interminationes gravissimæ: *Ego Dominus: hoc est nomen meum: gloriam meam alteri non dabo.* Isa. 42. Et Exod. 20. *Ego sum Dominus DEUS tuus, fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* Hujus zeli impulsu amat, & eximiè honorat homines, zelosos honoris sui vindices. Sic Phinees 1. Mach. 2. dicitur, zelando zelum DEI accepisse testamentum sacerdotij æterni: Elias zelatus pro Domino raptus est in paradisum. Nos quàm frigidi sumus in propagando & vindicando honore divino: quàm ignei in vindicando proprio?

2. Adora

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm zelosus fuerit paternæ gloriæ propugnator. Hujus studio è sinu Patris descendit in terram, tanquam in aciem, debellaturus suprema clade rebelles spiritus, æmulos honoris divini. Hoc zelo exul Infans concussit, & confregit idola Ægypti; prædicans Evangelium ementes & vendentes flagro ejecit è templo: *Zelus domus tuæ comedit me.* Psal. 68. in suscitatione Lazari ob incredulitatem Judæorum *infremuit spiritu, & turbavit se ipsum.* Joan. 11. Hic zelus morientis in cruce tabescere fecit animam, exussit viscera, & validam illam expressit vocem: *Sitio.* Hic est ignis, quem venit mittere in terram, voluitq; accendi in cordibus Apostolorum, & posteris ipsorum. Habesne scintillam ipsius? O quantus Vesuvius amoris & honoris proprij ardet in corde nostro? Quantos irritatus jacit lapides, quanta accensæ bilis fundit fulmina? Erubesco. Parce JESU Zelosissime; & tui honoris vindices ignes in nobis acccende.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam, non quidem pugnando, ut Debbora, vel Judith, nec prædicando ut Apostoli & Elias, zelatam fuisse pro DEO & gloria ipsius: sed ardentissima oratione, ferventissimis votis & desiderijs; insuper familiaribus colloquijs, prout sexus ejus patiebatur & modestia, incendendo audientium corda ad DEI amorem, & flectendo ad venerationem majorem. Insignis fuit actus Zeli ipsius, quando per montana Judææ festinavit ad visitandam cognatam Elisabeth: ut junctis studijs & viribus effunderentur in DEI laudem. Hoc igne & me incende, ô Zelosissima.

Propositum v. gr. *de agendo zelosiùs pro DEI, JESU & MARIÆ honore.*

LECTIO PRACTICA.

Qualis in nobis esse debet Zelus Honoris Divini.

QUi non ardet zelo Divini honoris, convincitur: DEUM non amare, vel valde frigidè amare. Zelus enim nihil aliud est, quam Ardor quidam seu fervor Amoris amicitiæ. *Amor autem amicitiæ* non amantis, sed *amici bonum quærit. Unde quando intensus est, facit hominem moveri contra omne illud, quod repugnat bono amici:* inquit S. Thomas 1. 2. q. 28. a. 4. Quia verò inter bona exteriora amici præcipuum est Honor ejusdem; ut docet idem 1. 2. q. 2. art: 2. ad 1. & 2. 2. q. 103. a. 1. ad 2. ideo ferventer amantes præcipuè zelant pro honore amati. Ferventem igitur DEI amorem necessariò comitetur, oportet, Zelus Honoris Divini: vel si hic deest, etiam illum esse nullum, vel valde exiguum, necesse est.

Porro tres potissimum sunt Actus Zeli Honoris divini; Tueri, Promove-

re, & vindicare divinum Honorem. Tuemur illum, conservando eum illæsum; ut si, quantum possumus, non permittamus, sed impediamus peccata tum propria tum aliena, præsertim publica: siquidem omne peccatum grave importat gravem contemptum DEI. Unde S. Thomas cit: art: 4. subdit: *Dicitur aliquis zelare pro DEO, quando ea quæ sunt contra honorem, & Voluntatem DEI, repellere secundùm posse conatur.* Promovemus honorem divinum, procurando dictis, vel scriptis, vel factis, ut homines summam Divinæ Excellentiæ, & Bonitatis, & Majestatis concipiant æstimationem, reverentiam & cultum. Vindicamus Honorem Divinum; quando reos ipsius læsi corripimus, corrigere studemus, & pro ratione authoritatis habitæ punimus, ad absterrendos alios.

Hæc autem omnia, ut rationem habeant veri Zeli Divini, & non cujusdam Cacozeliæ, debent 1. procedere ex motivo puri Divini Amoris, & non alicujus commodi nostri, aut gloriolæ alicujus captandæ gratiâ. 2. Debent fieri non oscitanter & remisse: sed cum insigni vigore animi, fortitudine & constantia: ut non absterreamur respectibus humanis, difficultatibus occurrentibus, & incommodis nostris. *Zelum DEI qui habent, omnes sibi inimicos putant, qui sunt hostes DEI, quàmvis patrem, fratres, sorores &c.* inquit S. Ambrosius in Psal: 11. Quodsi illos corrigere non possunt, & impedire divinas offensas: concepto animi ardore & mœrore tabescunt, quasi sacro quodam igne ipsas ossium medullas depascente: sicut dicit de se S. David Psal. cit: *Tabescere me fecit zelus meus: quia obliti sunt verba tua inimici mei. Vidi prævaricantes & tabescebam: quia eloquia tua non custodierunt.* Et Psal. 68. *Zelus domus tuæ comedit me: & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me.* Nimirum non bona tantùm nostra, sed nos ipsos depasci & consumi decet igne zeli Divini honoris. Quod potissimùm pertinet ad Prælatos & Pastores Ecclesiæ, omnesq; Superiores: quibus Honor divinus pro corde esse debet, ut ipso impunè læso, vivere non valeant. Ex defectu enim debiti zeli in Prælatis, aliisq; Præpositis, orta est, & oritur atq; liberè succrescit tanta seges malorum in Ecclesia & Religiosis Ordinibus. Exprobrat illis acerbè DEUS gravesq; pœnas intentat, Zachariæ c. 11. ob incuriam, pusillanimitatem, & ignaviam: *O pastor, & Idolum, derelinquens gregem! Brachium ejus ariditate siccabitur; & oculus dexter ejus tenebrescens obscurabitur.* Quia non attendit solicitus, quantæ offensæ committantur in DEUM, & quomodo cultus ejus intereat; & in deprehensos delinquentes, præsertim scandalosos, non extendit vindex brachium suum: sed instar idoli suo tantùm ornatu & cultu gaudet

3. Zelum

3. Zelum regere debet insignis Prudentia & Discretio: ne vel deficiat per incuriam & pusillanimitatem, vel erumpat in arrogantiam & furorem: ne vel permittatur impunitas, vel intempestivè aut rigore nimio stringatur virga correctionis; aut quod virgâ corrigi poterat, succidatur gladio. Observanda solicitè & tempus, & modus, & ordo agendi, uti & personarum qualitas cum quibus agendum. Arguit Judæos Apostolus Rom. 10. quòd *Æmulationem quidem DEI habuerint, sed non secundùm scientiam.* S. Bernardus serm: 49. in Cant: addit: *Importabilis absq; scientia zelus est. Ubi ergo vehemens æmulatio, ibi maximè discretio est necessaria quæ est Ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absq; scientia minùs efficax, minùsq; utilis invenitur: plerumq; autem & perniciosus valde sentitur,*

Sed hinc non pauci justo DEI zelo destituti, pusillanimitati & incuriæ suæ pallium conficere student. Advertere autem oportet: per reprobationem zeli scientiâ destituti, non excusari nos ab exercendo zelo; sed admoneri: ut requisitam scientiam, si eâ caremus, procuremus, studendo & peritiores alios consulendo, atq; circumstantias omnes rei gerendæ pro DEO, Ecclesia & animarum salute, solicitè ac diligenter considerando. Observandum deniq; ; & illud ad Prudentiam & Discretionem pertinere: ut non facile aliorum zelum, tanquam indiscretum, arguamus. Multa enim prudente & sancto zelo fiunt, quæ frigidis & tepidis non probantur: sicut Michol enthusiasmum sanctum Davidis, coram Arca Domini saltantis, non probavit. 2. Reg. 6.

DOMINICA XVIII. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Zelo DEI, JESU & MARIÆ erga Animas hominum.*

I. ADora DEUM O. M. & considera Zelum ejus ardentissimum erga Animas hominum. Est res admodum speciosa & pretiosa Anima hominis, præsertim si spectetur ut perfusa lumine gratiæ, & ornata monilibus charismatum divinorum. Amat illam DEUS ut Amicam, ut Sponsam, ut Filiam suam, cui amplissimam & opulentissimam ab æterno paravit hæreditatem, regnum cæleste. Illud mirandum magis: quòd etiam inimicas sibi, peccatis enormibus fœdatas, quæ ultro se prostituerunt amatoribus alijs, relicto & spreto DEO, amet; & tam tenerè, tam zelosè amet: ut charitatem ejus non vereatur Apostolus dicere Nimiam (*propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos.* Ephes. 2.) ut magis eas videatur amare, quàm naturalem, sibiq; æqualem Filium suum, quem amore illarum morti exposuit. Hinc tenerrimæ illæ per Prophetas solicitationes ad reditum & resipi-

sipiscentiam: *Fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te.* Jerem: 3. *Revertere: usquequo delicijs dissolvêris filia vaga?* c. 31. Quid tu ad hæc Anima mea?

2. ADora D. JESUM & considera: quàm studiosè quæsierit Animas hominum; tanquam margaritas pretiosissimas, tanquam thesaurū incomparabilem toto mundo pretiosiorem (quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?) pro quo non solùm dedit omnia sua, sed etiam se ipsum. Quàm fortiter vindicavit illas è captivitate diaboli, è faucibus mortis & perditionis æternæ? Quàm splendida induit veste nuptiali, sibiq; soli despondit fœdere æterno? Deniq; non pro Angelis, sed animabus hominum egit tam magna, passus est tam dura: non illos, sed istas descripsit in manibus suis, inclusit in corde suo. Nullum obsequium habet tam gratum, quàm si ad eum reducantur errantes animæ. Hic est Christi Zelus erga animas hominum. quis noster? Quàm viles & neglectæ nobis sunt non solùm alienæ, sed propriæ? O Amator animarum nostrarum zelosissime, accende in me zelum earundem perpetuum & indefessum.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; zelosissimè procurasse, & etiamnum indefesso studio procurare salutem animarū nostrarum. Pro ipsis non preces solùm ferventes & continuas obtulit & offert, sed ipsum Unigenitum suum: ut ipsius sangvine mundarentur, meritis ditarentur, morte viverent æternùm gloriosæ. Ipsius solicitam curam circa animas exprimit mulier illa Luc. 15. quæ ut perditam drachmam inveniret, accendit lucernam, domum everrit vel evertit, & post inventam convocavit viciniam totam ad congratulandum. O si & meam invenias, æternumq; serves animam, ô Gratiosissima!

Propositum v. gr. *de zelosiore animarum, ac inprimis propriæ, curâ.*

LECTIO PRACTICA.

De Zelo nostro erga Salutem Animarum.

CUi Honor Divinus cordi est, is non potest non ardere zelo Salutis Animarum. Cùm enim in hac vita non aliunde, quàm ab animabus peccatorum gravissimas patiatur offensas, & contemptum intolerabilem DEUS; & in altera *non mortui*, in peccato, *laudabunt te Domine, neq; omnes qui descendunt in infernum:* quin potius æternis blasphemijs proscindent: reliqvum est; ut qui zelatur honorem DEI, zeletur etiam probitatem & salutem Animarum, à quibus & in tempore, & per omnem æternitatem magnificandus est DEUS.

Incitat

Incitat nos ad hunc zelum exemplo suo DEUS ipse, JESUS & MARIA, ut in Meditatione consideratum. Excitat & facer Psaltes Psal. 33. *Magnificate* canit, *Dominum mecum: & exultemus nomen ejus in id ipsum.* In quem textum scribens Augustinus, *Quisquis est, Fratres,* inquit, *in corpore Christi; ad hoc debet dare operam: ut magnificetur cum illo Dominus. Magnificate,* ait, *Dominum mecum. Nolo solus magnificare DEUM, nolo solus amare, nolo solus amplecti.* Zelotypia humana tam invidæ est indolis, ut quod amat, nolit ab altero amari; quod amplectitur, nolit in amplexum alterius venire. Cùm enim omne bonum creatum valde sit limitatum & finitum; meritò timet, ne rivalis, seu æmulus, præripiat sibi voluptatem, quam ex amato sperat, & ardenter desiderat. DEUS autem cùm sit bonum undiq; infinitum, ideoq; infinitis sufficiat amatoribus: Zelosa Charitas, qua ipsum sincerè diligimus, non aversatur, sed quærit innumeros, quos in ejus amorem, laudem & honorem rapiat; clamatq; incessanter & verbis & operibus: *Magnificate Dominum mecum, & exaltemus nomen ejus in id ipsum.* Pergit proinde cit: Augustinus, & hortatur: *Excitate ergo in vobis amorem, Fratres, & clamate unicuiq; vestrorum, & dicite: Magnificate Dominum mecum. Sit in nobis iste fervor. Si amatis DEUM, rapite omnes ad amorem DEI, qui vobis junguntur, & omnes, qui sunt in domo vestra:* imò etiam qui sunt in terra longinqua, & finibus terræ. *Si amatur à vobis Corpus Christi, id est, Unitas Ecclesiæ: rapite eos ad fruendum, & dicite: Magnificate Dominum mecum.* Et exaltemus nomen ejus in id ipsum. *Quid est, Exaltemus nomen ejus in id ipsum? Hoc est, in unum. - Ergo rapite, quos potestis, hortando, portando, rogando, disputando, ratione reddendo, cum mansuetudine & lenitate. Rapite ad amorem; ut si magnificant DEUM, in unum magnificent.* Non sint in amatoribus & cultoribus DEI schismata seu scissiones: sed velut uno corde, uno ore, & animo æternùm ametur, laudetur, honoretur ab omnibus DEUS super omnia gloriosus in sæcula.

Primùm ergo Motivum concipiendi ardentem salutis Animarum zelum, est Honor ab ipsismet deferendus DEO per probam temporalem vitam, & per omnem gloriosam æternitatem. *Secundum* est Honor eximius, qui à nobis defertur DEO, dum totis viribus incumbimus in impedienda peccata & convertendos peccatores. Nam ut ait S. Augustinus, apud Mansi tr. 97. discur. 10. *Ille in charitate DEI perfectior est, qui ad ejus amorem plures convertit: gratissimumq; DEO Sacrificium est Zelus animarum. Et sicut Christus graviorem non potest pati persecutionem, quàm ut quis verbo aut exemplo animas suo sanguine liberatas ab ipso avertat: sic gratiorem honorationem impendere ei non valemus, quàm animas deviantes convertendo ad ipsum.*

Tertium Motivum est: quòd non habeamus aliam manifestiorem & pretiosiorem tesseram, qua testemur sincerum nostrum in DEUM amorem; quàm si propter ipsum nos totos impendamus procurandæ saluti & perfectioni proximorum. Nam teste S. Chrysostomo hom: 3. in 1. ad Cor. *Hæc perfecta Charitatis regula, hic certissimus terminus, hoc supremum omnium cacumen; quærere, quæ communem omnium comprehendant utilitatem; quod ipse Paulus significans, addidit:* Sicut & ego Christi. *Nihil enim nos potest adeò imitatores Christi facere, ut proximorum cura.*

Quartum est Assecuratio salutis nostræ propriæ: quanta scilicet, in incertitudine præsentis status haberi potest. Nam ut docet Chrysostomus Orat. 5. adv. Judæos: *Sæpe una anima, quam lucrati fuerimus, potest innumerabilium peccatorum pondus abolere, animæq; nostræ pretium in extremo die judicij fieri.* Sicut enim, si quis mortis reus, Filium aut Sponsam Regis ex incendio, quo jam jam involvendi erant, eripiat, sine dubio veniam, imò & gratiam amplissimam merebitur apud regem: ita non minus gratiæ sperare potest à DEO, qui animas, ipsi charissimas, ignibus eripere studet æternis. Nam ut ait S. Jacobus c. 5. *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus à morte* (Beda, Hugo, glossa & alij legunt, *Animam suam*) *& operiet multitudinem peccatorum*; tam ipsius quàm suorum, ait Tirinus. Clarius Apostolus 1. Tim. 4. *Attende tibi, & doctrinæ: insta in illis. Hoc enim faciens, & te ipsum salvum facies, & qui te audiunt.* Qui non potest docere per se: exerceat zelum suum, docentes juvando, & prece & pretio, quantum potest: & facile fieri poterit; ut ipsi æquè, aut magis, adscribatur fructus doctrinæ, quàm docenti.

FERIA II. post Dom. XVIII. post Pent:

MEDITATIO: *De odio, quo DEUS, JESUS & MARIA detestantur Superbiam.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum vitia omnia summè odisse, non solùm quia sunt offensa ipsius, utpote adversantia voluntati & mandatis divinis: sed etiam quia animas nostras, sibi charissimas, fœdè inquinant, & pessimè deformant. Inter cætera primatum tenet Superbia. *In ipsa enim initium sumpsit omnis perditio.* Tob. 4. *Initium omnis peccati est superbia.* Eccli: 10. Apostatare enim fecit Angelos à DEO, quorum deinde machinis inductus homo ad lapsum, & pessimè corruptus est. Unde addit ibid. Ecclesiasticus: *Odibilis coram DEO est, & hominibus superbia. Qui tenuerit illam, adimplebitur maledictu, & subvertet eum in finem. Propterea exhonoravit*

noravit Dominus conventus malorum, & destruxit eos usq; in finem. Sedes ducum superborum destruxit DEUS, & sedere fecit mites pro eis. Et universim atq; constanter, *DEUS superbis resistit; humilibus autem dat gratiam.* Jacob. 4. Quid ergo superbis terra & cinis? Nescis, quò te depresserint peccata tua? *Nescis: quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus?* Apoc. 3.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quoq; summo odio detestari superbiam, tanquam sibi maximè oppositam. Cùm enim ipse, non per rapinam, sed per naturam DEUS, exinaniverit semetipsum propter hominem, & humiliaverit usq; ad mortem crucis: quomodo ferat; hominem, limum terræ, vitiorum sentinam, inflari, ambulare super capita aliorum, & ponere in cælum os suum? Conclusit pridem & irrevocabiliter adversùs hujusmodi impudentiam: *Qui se exaltat, humiliabitur.* Matt. 2. Et: *Amen dico vobis: nisi conversi fueritis, & efficiamini, sicut parvuli: non intrabitis in regnum cælorum.* Ut arcta via, ita humilis est & angusta prima ad cælum porta: non capit inflatos & elatos. Parce humillime JESU fastui meo: & si me non humiliavero, deprime caput elatum. Bonum mihi erit: quia humiliasti me.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: tantum ejus fuisse & esse odium superbiæ, quantum fuit studium Humilitatis. Electa in DEI Matrem, & DEO plena, non intumuit: sed ancillæ sorte contenta, totis viribus magnificavit Dominum; quòd *deposuit potentes*, superbos Angelos, *de sede, & exaltavit humiles*, salvâ humilitate. Meminit quippe Virgo prudens salutaris illius moniti Eccli. 20. *Quantò magnus es, humilia te in omnibus: & coram DEO invenies gratiam.* Hanc ut & ego inveniam apud DEUM: inveniam inprìmis apud te, ô Humillima, & per te, implacabile odiũ omnis fastus, & constans non fucatæ Humilitatis studium.

Propositum v. gr. *de fugienda animi elatione, & gestuum externorum fastu.*

LECTIO PRACTICA.

De Vitio Superbiæ.

SUperbia est Appetitus inordinatus excellentiæ: quo quis magis se æstimat, & æstimari vult, quàm re ipsa mereatur. Unde Isidorus lib. Etymol: Superbus dictus est: quia super vult videri, quàm est.

Quatuor Superbiæ species recenset S. Gregorius lib. 23. Moral. 1. Cùm quis bonum, quod habet, à se ipso se habere existimat: contra illud Apostoli 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* 2. Cùm à DEO quidem sibi aliquod bonum datum creditur; sed pro suis meritis datum putatur: contra Apostolum Ephes. 2. *Gra-*

tiâ salvati estis per fidem: & hoc non ex vobis, sed DEI donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur. 3. Cùm quis jactat se habere, quod non habet. Ob quod carpitur quidam Episcopus Apoc. 3. *Dicis: quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis, quia tu es miser & miserabilis, & pauper & cæcus & nudus.* 4. Cùm quis despectis cæteris, singulariter videri appetit habere bonum, quod habet: ut Pharisæus fecit Luc. 18. dum dixit: *DEUS gratias tibi ago, quod non sum sicut cæteri hominum.*

Actus Superbiæ plurimi recensentur. *Interni* sunt 1. Præferre se alijs. 2. Officia alta vel speciosa ambire. 3. Judicare se ad omnia aptum. 4. Judicio suo fidere nimium. 5. Attribuere tibi ea, quæ non habes. 6. Nolle agnoscere, & fateri suos errores. 7. Ægrè ferre reprehensiones & postpositiones, vel æquari sibi alios. 8. Humanas laudes appetere, & vanè ijs delectari. 9. Suo judicio tenacius adhærere. 10. Accepta beneficia non agnoscere, vel non æstimare ut decet.,

Externi actus superbiæ sunt 1. Honorificè loqui de se & rebus suis ex animi vanitate. 2. In conversatione specialem sibi authoritatem arrogare. 3. Hypocriticè se vituperare, & facta sua extenuare. 4. Primum locum sibi inordinatè vendicare. 5. Opinionem suam mordicus tueri. 6. Defectus suos negare, & palliare. 7. De pœnitentijs datis conqueri & murmurare. 8. Officia humilia detrectare. 9. Superioribus durum & intractabilem se præbere. 10. In conversatione tumorem animi, & indebitâ authoritatê præferre &c.

S. Gregorius lib. 4. Moral. c. 20. superbos sic depingit: Cunctis superba apud se cogitatione tumentibus inest clamor in locutione, amaritudo in silentio, dissolutio in hilaritate, furor in tristitia, inhonestas in actione, honestas in imaginatione, erectio in incessu, rancor in responsione. Horum mens semper est ad irrogandas contumelias valida, ad tolerandas infirma, ad obediendum pigra, ad lacessendos verò alios importuna. S Chrysostomus hom. 20. in ep. ad Rom: addit: Exosi sunt superbi non solùm propter verba; sed & propter ipsam corporis figuram ridiculi. Quid enim dic quæso, cervicem in altum extendis? quid summis pedum articulis incedis? quid supercilia extollis? quid pectus inflas: Capillum capitis tui non potes vel album vel nigrum facere; & non aliter, quàm si Dominus esses omnium, elatus quasi in aëre incedis. Forsitan optares tibi & pennas innasci, ne super terram incederes? forsitan prodigium esse desideras? Imò verò nunc prodigium ac monstrum ex te ipso effecisti: qui cùm homo sis, volare conaris, imò & ab intus volas.

Filias superbiæ assignat has S. Bernardus de vita solit: Vanam gloriam, Fidu-

Fiduciam sui, Negligentiam DEI, Jactantiam, Inobedientiam, Contemptũ & Præsumptionem. *Effectus* ejus quosdam recenset S. Chrysostomus hom. 43. ad pop. Nullum malum, inquit, par elationi. Hominem reddit dæmonem, blasphemum, contumeliosum, perjurum, cupidum cædium, & homicidiorum. Elatus semper in doloribus vivit, semper indignatur, semper mœret: nihil est quod ejus possit explere libidinem. Sicut enim avari quantò plura acceperunt, tantò pluribus egent: sic superbi quanto majore funguntur honore, tantò plus concupiscunt.

Remedia contra superbiam efficaciora sunt 1. Considerare attentiùs ejus naturam, proprietates, actus, filias, & effectus secundùm proximè dicta 2. Perpendere necessitatem, præstantiam, & merita Humilitatis. 3. Proponere sibi ante oculos exempla Humilitatis Christi D. DEIparæ V. &c. 4. Identidem se reflectere supra peccata sua & originarium nihil &c. 5. Deniq; illud in recenti memoria semper habere: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.* Matt. 23. Nota: *Omnis.*

FERIA III. post Dom. XVIII. post Pent.

MEDITATIO: *De Odio, quo DEUS, JESUS & MARIA, detestantur vitium Gulæ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm abominabile ipsi sit vitium Gulæ, id est, immoderatus cibi vel potûs usus. Corrumpit enim sanitatem, mortem accelerat, ad exercitia pietatis, aliasq; res majoris momenti gerendas inhabilem reddit, & in brutorum sortem redigit hominem; ut non nisi terrena sapiat, & fere non aliam, quàm ventris curam habeat, in eorum recidens classem, *quorum DEUS venter est, quorum finis interitus, & gloria in confusione ipsorum.* Philip: 3. Effusionis Sodomitarum in libidinem infandam dat causam Ezechiel c. 16. præter superbiam, vitium gulæ, & quod inde nascitur, otium. *Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ: superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius.* Quid enim pronius, quàm ut plenus venter pariat noxas tum valetudinis, tum maximè conscientiæ! quemadmodum Exod. 32. populus Israel *sedit manducare & bibere, & surrexerunt ludere* circa deastrum vitulinum. Sed carò illis stetit hæc, & similis intemperantia, quâ nauseantes manna, carnibus se oppleverunt: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum & ira DEI ascendit super eos, & occidit pingues eorum.* Psal. 77. Erubesco: parce Domine intemperantiæ meæ.

2. ADora D. JESUM & considera summum ejus odium erga intemperantiam in cibo & potu. Nemo enim pleniùs novit: quantum

malorum ex intemperantia primorum parentum redundârit in universum genus humanum, & specialiter in ipsum; cui culpa illa fame, siti, alijsq; tormentis expianda fuit. Acuebat odium illud vehemens hominum propensio in hoc vitium: ratione cujus negligunt animam, & nullam habent futurorum malorum curam. Unde Luc. 21. graviter monuit: *Attendite vobis: ne fortè corda vestra graventur in crapula, & ebrietate, & curis hujus vitæ: & superveniat in vos repentina dies illa*; qua scilicet ad reddendam actæ vitæ rationem vocabimini. Et Matt. 6. tam exiguam vult nos habere curam ventris: ut nec in crastinum soliciti simus, solicitudine immoderata, quid comedamus; animæ verò præcipuam nobis vult esse curam: *Nonne Anima plus est quàm esca?* Plus utiq; Domine: sed de illa reficienda verbo & Corpore tuo, quàm modica nobis est cura? Totos gula possidet.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam tam accurata lance quotidianum victûs demensum expendisse: ut non tantùm non declinaret vel puncto in intemperantiam; sed vix sufficeret sustentandæ vitæ ad DEI gloriam & obsequium. Non pauci nolunt quidem servire ventri ut mancipia; attamen gulam suam demulcere non negligunt, dum comedunt bibuntq;, quia sapit: quod faciunt etiam bruta. Altiùs, ô Domina, doce me ordinare commoda corporis: ut scilicet spiritus promptior sit ad obsequia DEI & tua.

Propositum v. gr. *de moderatione in cibo & potu: atq; ordinatione eorum ad DEI gloriam.*

LECTIO PRACTICA.

De Vitio Gulæ.

GUlæ vitium est inordinatus appetitus alimenti: quo aliter appetitur cibus aut potus, quàm naturæ sustentatio requirit.

Actus ejus *Interni* sunt. 1. Nimis ardenter alimentum appetere: ut Esau lentis edulium. 2. Sæpe cogitare de cibo aut potu, præsertim dum cubitum itur, aut manè surgitur. 3. Solicitum esse de acquirendis cibis delicatioribus. 4. Appetere convivia aliasq; tractationes. 5. Stomachari de cibo vel potu malè paratis. *Externi* actus sunt. 1. Sumere plus cibi aut potus quàm sit necesse. 2. Sumere extra tempus ordinarium sine notabili necessitate. 3. Nimis avidè comedere aut bibere. 4. Inquirere curiosè, quando id ratio officij non exigit, de qualitate ciborum apponendorum, visitare culinam, condimenta specialia requirere, aut meliora vel specialia curare sibi apponi. 5. Per scutellas aliorum ferri oculis, & meliora ipsis præripere. 6. Frequenter de esculentis aut poculentis loqui. 7. Murmurare, vel turbulentè expo-

expostulare de defectibus in victu, contra cocum, aliosq; ministros. 8. Ita intentum esse pascendo ventri, ut negligatur animæ refectio per cogitationem & Lectionem spiritualem.

Contra hoc vitium, tanquam officinam plurimorum, acriter pugnant Divinæ Literæ, SS. Patres & omnes non solùm spiritûs, sed etiam civilis honestatis Magistri. Abjiciamus opera tenebrarum, & induamur arma lucis: inclamat Apostolus Rom. 13. *Sicut in die honestè ambulemus, non in commessationibus & ebrietatibus &c. sed induimini Dominum nostrum JESUM Christum; & carnis curam ne fecêritis in desiderijs.* Et Christus ipse Luc. 6. *Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis!* Et Prov. 21. *Qui diligit epulas in egestate erit: qui amat vinum & pingvia, non ditabitur.* Et Eccli: 37. *Noli avidus esse in omni epulatione: & non te effundas super omnem escam: in multis enim escis erit infirmitas. – Propter crapulam multi obierunt ante tempus: qui autem abstinens est, adjiciet vitam.*

Quàm proba mater sit Gula; indicant ejus filiæ. Quinq; numerantur à S. Thoma 2. 2. q. 148. a. 6. I. *Inepta lætitia:* ut patet in Israelitis, qui postquam abunde comederunt & biberunt, surrexerunt ludere, saltando circa vitulum aureum. II. *Hebetudo mentis:* per fumositates enim & crassos à coctione alimenti copiosioris vapores perturbatur caput, & offunduntur sensus interni: consequenter mens apta non est ad functiones suas. Unde Eccl. 2. dicitur: *Cogitavi in corde meo abstrahere à vino carnem meam: ut animum meum transferrem ad sapientiam.* III. *Multiloquium.* Prurit enim lingva copiâ spirituum. Unde S. Gregorius in Pastor. par. 3. c. 2. Nisi gulæ deditos immoderata loquacitas raperet; dives ille, qui epulatus quotidie splendide dicitur, in lingva gravius non arderet. IV. *Scurrilitas* Dum enim lingva solvitur in multiloquium, & mente semisopitâ, non regitur ratione; facile in olida & scurrilia verba effunditur. V. *Immunditia.* Nam, ut ait, S. Hieronymus: *Semper saturitati juncta est lascivia. Vicina sunt venter & genitalia, pro membrorum ordine ordo vitiorum.* Et S. Nilus de 8. vitiosis affect: *Qui ventrem implens pudicitiæ cultum profitetur; huic similis est: qui se ignis impetum stuppâ compressurum, aut flammam oleo extincturum pollicetur.* Fidenter & verè dixit Cassiodorus: *Gulosum impossibile est esse castum.*

Remedia contra Vitium Gulæ sunt. 1. Inquirere diligenter mensuram necessarij potûs & cibi pro particulari tua persona: ad quam assequendam attendendum erit ad complexionem & valetudinem corporis tui, ad labores ordinarios & exercitia pietatis, ad regulas proprij Instituti, & judicium superioris vel Confessarij aut medici. 2. Paulatim sed constanter subtrahenda sunt

da sunt superflua, donec ad debitam pervenias mensuram. 3. Excessus etiā leves in cibo potuq; non prætereant sine pœnitentia proportionata. 4. Ad plenam satietatem nunquam comedendum, sive delicati sive viles sint cibi. 5. Sanctorum strictissima, aut perpetua jejunia, Damnatorum verò horribilia fercula ante oculos ponenda. 6. In ciborum copia recolendus Christus in eremo, & sæpe tempore prædicationis esuriens, in cruce verò ardentissima siti tabescens. 7. Si in mortificatione gustus sentiatur difficultas, elevanda mens ad perennes epulas cælestes. *Nequaquam enim*, inquit Cassianus lib. 5. Instit: c. 14. *poterimus escarum præsentium spernere voluptates, nisi mens contemplationi Divinæ defixa, amore virtutum potiùs & pulchritudine cælestium delectetur.*

FERIA IV. post Dom. XVIII. post Pent:

MEDITATIO: *De odio, quo DEUS JESUS & MARIA detestantur vitium Luxuriæ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: vitium luxuriæ ipsum summè detestari, non solùm quia Spiritus purissimus est; sed etiam quia Animæ hominis, quæ spiritus & ipsa est, maximè adversatur. Est enim grande inconveniens: spiritualem substantiam, ore divino inspiratam Gen. 2. adoptatam à DEO in filiam, appetere oblectamenta carnalia, rationi rectæ dissona; id est siliquas porcorum, & si quid his deterius est. Quod tam indecens DEO visum est: ut jam ante diluvium decreverit non extendere vitam hominum ad tot sæcula, quot tunc vivebant homines: sed præcidere eam maturiùs; ne tanto tempore vitam animalem vivat anima: *Non permanebit spiritus meus*, à me inspiratus, *in homine in æternum* (id est, tam longo tempore, prout phrasis Hebræa sonat) *quia caro est.* Gen. 6. Eandem abominationem suam satis testatus est diluvio universali, subversione Sodomæ & finitimarum civitatum, & innumeris alijs funestissimis exemplis. Et adhuc placebit in oculis præsentis DEI fœdæ voluptati operam dare?

2. ADora D. JESUM, & considera: eum, ut tenerè amat & beatos prædicat mundos corde, ita vehementer odisse immundos. Pridem occlusit illis portas cælestis Hierusalem; *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.* Apoc. 21. Et mox c. 22. *Foris canes, & venefici, & impudici.* Per Apostolum alium decretum mortis æternæ promulgavit illis: *Si secundùm carnē vixeritis, moriemini; Si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis:* Rom. 8. Nec mortis pœnâ contentus, commensurari accuratè vult tormenta æterna luxui & voluptatibus quæsitis. *Quantum glorificavit se, & in delicijs*

fuit; tantum date illi tormentum & luctum. Apoc. 18. Adhucne ergo molles & delicatuli sperabunt; se partem habituros cum Christo? Audiant iterum Apostolum: *Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.* Galat. 5.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsi maximè invisos esse luxui & immunditijs deditos. Mater est *pulchræ* dilectionis, Vexillifera, Primiceria & Dux est Virginum: *Adducentur Regi virgines post eam.* Psal. 44. Virgo illibata, Mater intemerata, quam decuit ea nitere puritate, ut eâ major post DEUM inveniri non possit: quomodo ferat carnis mancipia, porcinas animas? Nec vernaculorum loco, ne dicam clientũ aut filiorùm eas habebit unquam, nisi volutabrum suum deseruerint, Ampliùs, ampliùs lava me, ô Purissima: ut tibi casto corpore serviam, & mundo corde placeam.

Propositum v. gr. *de studio mortificationis, & constanter fugiendis voluptatibus carnis.*

LECTIO PRACTICA.

De Vitio Luxuriæ.

LUxuriæ vitium est Inordinatus appetitus delectationis Venereæ. Species ejus in Biblioth. Lohneri recensentur, 7. *Fornicatio,* seu concubitus soluti cum soluta ex mutuo consensu. *Stuprum* seu defloratio Virginis, ipsâ invitâ facta. *Raptus,* seu mulieris vi abductæ violenta violatio. *Adulterium,* seu Conjugis cum persona aliena concubitus. *Incestus,* seu congressus cum consangvinea vel affine usq; ad quartum gradum. *Sacrilegium,* seu rei sacræ (sive locus sit, sive persona) violatio per actum venereum. *Libido contra naturam,* seu congressus ex se non conducens ad generationem. Subdividitur in 4 species: nempe *Mollitiem,* seu Peccatum Pollutionis, qua abiq; congressu cum alia persona procuratur seminis effusio: *Sodomiam,* seu congressum duarum ejusdem sexûs personarum: *Bestialitatem,* seu Concubitum cum alio subjecto, quàm homine: & *Congressum innaturalem*; cùm scilicet debitus quidem sexus servatur, sed modus inordinatus sine legitima causâ adhibetur.

Actus *Interni* Luxuriæ sunt Cogitationes inhonestæ seu impuræ, Delectatio morosa in hujusmodi cogitationibus, Affectus libidinosus, seu concupiscentia non refrenata, Consensus voluntatis in opus impurum. *Externi* actus sunt Aspectus libidinosus, Sermo impurus, Oscula impudica, Tactus & amplexus impudici, Consummatio operis libidinosi, Consvetudo in tali vitio, & Necessitas quædam ex frequentatione actuum impudicorum contra-

cta. In hujusmodi actibus non dari parvitatē materiæ; sed quemlibet quantumvis brevem, modò plenè deliberatus sit, esse peccatum mortale: communis est sententia Theologorum.

Enormitas hujus vitij patet *Primò*, ex natura & proprietatibus ejus. Nam 1. licet omnia vitia fœda sint, Luxuriæ tamen specialiter tribuitur Impuritas & Turpitudo. Unde Prov. 16. dicitur de adultero: *Turpitudinem & ignominiam congregat sibi: & opprobrium ipsius non delebitur.* 2. Non solùm est labes & turpissima macula animæ, sed etiam corporis. *Qui fornicatur* (idem de molli &c.) *in corpus suum peccat.* 1. Cor. 6. Et: *Tollens membra Christi facit membra meretricis* 3. Labem libidinis *semper præcedunt ardor & petulantia*, inquit Hugo, *Semper comitatur fœtor & immunditia, semper sequitur dolor & pœnitentia.* 4. *Nunquam satiatur, & extincta reaccenditur:* inquit S. Hieron: in epistolis. 5. Difficillimè vincitur, & curatur. *Inter omnia certamina Christianorum sola dura sunt* (id est durissima super cætera) *prælia castitatis: ubi quotidiana est pugna, & rara victoria*: ait August: lib. de honestate mulierum.

Secundo malitia & fœditas Luxuriæ patet ex Effectibus ejus. 1. Ipsa sola causavit in DEO pœnitudinem quandam super creatione hominum. *De nullo peccato legitur*, inquit Hieron: *dixisse DEUM, quòd pœnituit, se, fecisse hominem; nisi de peccato carnis, pro quo totum mundum diluvio delevit.* 2. Præterquam quod inquinet, atq; occidat animam, vitam abbreviat, & patrimonia opulentissima absumit. *Ne des fornicarijs animam tuam in ullo*, monet Eccle. c. 9. *ne perdat te, & hæreditatem tuam.* 3. Causat impœnitentiam & perseverantiam in malo usq; ad finem. *Non dabunt*, luxuriosi *cogitationes suas, ut revertantur ad DEUM suum*: Oseæ 5. *quia spiritus fornicationis in medio eorum.* 4. *Sævus criminum stimulus libido est*, ait Ambros. lib. 2. c. 5. de Cain & Abel, *quæ nunquam quietum patitur manere affectum: nocte fervet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, à ratione revocat, aufert consilium, amentes inquietat, lapsos inclinat, nullus peccandi modus, & inexplebilis scelerum sitis, nisi morte amantis extingvi non potest.* 5. *Qui est in peccato luxuriæ, jam quodammodo est in supplicio gehennæ*: inquit S Bonav. apud Lohn. v, Luxuria §. 3. Quia & ignem patitur inextingvibilem; & nulla est ex eo malo redemptio, habituati in ipso: nisi per prodigiosam gratiam DEI.

Remedia sunt, 1. Fuga, & quidem pernicissima, statim ac quid immundum menti illabitur. Mora hìc omnis fatalis est. *Contra libidinis impetum apprehende fugam, si vis obtinere victoriam*: ait Aug: 2. Imploratio fervens divini auxilij: cùm juxta oraculum Sap. 8. nemo possit esse continens, nisi

dede-

dederit DEUS. 3. Castigatio corporis per jejunia, vigilias, flagellationes &c. 4. Novissimorum, maximè Inferni, memoria. 5. Sensuum, præsertim oculorum, accurata custodia. 6. Passionis Christi, præsertim Flagellationis, recordatio. 7. Reverentia DEI præsentis. 8. Manifestatio tentationũ coram Superiore, vel Confessario. Quod remedium solet esse præsentissimum ob candorem & humilitatem manifestantis se.

FERIA V. post Dom. XVIII. post Pent:

MEDITATIO: *De odio, quo DEUS, JESUS & MARIA detestantur vitium Avaritiæ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quantopere detestetur vitium Avaritiæ. Nam, ut Eccli. 10. dicitur: *Avaro nihil est scelestius.* Apostolus 1. Tim. 6. *Radix*, ait *omnium malorum est cupiditas.* Ad Ephes. autem c. 5. Avaritiam appellat *Idolorum servitutem:* quia cupiditati divitiarũ tanquam DEO cuidam servitur, neglecto debito cultu veri DEI. Necesse igitur est, DEO valde exosum esse hoc vitium: quod graviter punivit in Achan, Giezi, Anania & Saphyra, & innumeris alijs. O Domine quid extra te velim? Verissimè dixit Augustinus tuus: *Nimis avarus est, cui DEUS non sufficit.*

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm alieno fuerit animo ab omni avaritia: siquidem ad eam expiandam, & ex hominum cordibus eradicandam, amplexus est ipse summam paupertatem, pauperes elegit Apostolos, beatos prædicavit pauperes spiritu. Divitibus autem *Væ* dixit Luc. 6. *quia habetis consolationem vestram:* & difficulter ingressuros esse in regnum cæleste, pronunciavit Mar. 10. Quod cum stuperent discipuli, repetijt sententiam suam: *JESUS rursus respondens, ait illis: Filioli, quàm difficile est confidentes in pecunijs in regnum DEI introire! Faciliùs est camelum per foramen acus transire; quàm divitem intrare in regnum DEI.* Divitias appellavit *mammonam iniquitatis* Luc. 6. & *Spinas* suffocantes bonã sementem. Luc. 8. Quid ergo inhiamus malis nostris? Quid amittere, vel abjicere veremur: quod, tam difficilem nobis facit aditum ad cælum? Quin potiùs curamus, amicos nobis facere de mammona iniquitatis, pauperes & ipsum D. JESUM; qui nos recipiant in æterna tabernacula? Sed cavendum quoq; : ne, dum multa reliquimus propter DEUM, in paucis & minoribus, tenacior hæreat affectus.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: omnem ejus vitam fuisse unam abominationem avaritiæ. Se, regia stirpe satam, regijs non

affluere opibus, non solùm æquo, sed lubenti animo tulit; hæreditatem à parentibus acceptam, pauperibus communem fecit, sponsum sibi legit pauperem, liberalia Orientalium Regum dona in pauperes erogavit, victum tenuē labore manuum domui suæ parabat, vel piorum liberalitate accipiebat: à morte Filij etiam tecto utebatur alieno; *Ex illa hora accepit eam discipulus in sua.* Joan. 19. O beatam paupertatem, JESU & MARIÆ amore consecratam? O infelices divitias, JESU & MARIÆ æterno odio infamatas!

Propositum v. gr. *de moderanda, vel penitus deponenda, temporalium cura.*

LECTIO PRACTICA.

De Vitio Avaritiæ.

AVaritiæ vitium est inordinatus Appetitus divitiarum. Dividitur in duas species: quarum prior inhiat alienis bonis immoderatè accumulandis; posterior proprijs bonis ultra rationis præscriptum retinendis. Avarus non solùm est qui rapit aliena; sed etiam qui cupidè servat sua: inquit Aug. apud Lohn. in Bibl.

Actus *Interni* sunt 1. Nimiam de divitijs æstimationem concipere, *Avari frui volunt nummo, uti autem DEO*: inquit Aug. lib. 11. de Civit. c. 25. *Quoniam nummum non propter DEUM intendunt; sed DEUM propter nummum colunt.* 2. Assiduum desiderium divitiarum in pectore fovere: de quibus desiderijs dixit Apostolus 1. Tim. 6. quòd *mergant homines in interitum.* 3. Superfluas curas & solicitudines de congregandis divitijs suscipere: quas curas comparat Christus Matt. 13. spinis suffocantibus sementem bonam. 4. Varias artes modosq; illicitos excogitare ad divitias acquirendas. *Externi* actus sunt, 1. indefesso studio, neglecto etiam cultu divino, divitijs corradendis sese impendere. 2. Divitias corradere ut serventur, non ut erogentur. 3. Sibi ipsi congruam sustentationem negare. 4. Erga pauperes immisericordem esse. 5. Operarios mercede sua fraudare. 6. Fraudibus, mendacijs, usuris, alijsq; illicitis modis rem suam augere. Innocentius III. de vilit: condit: hum: *Avarus* inquit, *largus in alieno, sed parcus in proprio; gulam evacuat, ut arcam adimpleat; corpus extenuat, ut lucrum extendat; manum habet ad dandū collectam, sed ad recipiendum porrectam.*

Malitia & turpitudo hujus vitij patet *Primò* ex ejus Natura & Proprietatibus. *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam: hic enim animam suam venalem habet.* Eccl. 10. *Avarus vir inferno similis est:* inquit August: in ep. ad comit: *Infernus enim quantoscunq; devoraverit, nunquam dicit, satis est. Sic etsi omnes thesauri confluxerint in avarum.* Pulchrè Hieronymus: *Cùm cætera vitia senescente homine senescant; sola avaritia juvenescit.* Et iterum. *Avaro iam*

ro tam deest, quod habet, quàm quod non habet. *Quia aut non habita Concupiscit, ut habeat: aut habita metuit, ne amittat. Et dum in adversis sperat prospera, in prosperis timet adversa; huc illucve quasi quibusdam fluctibus volvitur.* S. Cyprianus de ord. dom. *Cæca est,* inquit *avaritia; sed diversis fraudum oculata ingenijs. Non videt, quæ divinitatis sunt; sed cogitat, quæ cupiditatis sunt.* Avarum rectè depingit S. Asterius lib. de avar. *Avarus* inquit, *propinquis est odiosus, famulis gravis, amicis inutilis, exteris difficilis & vix affabilis, vicinis molestus, uxori malus contubernalis, liberorum parcus atq; sordidus educator, sui ipsius malignus curator, noctu interdiuq; solicitus & cogitabundus.*

Secundò patet ex ejus Effectibus. I. Excludit cælo. *Avari regnum DEI non possidebunt.* 1. Cor. 6. II. *Offendit DEUM avarus, offendit se ipsum. Nam DEO detinet debita, proximo denegat necessaria, sibi subtrahit opportuna: DEO ingratus, proximo impius, sibi crudelis*: inquit Innocentius de vilit: condit: hum. III. Facit hominem, fidelem aliàs idololatram. *Ridiculum videtur,* ait S. Hieronymus ep. ad Rustic: *quòd aliquis judicetur idololatra, quia duo grana thuris offert creaturæ, quæ debuit offerre DEO: & ille non judicetur idololatra, qui totum servitium vitæ suæ offert creaturæ*: scilicet pecuniæ seu divitijs. Apostolus Ephes. 5. v. 5. avaritiam disertè vocat Idolorum servitutem. IV. Innumeris & maximis curis & tentationibus hominem implicat. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva; quæ mergunt homines in interitum & perditionem.* 1. Tim. 6.

Remedia contra Avaritiam sunt 1. Considerare diligenter prædictas Proprietates & Effectus avaritiæ. 2. Vanitatem rerum mundanarum: & quòd morientes nihil hinc efferemus, præter bona malave opera nostra Divino tribunali præsentanda. 3. Largũ se præbere in pauperes, Ecclesias, Religiosas domos: faciendo nobis ex mammona iniquitatis amicos, à quibus recipiamur in æterna tabernacula. 4. Statuere sibi ante oculos divitem Evangelicum in inferno sepultum, vel alium in tumulo jacentem, vix linea sindone tectum: vel Christum amore nostri nudum in cruce pendentem. 5. Recole infelices exitus variorum divitum, quos ipsi novimus. 6. Applicet sibi mammonista illud Luc. 12. *Stulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem parasti; cujus erunt?* Et illud Jacobi 5. *Agite nunc divites: plorate ululantes in miserijs vestris, quæ advenient vobis &c! Thesaurisastis vobis iram in novissimis diebus!* Non dicit: Plorate ululantes *Avari*; sed *Divites*. Nemo enim sibi videtur avarus. Sed videndum: ubi sit cor, & curæ præcipuæ?

MEDITATIO: *De odio, quo DEUS & MARIA detestantur vitium Iræ.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quantopere detestatur vitium Iræ. Hic enim affectus præterquam quod hominem faciat ferum, & quasi insanum, aut à dœmone obsessum, valde adversatur Bonitati, clementiæ, imò summæ authoritati & potestati DEI, protestantis per Moysen Deuter 32. *Mea est ultio; & ego retribuã in tempore.* Unde monet Spiritus S. Eccli: 27. *Ira & furor, utraq; execrabilia sunt.* Et cap. 28. *Qui vindicari vult; à Domino inveniet vindictam.* Privata enim vindicta facit nobis ipsis inexorabilẽ DEUM, prout mox subjungitur. *Homo homini reservat iram: & à DEO quærit medelam? In hominem similem sibi non habet misericordiam: & de peccatis suis deprecatur? Ipse cùm caro sit, reservat iram: & propitiationem petit à DEO? Quis exorabit pro delictis illius?* Fixa est sententia divina Jacob. 2. *Judicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam.* O Domine non intres in judicium cum servo tuo. Non ulciscar. Ignosco.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm graviter prohibuerit inordinatum affectum Iræ. Matt. 5. *Audistis, quia dictum est antiquis* (Deuter: 5.) *Non occides; qui autem occiderit, reus erit judicio. Ego autem dico vobis: quia omnis, qui irascitur fratri suo* (immoderatè & inordinatè) *reus erit judicio. Qui autem* erumpendo in externa quædam iræ signa, *dixerit fratri suo Raca: reus erit concilio;* ut scilicet in tribunali divino deliberetur de graviore pœna. *Qui autem dixerit, fatue,* vel simile contumeliosum verbũ: *reus erit gehennæ ignis.* Quid horribilius? Ne autem æstu iræ in hoc barathrũ abripiamur: proposuit nobis imitanda mansvetudinis & humilitatis suæ exempla: *Discite à me: quia mitis sum, & humilis corde.* Humiles enim non facile judicant, sibi injuriam esse factam; vel se illâ omninò dignos censent. Mites non facile exardescunt, & facile placantur. Sed ad tam sublimes virtutes non pervenitur, præsertim à biliosis, nisi per crebram æstuantis bilis suppressionem, suiq; ipsius victorias: ratione quarum dicitur Prov. 16. *Patiens melior viro forti; & qui dominatur animo suo, expugnatore urbium.*

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quidem genuisse Leonem de tribu Juda; remotissimam tamen fuisse ab omni inordinata passione iræ. Quàm varias & graves habuit irascendi causas, præsertim Bethlehemitis in partu, Herodi persecutori, Judæ proditori, Judæis Deicidis &c. non tamen ullum verbum, vel aliud irati animi signum, illi excidit unquam. Planè Columba fuit sine felle, Apum regina sine aculeo. At nobis quàm

quàm levis occasio movet bilem, eripit rationem, lites indicit, arma ministrat?

Propositum v. gr. *de affectu iræ domando. & litibus, si quæ sunt, componendis.*

LECTIO PRACTICA.

De Vitio Iræ.

IRæ vitium est inordinatus appetitus vindictæ. Differt Ira ab Indignatione & Iracundia: quòd *Indignatio* sit stimulus quidam ad vindictam, subitus & brevis, & velut vapor quidam accensæ bilis. *Iracundia* dicit Habitum seu consvetudinem irascendi: Ira verò ipsum actualem ferventemq; appetitum vindictæ. Præcedit ergo Indignatio levis, vel Excandescentia; sequitur Ira, & Furor, (qui est vehementior, & rationem omnem confundens passio) & sic invalescit Iracundia, si choleram non mortificamus. Cæterùm non omnis Ira est vitium, sed tantùm quæ est immoderata & inordinata. Aliàs moderatè effervescens bilis est cos ingenij, est vigor operationis, stimulus ad aggrediendas atq; superandas difficultates, & terror relinquentium. Unde monet mansvetissimus regum: *Irascimini, & nolite peccare.* Psal. 4.

Actus *Interni* Iræ vitiosæ sunt, 1. Facile turbari ob minimas offensiunculas. 2. Fovere motus iræ, memoriam injuriarum, & amaritudinem animi. 3. Examinare attentè circumstantias offensionis. 4. Alienare animum pertinaciter à persona, quæ putatur offendisse. 5. Cogitare de vindicta sub prætextu Justitiæ, zeli, & boni communis. 6. Desiderare proximo pœnas, ignominiam, confusionem &c.

Externi actus sunt, 1. Silentio intus conceptam indignationem & spiritum vindictæ non intùs fovere. 2. Irrogantibus non respondere, aut morosè & cum displicentia. 3. Prorumpere in verba clamosa, & contumeliosa, in expostulationes acerbas & detractiones; in minas & juramenta seu protestationes de non condonanda sed vindicanda injuria. 4. Sub externis signis lenitatis & reconciliationis disponere securius modum ulciscendi. 5. Avertere oculos, aut torvè intueri offendentem. 6. Nolle aures præbere deprecanti, vel per alios reconciliationem procuranti. 7. Sequestrare se, & adversarij vitare conspectum, vel colloquium. 8. Non esse contentum, sed gravius expostulare de non sufficiente satisfactione. 9. Prælatos & Judices importunè molestare, aut levi de causa, nec acquiescere eorum judicio licet æquo. 10. Superos inferosq; ad vindictam solicitare; nec moveri studio reparandi damnum illatum, sed ardore nocendi, &c.

Malitia hujus vitij patet *Primò* ex Natura, prædictis actibus, & proprietatibus ejus. Rectè Seneca Iram vocavit *Brevem Insaniam.* Et Cato dicebat:

Iratum

Iratum ab insano non nisi tempore distare. Proverb: 12 Iratus appellatur Fatuus. *Fatuus statim indicat iram suam.* S. Chrysostomus hom. 29 ad pop. *Nihil iracundo homine insvavius, nihil gravius, nihil infestius, turpius nihil. Feræ potiùs, quàm iracundo homini cohabitandum est. Nam illa cùm semel mansvefacta fuerit, suam servat legem: hunc autem quoties mitigaveris, rursum efferatur.* Et S. Basilius hom. de Ira. *Quando semel iræ perturbatio mentem præcipitans, imperium animæ sumpserit; hominem penitus in feram convertit; nec hominem, qui rationis sit compos, esse sinit.* Et Orat: 9. *Quod bestijs est venenum, hoc hominibus exacerbatis est ira. Insaniunt tanquam canes, impetum faciunt ut scorpiones, mordent velut serpentes.*

Secundò patet ex Effectibus ejus. I. *Zelus & Iracundia minuunt dies.* Eccl. 30. Et Job. 5. *Verè stultum interficit iracundia.* II. *Omnis qui irascitur fratri suo, reus erit judicio. Qui autem dixerit fratri suo, Raca: reus erit concilio. Qui autem dixerit Fatue: reus erit gehennæ ignis.* Matt: 5. III. Pessimos iræ fœtus recenset S. Basilius hom. de Ira. Et dolus, & suspicio, & infidelitas, & malignitas, & insidiæ, & audacia, & omnia his similia, hujus vitij germina sunt, atq; appendices. Itaq; Fratres amantissimi, ne obsecro, tantum nobis malum inducamus; animæ morbum, rationis tenebras, à DEO alienationem, oblivionem familiaritatis, principium bellorum, plenitudinem calamitatum, dœmonem pessimum nostris animis innatum, incolam quendam impudentem nostra interiora possidentem. *Ita Basilius.* IV. *Quantum esse putas tormentum homini iracundo, quotidie, qualiter inimicum ulciscatur, consideranti?* inquit Chrysost. hom. 31 ad pop.

Remedia sunt. I. *Differ tempus furoris; & cùm tranquilla mens fuerit, quod placet, vindica:* svadet S. August. ep. 51. II. *Facilius est, iræ pulsanti non aperire, quàm admittere non facile recessuram.* Initio igitur statim omni conatu opprimenda. III. Dum fervet ira, convertere se ad speculum, & videre; quam informe monstrū agas. Vel certè alius aliquis, ira furens, attentè considerandus. IV. Statuere sibi frequenter ante oculos Patientissimum JESUM, jam osculo proditum, jam flagellis laceratum, jam morti turpissimæ addictum &c. V. Ubi deferbuerit ira: accusare se ipsum coram DEO, & reconciliari quantocyus. *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Ephes. 4.

SABBATO post Dom. XVIII. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De odio, quo DEUS, JESUS & MARIA detestantur vitium Invidiæ.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quàm abominabilis ipsi sit Invidia; id est tristitia de bono proximi. Adversatur enim infinitæ ipsius

ſius Benignitati, Charitati, & Liberalitati: & quodammodo arguit DEUM de mala donorum ſuorum diſtributione. Eſt primogenita diaboli ex matre ſuperbia. Invidi enim nolunt habere ſe meliores, aut æquales: ideoq; triſtantur, ſi tales videant; & lætantur in depreſſione ipſorum. Unde videns Lucifer protoparentes noſtros mirificè à DEO exornatos & exaltatos, ſubvertere illos feſtinavit, & doloſè circumventos, peccatores fecit & morti obnoxios. *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur autem illum, qui ſunt ex parte ipſius.* Sap. 2. Sed experti ſunt ſemper hujuſmodi imitatores gravem vindicem DEUM. Vide quo oculo aſpicias felicitatem alienam: & ſi quid livoris deprehenderis, erue. Quia tinea cordis, & *putredo oſſium eſt invidia.* Prov. 14. & tabeſcere faciet DEUS ſicut araneam animam tuam.

2. ADora D. JESUM & conſidera: ipſum, quantopere deteſtetur invidiam ſatis prodidiſſe, tum per crebram graviſſimamq; commendationem mutuæ charitatis, quæ, teſte Apoſtolo 1. Cor. 13. *non æmulatur, non quærit quæ ſua ſunt, non irritatur; ſed omnia ſuffert, omnia ſuſtinet:* tum acri reprehenſione lividi illius operarij in vinea Matt. 20. *Aut non licet mihi facere, quod volo? an oculus tuus nequā eſt, quia ego bonus?* Invidia quæ te mordet, quòd alios tibi pares fecerim in mercede denarij diurni, non illis tantùm, ſed mihi quoq; injurioſa eſt. *Tolle, quod tuum eſt, & vade.* Vade: non ampliùs habiturus partem cum operarijs meis. Mordet nimirum ſubinde etiam Evangelicos operarios invidia: quemadmodum olim dente ejus appetitus fuit Joſve, miniſter Moyſis; quòd audiret, plures in caſtris prophetare: & diſcipuli Joannis, quòd ad JESUM baptizantem fieret concurſus; ſed occurrendum illi, ut Moyſes Num: 11. *Quis tribuat, ut omnis populus prophetet?* Et Joannes Joan. 3. *Amicus ſponſi gaudet propter vocem ſponſi. Hoc ergo gaudium meum impletum eſt* (tantùm obeſt, ut invidia tangamur) *Illum oportet creſcere me autem minui.* Creſcat, qui creſcit: nos propterea minores non erimus, niſi fortè in pœnam invidiæ.

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera: ipſam immuniſſimam ſemper fuiſſe, ut ab aculeo ſerpentis antiqui, ita à dente invidiæ. Charitas enim per Spiritum S. diffuſa in corde ipſius uberiùs quàm alibi, non minus bene volebat alijs quàm ſibi; & ſpiritu Filij unicè optabat, ut habenti daretur ampliùs, & abundaret. O mihi tā vaſtā charitatē, Virgo Gratioſiſſima.

Propoſitum v. gr. *de fugienda invidia, præſertim circa bona proximi.* N.

LECTIO PRACTICA,

De Vitio Invidiæ.

INvidiæ vitium est Tristitia seu Dolor de bono alieno: in quantum hoc apprehenditur ut diminutivum propriæ gloriæ & excellentiæ; ut declarat S. Thom: 2. 2. q. 36. art. 1. 2. Dicitur autem juxta S. Bernardinum Invidia à non videndo; quia non potest videre aliorum bona. Cæterùm non omnis invidia est vitiosa, sed datur etiam quædā, ut ajunt, Invidia Sancta; sed quæ non est propriè invidia: ut cùm quis videns alium præclaris excellere virtutibus, tristatur & dolet, quòd easdem non habeat. Non dolet vel tristatur de bono alterius, quin potiùs, gratum est ei, & gaudet; quòd alter in virtutibus tantùm profecerit: sed dolet de defectu proprio. Quam invidiam videtur Apostolus commendasse Corinthijs 1. Cor. 12. dicens: *Æmulamini charismata meliora.*

Actus *Interni* Invidiæ vitiosæ sunt. 1. Tristari & indignari ob bonum alterius. 2. Lætari de malis ejus. 3. Parvi æstimare dotes proximi. 4. Desiderare, ut res non bene succedant proximo: ut studia, profectus, negotia &c. 5. Aversionē animi habere ab illis, quibus res melius succedunt, quàm nobis. 6. Nolle juvare alterum; ut res ei bene succedant. 7. Bona aliorū silentio involvere: dum occasio adest, ut prodantur. *Externi* actus sunt. 1. Bona aliorum impedire. 2. Loquentes de bono successu aliorum impedire. 3. Detrahere proximi laudibus, vel eas extenuare, aut risui propinare. 4. Vitia occulta proximi detegere, vel quædam ei affingere. 5. Impedire promotionem ejus, aut demotionem curare.

Malitia Invidiæ patet *Primò*, tum ex traditis in Meditatione; tum ex natura & Proprietatibus ipsius. *Invidia est interitus vitæ, pestis naturæ, adversa omnibus bonis ex DEO venientibus, demum ipsi DEO contraria:* inquit S. Basilius hom. 11. De invido dicit S. Cyprianus Serm: de zelo & livore: *Vultus illi minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labijs tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata convitia, manus ad cedis violentiam prompta.* Et S. Laurentius Justin: de discipl. mon: c. 13. *Insanabilis,* ait, *est prorsus invidorum livor. Non enim placantur blanditijs, non mulcentur obsequijs, non rationibus acquiescunt; quin potiùs, quemadmodum ignis accenditur additione lignorum, ita & horum passio augetur multiplicatione virtutū.* Salvianus lib. 5. de Provid. *Prosperitas aliena,* inquit, *invido supplicium est: & parum est, si ipse sit felix, nisi alter fuerit infelix.* S. Chrysostomus hom: 44. ad pop. *Invidi pejores sunt feris, dæmonibus autem pares, & fere deteriores. Nam feræ esi ā indigentes, vel à nobis irritatæ adversùs nos armantur: invidi verò etiam beneficijs allecti bene meritos maleficijs prosecuti sunt. Dæmones quoq; licet contra nos bellum exerceant impacatum; consortibus tamen sui generis non insidiantur: invidi verò neq; naturæ communionem

munionem reveriti sunt, neq; sibi pepercerunt. Ita Chrysost.

Secundò patet ex Effectibus. Grave quid invidia & simulatione plenum, inquit citatus Chrysost: Hoc mundum innumeris replevit malis. Ex hoc morbo litibus plena sunt tribunalia, ex hoc pecuniarum amor, ambitio & inanis gloria. Hinc urbes obsidentur, & mare piratas habet. Hinc per orbem cædes, hinc genus nostrum dissipatum est. Quodcunq; malum videris, ex hac radice producitur. Invidiâ enim diaboli non mors solùm, introivit in orbem terrarum, sed etiam Peccatum, fons omnium malorum. S Augustinus Serm: 18. ad Frat: ait: invidia est illa pessima tinea, quæ purpuramenta virtutum demolitur: ærugo, quæ thesaurum sapientiæ deprædatur; bruchus, qui terrarum virentia comburit. Quia quidquid boni operis virescit in homine, penè pestis invidiæ perdit. Ita Aug:

Remedia sunt 1. Considerare attentè tum hìc, tum in Meditatione dicta: & quod hoc vitium planè diabolicum sit, & non humanum; & quod sit purum malum. Nam, ut declarat S. Thomas Villanova Serm: in fer. 6. pass. *alia vitia* humana *aliquod bonum prætendunt, licèt inordinatè. Nam ambitiosus quærit honores, avarus divitias, lubricus voluptates, gulosus sapores, acediosus quietem: & hæc omnia bona sunt; si non nimis, & præter divinæ legis & rationis ordinem quærerentur. Sed Invidia pura malitia est; nihil habens commodi, sed tormenta plena, nihil voluptatis.* Non enim ipsius est gaudere de aliquo bono suo, sed tristari & dolere de bono proximi. Quodsi gaudeat: nonnisi de malo alterius gaudet. 2. Pro certo tenendum: nobis non prodesse illud bonum, quod proximo invidemus: & sapientissimâ DEI Providentiâ nobis negari. 3. Cogitandum: quòd quô pluribus aliquis abundat bonis; tantò graviorem de illis rationem DEO sit redditurus. Proinde contenti simus his, quæ accepimus: & alienorum nulla nos mordeat cura & invidia.

DOMINICA XIX. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De odio, quo DEUS JESUS & MARIA detestantur vitium Acediæ.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quàm exosum ei sit vitium Acediæ; id est inordinata tristitia, tædium, & nausea eorum, quæ ad DEI cultum agenda sunt: Quæ est insignis pravitas. Cùm enim præcipuus, ad quem conditi sumus, finis, sit amor & honor, seu cultus, DEI: atq; ad eum præstandum conservemur ab ipso, & plurimis pretiosissimisq; donis & auxilijs supernaturalibus instructi simus; insuper maximis præmijs invitemur, innumeris beneficijs alliciamur: intolarabile est, hominem adhuc difficulta-

tem facere, nimium laborem prætendere, tergiversari, nauseare, & parum vel nihil præstare. Meritò stringit in eum maledictionem Propheta: *Maledictus homo, qui facit opus DEI fraudulenter.* Jerem. 48 Septuaginta legunt, *Negligenter.* Assurge igitur anima mea, excute torporem: DEUS est, quem colimus: Optimus, Maximus, simulq; justissimus. Deprecare, & deplora acediam tuam.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quoq; vehementer detestari vitium Acediæ, utpote injuriosum DEO, quem debito cultu fraudat; oppositum exemplis suis, quæ nobis præbuit ad promptè, integrè & accuratè colendum DEUM; summè noxium homini, quem multis privat meritis & præmijs æternis. Unde Matt. 15. servum non contumacem, non ebriosum non furtis aut impudicitijs infamem; sed ignavum, qui ex talento accepto nullum lucrum Domino suo attulerat, adeòq; rem Domini procurabat negligenter, gravissime mulctavit: *Inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus & stridor dentium.* Indignitatē hujus socordiæ notârunt ipsi Ethnici: è quibus nonnemo (Aristides hymno in Jovem) ait: *Ignavia in rebus divinis est nefaria.* Quantis stimulis, flagris & fustibus incitamus jumenta nostra, ut velocius progrediantur, & opus suum agant ad mentem & commodum Domini: ipsi autem, quàm lenti sumus & desides, nec solùm non progredimur alacriter, sed regredimur recalcitrantes contra stimulum! Pudor! Probrum!

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam non solùm summè detestatam fuisse omnem umbram acediæ; sed promptissimam & accuratissimam fuisse ad omnem occasionem divini cultus: ut meritò illud cælestis Sponsi Cant: 1. ei accomodetur: *Equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te, Amica mea;* propter velocitatem & fortitudinem ad perrumpenda omnia impedimenta occurrentia in cultu divino. At nos, cui jumento assimilari meremur? Excita, incita, impelle ignavum, ô Domina.

Propositum v. gr. *de majore promptitudine ad divina, & accuratione in exercitijs pietatis.*

LECTIO PRACTICA.

De Vitio Acediæ.

ACedia juxta S. Thomam 2. 2. q. 35. a. 1. Damasc: & alios SS. PP. est Remissi animi langvor ad bene operandum; seu Tristitia quædam & tædium circa actiones spirituales. Quodsi grave sit, & circa actiones graviter præceptas, lethale est: Ut siquis ex tædio & torpore animi omittat recitationem Horarum Canonicarum, vel diebus festis non intersit sacrificio

Missæ.

Missæ. Taliter acedioso inclamat Apostolus Ephes. 5. *Surge, qui dormis: & exurge à mortuis, & illuminabit te Christus.* Aliàs communiter dicit Venialem tantùm culpam; & frequens est etiam probis, juxta illud Psal. 18. *Dormitavit anima mea præ tædio.*

Filiæ Acediæ recensentur septem à S. Isidoro lib. 3. de summo Bono. c. 37. Otiositas, Somnolentia, Importunitas mentis, Inquietudo corporis, Istabilitas, Verbositas, Curiositas. Actus igitur *Interni* sunt. 1. Langvor animi, tædium, tristitia & torpor in exercitijs pietatis inchoandis vel prosequendis. 2. Distractionum animi negligens rejectio in Meditatione & alijs orationibus. 3, Instinctuum divinorum neglectus. 4. Propositorùm piorum omissa executio. 5. Tepida seu non vivida mentis applicatio ad spiritualia. Actus *Externi* sunt 1. Somnolentia. 2. Curiosa circumspectio. 3. Querela de temporis prolixitate inter orandum, conciones audiendum &c. 4. Examen conscientiæ aliásq; animi Recollectiones negligere, aut perfunctoriè tantùm absolvere. .5 Fugere conversationem cum ferventibus in divino cultu & virtutum studio, 6. Media proficiendi in spiritu negligenter adhibere, vel negligere. &c.

Malitia Acediæ patet Primò ex ejus Natura & Proprietatibus. Est enim 1. ex genere suo peccatum lethale, & unum ex 7. Capitalibus. Est enim gravis & graviter culpabilis inordinatio, tristari & tædio gravi laborare circa actiones divini cultus, & alia salutem æternam concernentia. 2. Morbus hic quam periculosus est, tam difficulter curabilis, præsertim in probis & religiosis. Sufficere enim sibi complures putant, si vitent peccata gravia: ideoq; de studio virtutum, & bonis operibus bene peragendis soliciti non sunt. 3. Acediosi, seu Tepidi, præsertim Religiosi, in statu valde misero vivunt. Quia & multis noxis inquinantur, & opera sua bona corrumpunt, & privant se tum extraordinarijs consolationibus divinis, tum solatio, quod ordinariè percipitur ex rebus bene gestis. *Religiosus fervidus omnia bene portat, & capit, quæ illi jubentur: Religiosus negligens & tepidus habet tribulationem super tribulationem, & ex omni parte patitur angustiam: quia interiore consolatione caret, & exteriorem capere prohibetur:* inquit Kempensis de Imit: lib. 1. c. 25. Turpe est hoc vitium, & ingenuos valde dedecens. Est enim animi ignavi, & ventris pigri, ac velut semper jejuni & exhausti. Nam *Omnis piger in egestate est: desideria occidunt pigrum.* Prov. 21.

Secundò patet ex Effectibus ejus. Quosdam recenset S. Bernardus serm. 65 in Cant. Hoc frigus, inquit (*Acedia enim & tepor opponitur fervori spiritùs*) si semel invaserit animam; mox (ut in corpore solet evenire febricitantibus)

tantibus) ſubit quidam animi rigor, & vigor lenteſcit, langvor fingitur virium, horror auſteritatis intenditur, timor ſolicitat paupertatis, contrahitur animus, ſubtrahitur gratia, protrahitur longitudo vitæ, ſopitur ratio, ſpiritus extingvitur, deferveſcit Novitius fervor, ingraveſcit tepor faſtidioſus, refrigeſcit fraterna charitas, blanditur voluptas, fallit ſecuritas, revocat conſvetudo. Quid plura? Diſſimulatur lex, abdicatur jus, fas proſcribitur, derelinquitur timor Domini. Dantur poſtremò impudentiæ manus, præſumitur ille temerarius, ille pudendus, ille turpiſſimus, plenus ille ignominia & confuſione, ſaltus de excelſo in abyſſum, de pavimento in ſterquilinium, de ſolio in cloacam, de cælo in cœnum, de clauſtro in ſæculum, de Paradiſo in infernum. Ita Bernard. Langvor igitur, tepor, & torpor acedioſus veluti naturaliter inducit culpam lethalem & extremum interitum; ut miraculum ſit, ſi quis diu ſubſiſtat in gratia.

Remedia ſunt: 1. Ante actionem colligendus pauliſper eſt animus, & videndum in cujus conſpectu, & cui operaberis? 2. Recurrendum ad orationem (exemplo Chriſti D. qui poſitus in agonia prolixius orabat) & mens ſæpius elevanda ad DEUM. 3. Conſiderandi Angeli Sancti, qui omnes vel in motu ſunt, vel ſtant coram throno divino ad audiendam vocem ſermonum ejus, imò nutum accipiendum. 4. Erubeſcamus coram Domino ob ignaviā noſtram, & identidem nos profundè humiliemus. 5. Recolendum ſæpius & attentiùs: ad quid venerimus? quid cœperimus? quæ plagæ maneant ignavos; quæ præmia diligentes & ſtrenuos in obſequio divino? Memori mente verſandum illud Eccli: 33. *In omnibus operibus tuis præcellens eſto: & ne des maculam in gloria tua.*

FERIA II. poſt Dom. XIX. poſt Pent:

MEDITATIO: *De Providentia univerſali DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & conſidera mirabilem ejus circa omnes & ſingulas creaturas ſuas Providentiam; ſeu inventionem & diſpoſitionem mediorum, quibus conſerventur, & ad fines ſuos proprios, atq; ad univerſalem omnium, ultimumq; qui eſt DEI gloria, efficaciter promoveantur. Eſt ea Providentia 1. Sapientiſſima: quia ex omnibus poſſibilibus medijs, quæ innumera ſunt ſeligit ea, quæ & efficaciam habitura prævidet, & plurimùm conducunt ad bonum totius Univerſi, & ſingularum ejus partium. 2. Eſt Optima, ſeu ſuaviſſima: quia ordinariè non dirigit creaturas ad fines ſuos per media violenta, ſed naturis & propenſionibus earum naturalibus accomodata: & maturè ſufficienterq; ſuppeditat ea, quibus ad conſervandum

tuen-

tuendumq; suum esse opus habent. 3. Est infallibilis: quia per nullas creatarum & creabilium causarum vires & consilia impediri potest, quin effectus & eventus, quos absolutè intendit, obtineat. Unde patet Divinam Providentiam potissimum fundari in Sapientia, Bonitate & Omnipotentia divina: & hos esse tres illos digitos, quibus appendit molem terræ Isa: 40. & orbē sustinet universum. At nostræ providentiæ quàm incertæ, & sæpe temerariæ sunt! *Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ providentiæ.* Sap. 9. Sinam ergo te, DEUS O. M. disponere de creaturis tuis: & me ipsum dispositioni tuæ plene subjiciam: quia *non est alius DEUS, quam tu: cui cura est de omnibus* Sap. 12.

2. ADora D. JESUM, & considera: etiam ipsi, ut Homini, competere Providentiam universalem quo ad omnes creaturas. Quando enim Matt: 28. dicit: Datam sibi esse omnem potestatem in cælo & in terra; non solùm intelligenda est potestas Judiciaria, & Imperativa, & Gubernativa hominum: sed etiam Provisiva, ut ita dicam, quo ad omnes creaturas. Hoc ipso enim, quòd ei commissa sit universalis Providentia circa homines, debet etiam posse disponere de Angelis, & omnibus inferioribus creaturis, ut præstò sint ad fovendum & promovendū hominem ad finem suum. Quod insinuatur Joan. 13. ubi de Christo dicitur: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* O factum bene: quòd Domino meo JESU sint omnia data in manus! Quid non boni speremus ex manibus istis: ex quibus fluxit pretiū infinitum redemptionis nostræ, in quibus multiplicari solebat panis, & panis converti in carnem & sangvinem ipsius ad refectionem, & delicias nostras. Ad has manus in omni necessitate convertam oculos meos: & non fraudabor.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsi quoq; commissam esse Providentiam quandam universalem per orbem universum. Cùm enim sit Regina & simul Mater viventium omnium: non potest implere magna hæc nomina, nisi ei sit cura de omnibus. Pulchrè Bernardinus de Bustis serm. 2. de Assumpt: eam vocat *Oculum orbis.* Accomodatur ipsi quoq;, quod de Sapientia divina dicitur Eccli. 1. *Ipse creavit illam in Spiritu S. & effudit illam super omnia opera sua,* fovenda, protegenda, & ad fines suos perducenda. Tibi ergo derelictus sum & ego ô Mater providentissima. Prospice & guberna.

Propositum v. gr *de adoranda in omnibus Providentia divina cum submissione judicij proprij.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm

Quàm securè nos committere possimus Providentiæ Divinæ.

OMnimodam securitatem nobis pollicentur *Primò* Infinita Bonitas, Sapientia & Omnipotentia DEI, Domini & Patris nostri, Optimi, Maximi. *Omnem solicitudinem vestram projicientes in eum; quia ipsi est cura de vobis:* monet Apostolorum princeps 1. Petr 5. Notanda verba: *Omnē* inquit *solicitudinem*; sive de naturalibus sive de supernaturalibus, sive de corpore sive de anima; sive de vobis ipsis, sive de liberis, familia, subditis &c.&c. *Projicientes:* non cum anxia circumspectione reponentes in eo, aut ipsi solicitè commendantes, vel disertè proponentes: sed securè, fidenter, & confidenter *projicientes* in eum, absq; omni metu & mora. Ipsi enim *est* cura: non solùm fuit, aut erit: sed *est*; & quidem ab æterno est, & nunc est, & in æternum est. Non intercipitur hæc cura alijs negotijs, non langvescit temporum spatijs, non extingvitur ingratorum demeritis. Est cura *de vobis:* secundùm naturam & gratiam incomparabiliter melioribus, & agrorum lilijs, & corvorum pullis, & innumeris passerum, omniūq; generis animantium, gregibus. De vobis & in utero conceptis, & in lucem effusis, & adolescentibus, & maturis, & decrepitis, & defunctis. De vobis, & probis filijs, & servis nequam. De vobis, non solùm secundùm animam & æternam ejus salutem; sed etiā secundùm corpus & singula corporis membra, imò capillos ipsos, omnes & singulos; quos accuratissimè numeratos habet, nec unicum fortuitò deperdi patitur.

Pulchrè Gregorius lib. 1. Mor. c. 19. *Sic DEUS intendit singulis acsi vacet à cunctis: & sic omnibus simul intendit acsi vacet à singulis.* Et hoc facit animo & affectu planè paterno in commoda nostra intentissimo: ut meritò concludat Augustinus Soliloq. c. 15. *Constanter DEO crede: eiq; te totum committe, quantum potes. Ipse enim te ad se sublevare non desinet, nihilq; tibi evenire permittet, nisi quod tibi prosit, etiamsi nescias.*

Secundò pollicentur omnimodam securitatem JESUS & MARIA, de nobis & rebus nostris solicitissimi: prout in Meditatione indicatum, & infinita docent exempla; quæ in nobis ipsis non deesse comperiemus, si animum diligentiùs adverterimus. Frater ille noster est, Josepho indulgentior; Mater ista, Rebeccâ solicitior. Agunt causam nostram etiam non cogitantibus nobis.

Tertiò Divinarum Literarum Instrumenta, & Sanctorum consensus unanimis etiam Ethnicorum Sapientum monita securos nos reddunt de Providentia Divina. Epictetus in Enchrid. c. 13. *Religionis* inquit, *erga Deos immortales præcipuum illud esse scito; rectas de eis habere opiniones: ut sentias, & esse*

esse eos, & bene justèq; administrare universa; parendum esse eis, & omnibus ijs, quæ fiunt, acquiescendum; & sequenda ultro; ut quæ à Mente præstantissima reguntur. Sic enim nec incusabis eos unquam, nec ab eis negligi te, conquêreris. Et iterum: *Ne postules; ea, quæ fiunt, arbitratu tuo fieri. Sed, si sapis, ita fieri quæcunq; velis, prout fiunt.*

Seneca ep. 98. Lucilium suum divinæ Providentiæ consideratione contra inopinatos rerum humanarum casus, sic præmunivit. Senties & confiteberis: nihil ex his optabilius, & magis utile esse; nisi te contra levitatem casûs, rerumq; sequentium casum instruxeris: nisi illud frequenter, & sine querela, inter singula damna dixeris: *Dijs aliter visum est. Dij melius.* Sic composito nihil accidet.

Quartò Experientia perpetua, ducta ab initio mundi usq; ad hanc horam. Qualia enim & quanta, quamve mirabilia, altissimæ & continuæ Providentiæ suæ edit DEUS exempla! Qui insipientibus casus fortuiti videntur: ab æterno disposita sapientissimæ Providentiæ sunt argumenta. Non fuit casus improvisus, quòd Adam sit sepultus in monte Calvariæ; quod Joseph venditus in Ægyptum, aut in eodem cum regis pincerna reclusus fuerit carcere; quòd Saul perdiderit asinas, Davidis gregem invaserint leo & ursus &c. Providentia Numinis S. Felicem telâ araneæ texit, & salvavit; S. Eustachio cum uxore liberos eripuit, & mirabiliter restituit; in antrum S. Ægidij cervam impulit, expositis infantibus lupas præbuit nutrices &c. &c. ut meritò miretur David 103. *Quàm magnificata sunt opera tua Domine! Omnia in sapientia fecisti. Omnia à te expectant, ut des illis escā in tempore. Dante te illis, colligent: aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate. Avertente autem te faciem, turbabuntur; auferes spiritum eorum & deficient, & in pulverem suum revertentur.*

Optimè proinde nobis, rebusq; nostris, consulemus; si quando res adversæ, aut necessariorum defectus, aut negotia intricata animum solicitabunt, opportunissimum illud Maximiliani II. Imp. symbolum adhibuerimus: *Dominus providebit.*

FERIA III. post Dom. XIX. post Pent:

MEDITATIO: *De Providentia naturali DEI, J. & M. erga homines.*

I. ADora DEUM O. M. & considera paternam ejus Providentiam erga homines, in suppeditando illis necessaria ad vitam commodè ducendam. Unde enim habemus omnes & singuli, quo sustentemur, quo vestiamur, ubi quiescamus: nisi à paterna manu ipsius? *Aperis tu manum tuam,*

& imples omne animal benedictione. Psal. 144. Multis inculcat nobis hanc Patris cælestis Providentiam Christus D. Matt. 6. & Luc. 12. commendatq; ut super illum jactemus curam nostram, quia ipse nos enutriet. Quodsi quandoq; parciùs, aut serò quædam suppeditat: scit quia id nobis utilius est, & alio majore bono compensabit. Confidamus ergo, *omnem solicitudinem projicientes in DEUM, quia ipsi est cura de vobis.* 1. Pet. 5. Nonne id frequenti propriâ experientiâ didicisti?

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm aptum ex singulari sua circa nos providentia, suppeditaverit nobis medium, quo sine multa solicitudine possimus comparare copiam rerum vitæ sustentandæ necessariarum. *Quærite ergo primùm regnum DEI, & justitiam ejus; & hæc omnia adjicientur vobis.* Matt. 6. Promissio est Veritatis æternæ, remedium facile, commodum maximum: quod etiam sacer Psaltes prædixit Psal. 33. *Divites eguerunt, & esurierunt: inquirentes autem Dominũ, non deficient omni bono.* Quodsi quandoq; defectum aliquem pati contingat exercendæ virtutis gratiâ, & ad meritum augendum: *non deficient omni bono*; habebunt necessaria corpori, in animo autem abundabunt, repleti gratiâ, & solatio Divino. *Non deficient omni bono:* quia deficientibus cæteris, habebunt JESUM, qui est omne bonum, & se familiariùs communicat in defectu temporalium.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam illi curæ esse temporalia nostra, quibus egemus. Est enim Mater, & scit, quia his indigemus. *Numquid potest oblivisci mulier infantem suum?* Isa. 49. Est Domina gratiosissima numerosissimæ familiæ; ideoq; *facta quasi navis institoris, de longe portans panem suum:* nec expectato clamore famelicæ turbæ, *surrexit de nocte, deditq; prædam domesticis suis, & cibaria ancillis suis.* Prov. 31. Sicut igitur oculi ancillæ in manibus Dominæ suæ: ita oculi nostri erunt ad Te ô Providentissima, donec miserearis nostri.

Propositum v. gr. *de deponenda inordinata cura temporalium, & fiducia concipienda in DEUM Provisorem.*

LECTIO PRACTICA.

Non tam de necessarijs acquirendis, quàm gratijs DEO referendis soliciti esse debemus.

VArijs, ijsq; efficacib9 argumentis ab inordinata & immoderata de rebus tẽporalibus cura liberat nos Christus Matt. 6. & Luc. 12. *Inprimis* ostendit nobis Volucres cæli in tanta copia, & specialiter Corvorum pullos à parentibus suis derelictos, tum etiam Lilia agri in tanta venustate; nec ista, nec aves solicitudine ulla tanguntur de victu & vestitu: sed utrisq; quo ad utrũq; abunde

abunde providet Deus. Quantò magis providebit vobis? *Nonne vos magis pluris estis illis?* Vos incomparabiliter nobiliores creaturæ; vos quos in filios assumpsit; vos, quos ad regni cælestis hæreditatem vocavit? Advertit Chrysostomus, quòd Christus Dominus potuerit Sanctorum *hominum proferre exempla, ut Moysen, Eliam, Joannem; qui de victu non fuêre soliciti: sed ut magis audientium conscientias verberaret, de irrationabilium illos securitate commonuit.*

Secundò argumentum ducit à minus verisimili ad magis verisimile. *Nonne anima plus est quàm esca? Et corpus plus, quàm vestimentum?* Quasi diceret: DEUS, qui vobis animam & corpus dedit, & quidem tam eleganter formata ac locupletata: quomodo non dabit minora, & quidem ea, quæ ad vitæ sustentationem sunt necessaria? *Quis tam furiosus*, inquit Salvianus cont: gent: *ut cùm Dominum creatorem omnium non neget, gubernatorem neget? Et cùm authorem esse fateatur; dicat, negligere quæ fecit?*

Tertiò vult nos considerare inutilitatem nimiæ solicitudinis nostræ; nisi ipse gratiosè subveniat. *Quis vestrum cogitans potest adjicere ad staturam suã cubitum unum? Si ergo quod minimum est, non potestis; quid de cætero soliciti estis?* Si rem tantillam vestra solicitudo non potest; scilicet nonnihil augere staturam corporis: quomodo poterit corporis seu hominis totius vitam, integritatem & incolumitatem servare, nisi invigilet, & præstò sit Providentia Divina? Quamvis superfluam habeat homo anonæ copiam: nonne ex innumeris alijs accidentibus casibus interire poterit, & debebit, nisi conservaverit DEUS? Ipsa copia rerum omnibus majores generat curas, complurибus morbos graves, imò interitum.

Quartò; Christianos decet vitam agere à gentilibus diversam, & longè perfectiorem. Cùm ergo *hæc omnia gentes inquirant*; quæ scilicet ad sustentandum & delicatè fovendum corpus pertinent: vos ad altiora curas vestras transferre decet; quomodo scilicet DEO & Domino vestro, quàm accuratissimè serviatis. Et quomodo fiet: ut familiæ suæ non suppeditet necessaria? *Pascet te, qui fecit te:* inquit August: in Psal. 61. *qui pascit latronem, non pascet innocentem? Pascet te, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos: Si pascit damnandos, non pascet liberandos?*

Quintò; Injuriosa DEO est nimia solicitudo circa necessaria corpori. Cùm enim non solùm sit Dominus noster, sed etiam Pater nostri amantissimus; & cùm sciat, quia his omnibus indigemus: incuriæ, vel nimis crudorum viscerum ipsum damnat nimia solicitudo nostra. *Si vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris: quantò magis Pater vester, qui in cælis est?* Matt. 7.

Primas ergo & primarias curas nostras ad hoc potiùs convertamus: ut

DEO, Domino ac Patri nostro pro beneficijs gratos nos exhibeamus. Graviter & prolixè nos hujus officij monet S. Ambrosius tom: 5. serm. 42. Utiq; tu Christiane, si es utilis, meminisse debes, cujus panem comedis, & ei laudem dicere? Dic mihi: nùm si aliquid de tuo cuicunq; largiris, expectas; ut tibi gratias agat, ut benedicat domum de qua ei sit humanitas tributa? Ita ergo à nobis, qui nos pascit, expectat DEUS. Cæterùm si accipientes divina munera, taciti & immemores fuerimus; tanquam ingrati & indigni eorum subministratione fraudabimur: ut DEUM, quem beneficijs non cognovimus, malis ingruentibus requiramus; & adversis stimulemur ad rogandum, qui prosperis gratias non egimus ad fruendum. *Et Serm. 43. admonet nos gratiarum DEO agendarum matutino & vespertino tempore.* Cùm diluculò surgimus, debemus, priusquam procedamus è cubiculo, gratias agere Salvatori; & ante omnes actus seculi, actus habere pietatis. - Debeo illi gratiam, qui ut ego securus dormiam, ipse pervigilat. Ipse enim nos DEUS ituros cubitum, quodam gremio quietis suscipit, & thesauro pacis reconditos servat. - Sed & cùm vespera diem claudit, ipsi debemus per Psalterium laudem dicere, & gloriam ejus modulata suavitate concinere. - Hoc autem ut faciamus, Fratres, non solùm docemur ratione, sed etiam admonemur exemplis. Nonne enim videmus minutissimas aves, dum illucescentem diem aurora producit, in quibusdam nidorum cubiculis varia dulcedine personare; & id studiosè agere priusquam procedant, ut Creatorem suum, quia loquela non possunt, suavitate demulceant. Aves ergo propter viles escas gratias agunt: tu pretiosissimis epulis pasceris, & ingratus es? *Hæc & plura ibi Ambrosius.*

FERIA IV. post Dom. XIX. post Pent.

MEDITATIO: *De Providentia supernaturali DEI, J. & M. erga homines.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: Providentiam ejus non solùm versari circa dispositionem eorum, quæ homini necessaria sunt ad vitam temporalem ducendam: sed extendere se, ad constituendum & conservandum eundem in statu supernaturali; ut evectus in sortem filij DEI, vitam agat divinam, operetur viribus naturam longè excedentibus, obtineatq; tandem beatitudinem & gloriam æternam. *Omnes* enim *homines vult DEUS salvos fieri.* 1. Tim. 2. salutem autem æternam obtineri ab adultis per gratiam suam, & merita ipsorum facta in gratia. Ad hunc finem ordinat omnibus, divina Providentia media sufficientissima. Vocat ad fidem, illuminat intellectum, movet voluntatem, concutit timore, excitat ad amorem,

minatur pœnas, proponit præmia, dissimulat peccata, ad bene operandū prævenit gratijs, comitatur & sequitur: & quid non agit, ut hominem constituat in gloria cælesti? *O quam bonus & suavis est Domine Spiritus tuus in omnibus!* Sap. 12. Quò nos vocat, & promovet benignissima Providentia tua? Si non sequimur non cooperamur: perditio nostra ex nobis.

2. ADora D. JESUM, & considera: quid & quantum ipsius suavissima Providentia contulerit ad ponendos nos in statu supernaturali filiorum DEI. Vidit; nec in statu naturæ integræ, nedum corruptæ, tantùm esse virium & honestatis; ut peccatorum veniam, & justificationis gratiam mereri possemus. Nam teste Apostolo 2. Cor. 3. *sufficientes non sumus cogitare aliquid à nobis*, conducens ad salutem, *quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est.* Providit ergo aliunde benignissimus JESUS, & pretio infinito sangvinis sui comparavit nobis auxilia ordinis divini, & naturam totam excedentia, quibus adjuti disponeremus nos ad justificationem, & mereri possent gloriam æternam, quicunq; vellent. *Pro omnibus enim mortuus est Christus* 2. Cor. 4. & *de plenitudine ejus omnes accepimus.* Joan. 1. *secundùm divitias gratiæ ejus, quæ superabundavit in nobis* Ephes. 1. Adoro liberalissimam Providentiam tuam, Gratiosissime JESU, & oro: Consumma gratiam tuam, ut in me vacua non sit, sed magna operetur, pro gloria tua, & salute mea.

3 VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsius providentiam versari potissimùm circa statum nostrum supernaturalem. Intervenit enim assiduò apud Filium; ut merita sua nobis in particulari applicet, donetq; gratiam, qua Filij DEI nominemur, & simus. Unde à Balduino Divionensi Tract. in Salut: Angel. appellatur *Cooperatrix divinæ dispensationis*: à Dionysio Carthus. l. 3. de laud. V. *Cooperatrix præcipua nostræ salutis.* Quomodo igitur fieri poterit, ut peream: dum tanta est circa me & Matris, & Filij, & Patris æterni Providentia?

Propositum v. gr. *de seria cooperatione præstanda Providentiæ divinæ.*

LECTIO PRACTICA.

De quibusdam extraordinariæ Providentiæ divinæ & Marianæ actibus.

AD reponendam firmiùs in Divina & Mariana Providentia fiduciam nostram: juvat considerare exempla quædam, in quibus planè prodigiosa elucet paterna maternave DEI & Matris ejus solicitudo circa servos suos, tum in fama ipsorum vindicanda, tum in necessitatibus corporis sublevandis.

S. Athanasium, eximium Ecclesiæ Doctorem, in Episcoporum concilio, in-

tersecti Arsenij Episcopi reum egerunt Ariani. Ad fidem conciliandam calumniæ, manum hominis produxerunt, criminantes: eam ab Athanasio abscissam Arsenio ad usum artis magicæ. Ipsum interim Arsenium occultè cautèq; detinebant. Difficulter diluisset calumniam gravissimam Athanasius: nisi Divina Providentia ordinâsset: ut negligentiùs agerent Arsenij custodes: atq; ita eidem daretur occasio elabendi. Noctu igitur arreptâ fugâ, cùm die sequente Arsenius salvus & integer, in conspectû totius Concilij se dedisset; Arianorum impudentissimum scelus aperuit.

S. P. N. Ignatio similiter malevolus quidam atrocem Romæ impegerat calumniam: quasi Compluti, Parisijs, & Venetijs de hæresi alijsq; criminibus non solùm accusatus, sed etiam publica authoritate condemnatus fuisset; fugâ verò se se eripuisset imminenti supplicio. Non satis fuit calumniatori; id in vulgus sparsisse: etiam ad Gubernatorem Urbis detulit; idq; interposito juramento. Non facile fuisset Ignatio è tam dissitis locis authentica innocentiæ suæ testimonia conquirere: nisi Divina Providentia in tempore subvenisset. Commodissimè accidit ipsius paterna dispositione; ut eodem tempore, quo hæc gerebantur, è prædictis tribus locis in Urbem diversorum negotiorum suorum causâ convenerint ijdem Judices, qui nuper accusatum ibi Ignatium, ab omni suscipione criminis juridicè absolverant. Ergo qui in Hispania, Gallia & Venetijs fuerant Judices, libenter tunc, in primo mundi tribunali, innocentiæ egerunt testes: & Ignatius singulari Providentiæ Divinæ se obligatum intellexit. *Bartoli in Vita lib. 6.* Stat igitur firmum illud Psal. 36. *Junior fui, etenim senui: & non vidi justum derelictum.* Sit nobis cordi Gloria DEI: & ipsi proculdubio curæ erit fama nostra.

Marianæ Providentiæ singularis refert Lyræus *lib. 2. Trisagij Mar.* illustre exemplum. Religiosus ex S. Ordine Capuccinorum in Provincia Veneta, functus Guardiani & Magistri tyronum officio, facultatem sibi impetravit, Lauretanam DEIparæ V. ædem invisendi. Triduum progressus, in sylva obvia cum socio juniore aberrare cœpit: cùm verò exitum nullum conspiceret, sub arbore pernoctare constituit, quantumvis brumali tempore. Sed socius perspecta senis infirmitate, & repentina pluviâ ingruente, lustrare cœpit viciniam, & accolas clamore accire: sed frustra; donec palpando in tenebris parietem offendit. Advocato igitur socio, ad portam deveniunt. Eâ pulsata, ostiario denunciant: pauperes duos Capuccinos à via aberrantes, petere hospitium. Respondet: se ad Dominam relaturum. Mox adfuit Oeconomus cum duobus ephœbis faces præferentibus, & adventum gratulatus hospitibus, in aulam ad Dominam humanissimè invitavit. Introducti,

ducti, in medio conclavi mensæ humili, ac viridi tapetio instratæ, quam binæ ex argento candelabra illustrabant, reperiunt assidentem Dominam, & nescio quas chartas pervoluntatem. Visis peregrinis, illa blandè arridere, adventum gratulari, ac itineris adeò molesti causam inquirere. Ubi audijt, de peregrinatione ad domum Lauretanam suscepta; approbavit dignam religiosis viris pietatem, jussitq; eos ab Oeconomo ad interius cubiculum deduci, & competenter refici. Nocte illa commodè lautèq; traductâ, summo manè Oeconomum adeunt, quærentes opportunitatem valedicendi Dominæ: sed antè ab eodem ad jentaculum ducti; quo sumpto ad Dominam admittuntur, quam non minùs modesta quadam gravitate, quàm insigni majestate conspicuam, repererunt eodem situ, quo pridie. Gratias prolixas exordientes interrupit illa, de varijs sibi devotioribus ascetis inquirendo accuratius, & eorum commemoratione visa est non parum recreari: mox literas majori chartæ involutas tradidit Lauretum deferendas. Quibus acceptis læti discessere. Vix passus 50. confecerant, cùm nescio quo desiderio cognoscendi hominis, cui tradendæ essent literæ, exterius involucrum evolvunt; sed non modo inscriptionem nullam, verùm nec obsignatas deprehendunt. Quare iter relegere, & de defectu Dominam monere statuunt. Sed ô rem admirandam! nec palatium ullum, nec aliquod ejus vestigium reperiunt. Ergo literas inspiciunt, easq; ad se datas advertit Pater. Sic autem habebat Epistola: *Venerande Pater: agnita tua in me voluntate ac pietate, qua ferri te in ædem meam Lauretanam liquidò perspexi; cùm tibi deficerent omnia, sine quibus hæc vita non ducitur: ego deesse nolui: sicut nec unquam, ubi tempus aut ratio postularit, defutura sum.* Subscriptio: *MARIA Virgo.* O quanta lætitia boni illi Religiosi incesserunt! Contigit res eo tempore, quo R. P. Clemens à Noto clavum Ordinis tenebat, quem rexit ab anno 1618. ad 1625. Epistola deinde summo in honore habita, etiam miraculis inclaruit. Sic DEUS paternam, MARIA maternam Providentiam suam commendant. Fidamus: & nos illâ dignos reddamus.

FERIA V. post Dom. XIX. post Pent:

MEDITATIO: *De Providentia DEI, JESU & MARIÆ erga Ecclesiam Catholicam.*

I. ADora DEUM O. M. & considera accuratissimam ejus Providentiam erga Ecclesiam Christi militantem in terris. Collegit, & etiamnum colligit eam ex omni gente, quæ sub cælo est, idq; vocatione varia & mirabili. Quasdam enim nationes vocavit lingvâ igneâ, seu stellâ recenter

center exortâ, ut SS. Reges Orientales; alias Apostolorum & aliorum virorum Apostolicorum prædicatione, ut Asiam & Europam; alias occasione bellorum vel mercimoniorum, ut Africam & Americam; alias occasione conjugiorum, ut Galliam &c. Deinde ut solicitus paterfam: non solùm exijt primo manè conducere operarios in hanc vineam suam; sed etiam horâ tertia, sexta, nona, & undecima, Matt. 20. ut nunquam sit sine necessarijs cultoribus. Scripturas Testamenti veteris accurate servari & custodiri voluit à Synagoga in usum hujus Ecclesiæ: quam tandem ut Sponsam electam ex millibus, & unicè dilectam despondit Unigenito suo, fœdere sempiterno. Pro tanta igitur providentia circa novam hanc Ecclesiam, *Cantate Domino* omnes gentes *canticum novum: laus ejus in Ecclesia Sanctorum.* Psal. 149. Beati, qui habitant in hac domo tua Domine. Benedictus: quod & me in eandem collegeris.

2. ADora D. JESUM, & considera: quantâ Sapientiâ, & Providentiâ domum hanc suam, ceu arcem inexpugnabilem construxerit, atq; munierit. 1. Se ipsum locavit pro lapide angulari, electo, pretioso, & summo. 1. Pet. 2. fundavitq; eam supra firmam petram ita, ut portæ inferi nunquam sint prævaliturae contra illam. Matt. 16. Est ipsa illud Dan. 2. *Regnum, quod in æternum non dissipabitur.* 2. Sapientiâ sua excidit in ea columnas septem, Sacramentorum 7: *miscuit vinum, & posuit mensam* DEO dignam (Prov. 9.) scilicet Eucharisticam. 3. Munijt illam perpetua Spiritus S. assistentiâ: imò fecit illam *Columnam & firmamentum veritatis.* 1. Tim: 3. Deniq; *Dilexit illam, & se ipsum tradidit pro ea: ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ; ut exhiberet ipsam gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam.* Ephes. 3. Quanta felicitas nostra, & dignitas; quòd membra sumus hujus Ecclesiæ, cujus Caput Christus ipse? At numquid digna, viva, decentia membra sumus? Nonne cultrum aut securim meremur?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: illam in hac Filij Domo planè agere magnam Matremfamilias (*Gubernatricem totius Ecclesiæ Christi*, appellat Mauritius de Villa Probata Serm. 12. Coronæ novæ.) simillimam illi Prov. 31. quæ assiduè & solicitè *consideravit semitas domus suæ, & panem otiosa non comedit.* Ipsa fovet filios pacis: ejicit schismata, contentiones, æmulationes, hæreses; ut meritò ei applaudat ipsa Ecclesia: Gaude MARIA. V. cunctas hæreses sola interemisti in universo mundo. Excinde Domina etiam reliquias serpentini seminis.

Propositum v. gr. *curandi diligentiùs, ut simus viva & decentia membra Ecclesiæ Christi.*

LECTIO

LECTIO PRACTICA.

Declaratur ampliùs supradicta Providentia Divina.

PRæterquam ex dictis, elucet insuper admiranda & perpetua Providentia Divina circa Ecclesiam Catholico-Romanam. I. *Ex constanti Successione Pontificum Romanorum in Cathedra Principis Apostolorum.* Conjurarunt planè in excidium illorum gentiles Romanorum Imperatores, varijsq; artibus & tormentis ac cædibus in illos grassati sunt per tria sæcula. Sed perierunt ipsi cum omni potentia & posteritate sua: Successio Pontificum Rom: illæsa triumphat, nullis succisa sive tyrannorum machinis, sive ipsorum Pontificum quorundam delictis; jamq; numerat in Petri Sede sex supra ducentos & viginti usq; ad feliciter regnantem hodie Innocentium XII. Ex his pro Romanæ fidei defensione Martyrio coronati numerantur triginta duo: Sanctorum verò Confessorũ gloria illustres, & aris digni, triginta septem: præter plerosq; alios morum integritate, & gestorum celebritate conspicuos.

II. *Ex indefectibili Rom: Pontificum Fide.* Quàmvis enim unus quidam inventus est Marcellinus, qui humana passus est: non tamen unquam aliquid Fidei veræ contrarium docuit, & facti sui culpam non lacrymis solũm sed sangvine profuso diluit, dignusq; apparuit, cujus honorificam sepulturam ipse promoveret Apostolorum Princeps. Non defuit unus & alter, qui ante Pontificatum fide suspecta laboraret: at illo rite suscepto tam fideles fortesq; se præstiterunt in afferenda tuendaq; fide Catholica: ut summæ Imperatorum Orientalium potentiæ non dubitarint se constanter opponere etiam cum vitæ præsenti periculo; prout manifestum fuit in Vigilio Papa, Divina Providentia ita constanter ordinante: ut salvus semper maneret fructus Orationis Christi: *Rogavi pro te,* Petre; *ut non deficiat fides tua.*

III. *Ex hæreticorum & hæreseon depressione atq; extirpatione; Romanæ verò Ecclesiæ propagatione atq; exaltatione.* Innumerabiles sectarij conjurarunt cum tota tenebrarum potestate adversùs eam Ecclesiam; sed id præstiterunt, quod aquæ diluvij, Arcam Noé non sorbentes, sed eò altiùs attollentes, quò copiosiùs increverunt ipsæ. Fluctuat subinde Petri navicula: sed mergi nescit, quæ ad clavum suum habet æquè vigilem ac potentem Providentiam, cujus nutui maria & ventos obedire oportet.

IV. *Ex Thaumaturgorum, & patratorum mirabilium gloria.* Cùm enim Miracula sint certa quædam signacula & tesseræ veræ Fidei: sæculis omnibus ordinavit Divina Providentia; ut Ecclesiæ non deessent Thaumaturgi, opere & verbo potentes; qui manifestis editis miraculis infideles vocarent ad fidem, fideles confirmarent in eadem. Ut prætereamus antiquiora sæcula, poste-

la, posterioribus hisce non defuerunt ex utroq; sexu maximis prodigijs illustres Antonij, Bernardini, Ferrerij, Ignatij, Xaverij, Borromæi, Salesij, Theresiæ, Magdalenæ de Pazis, Rosæ Limanæ. &c. &c. quos prodigia patrata mirabiles, virtus autem consummata fecit Sanctos, & aris dignos. Suspectæ nimirum hoc ipso redduntur, imò manifesti erroris convincuntur sectæ Acatholicorum: quòd solâ lingvâ sint potentes; manus autem habeant inertes ad opera bona, nullas ad patranda miracula.

V. *Ex Doctorum copia.* Suppeditavit continuò Ecclesiæ suæ Divina Providentia scribas doctos in regno cælorum, proferentes de thesauris sapientiæ suæ nova & vetera, scientes separare pretiosum à vili, & discernere inter vana novatorum commenta, atq; solidam sanctamq; venerandæ Antiquitatis doctrinam. Cùm enim vetus fraudum architectus, serpens antiqvus, totus sit in dolis potiùs & laqueis concinnandis, quàm ut vi aperta depugnet: necesse est illi opponi ingenia, quæ & fraudes detegant, & laqueos dextrè dissolvant.

VI. *Ex Ordinum novorum, Clericalium & Regularium, institutione*: qui & ornamento & præsidio sint Ecclesiæ. Vocat eos S. Hieronymus ep. 17. Flores, & pretiosissimos lapides inter Ecclesiastica ornamenta. S. Nazianzenus Primitias gregis Domini, Columnas & coronas fidei, atq; margaritas pretiosissimas. Quantum præsidij contulerint, conferantq; etiamnum Ecclesiæ, docent Dominici & Francisci labantem Ecclesiam Lateranensem sustinentes; docent posteriores alij, in Europa Sacramentorum frequentiorem & decentiorem usum, cum studio verarum virtutum restaurantes; in alijs orbis terrarum partibus damna, ab hæreticis accepta in Europa, milleno fœnore reparantes per innumerabilium gentium conversionem. Quorum sive copiam spectemus, sive virtutem: videbimus Divinæ Providentiæ munere, postremis his sæculis Ecclesiam Christi maximis auctam incrementis, & habere illam copiosissimè, quos dissolutis hæreticorum & pravorum Catholicorum moribus gloriabunda opponat. Ut olim S. Augustinus Manichæos, in Opere de moribus Ecclesiæ Catholicæ; ita ipsa hujus temporis Sectarios lacessere potest. *Istis*, inquit Augustinus, *Manichæi, si potestis obsistite. Istorum jejunijs vestra jejunia, castitati castitatem, vestitum vestitui, epulas epulis, modestiam modestiæ, caritatem deniq; caritati, & quod res maximè postulat, præceptis præcepta conferte.*

Benedictus DEUS, Pater Domini nostri JESU Christi, qui circa Sponsam ejus talem tantamq; exercet Providentiam!

FERIA

MEDITATIO: *De Providentia DEI, JESU & MARIÆ ergà Ministros Ecclesiæ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera Providentiam ejus singularem circa Ministros Ecclesiæ Christi. Inprimis expedit eos continuò in vineam suam, consortat in laboribus: dat gratiam etiam apud barbaros, tuetur in periculis, donec veniat tempus coronæ; illustrat multis magnisq; conversionibus, mirabiles facit virtutibus, signis & prodigijs. Deinde mira varietate distingvit eos, & ornatissimam ordinatissimamq; constituit ex eis Hierarchiam. Nam *quosdam posuit DEUS in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde Virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera lingvarum, interpretationes sermonum.* 1. Cor. 12. Necesse est enim, ut in corpore humano, ita in mystico Christi, varia esse membra, & eorum varios esse actus, cum debita subordinatione: *ne unus infletur adversùs alterum pro alio.* 1. Cor. 4. Quisq; igitur in gradu suo conetur perfectus esse; nec ad alterum ascendere, nisi vocatus, præsumat. *DEUS virtutum convertere, respice de cælo, & vide, & visita vineam istam, & perfice eam, quam plantavit dextera tua.* Psal. 79.

2. ADora D. JESUM & considera Providentiam ejus circa Ministros Ecclesiæ suæ. 1. Instruxit eos authoritate amplissima, id est, sua. *Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit.* Luc. 10. Et 2. Cor. 5. *Legatione pro Christo fungimur; tanquam DEO exhortante per nos.* 2. Monarchicum inter eos & subjectos fideles constituit regimen, uni Petro & successoribus ejus dicens Joan. 21. *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Et Matt. 16. *Tu es Petrus: & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* 3. Induit eos virtute ex alto, communicato Spiritu S. qui & roboraret infirmos, & instrueret rudes. *Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Joan. 16. *Cùm autem tradent vos: nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini.* Matt. 10. Deniq; quibus se pararent malis, prædixit ibidem: *Tradent vos in concilijs, & in synagogis suis flagellabunt vos: eritis odio omnibus propter nomen meum &c.* Hæc est providentia Christi erga primarios Ecclesiæ suæ Ministros. Quid nos? suaviorem expectamus? Fallimur. *Non est servus major domino suo: neq; Apostolus major est eo, qui misit illum.* Joan. 13. & 15. *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem:* profitetur Vas electionis. Gal. 1.

3. VEnerare DEIparam V. & considera spacialem ejus curam & providentiam erga Operarios Evangelicos. Cùm enim nihil magis de-

sideret: quàm ut dilatemur, & optimè culta floreat Ecclesia Christi; desudantes in eo opere non potest non fovere singulari cura. Impetat ipsis alacritatem ad labores suscipiendos, fervorem in prosequendis, constantiam in perferendis, solatium ex consummatis. Non cedit providæ illi matrisam: Prov. 31. quæ contra frigus omnes domesticos suos *vestivit duplicibus*, scilicet Charitate DEI & proximi, seu Doctrina & virtute. Et nos, ô Domina, gemina hac veste muni? ne frigeamus in opere tam salutari. Propositum v. gr. *æstimandi, & specialiter fovendi eos, quos impigros videmus in laboribus Evangelicis.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur ampliùs Providentia Divina erga Ministros Ecclesiæ.

1. QUos magnis pro DEI gloria gerendis destinat, deligit ex millibus; nec ullis eventibus aut hominum consilijs patitur averti intentum suum. Sic, ut antiquiores prætereamus, ex millibus prædicatorum reformandæ Europæ elegit S. Vincentium Ferrerium, Antonium de Padva, Franciscum Salesium &c. Convertendis Indijs Occidentalibus Ludovicum Bertrandū. Orientalibus S. Franciscum Xaverium: quàmvis ad id muneris alios destinârit humana prudentia. Postulante enī Lusitaniæ rege Indicis laboribus delegerat Ignatius ex primis novem Socijs suis Simonem Rodericum, & Nicolaum Bobadillam, strenuos, ut experientiâ compertum habebat, operarios. Sed Divina Providentia Xaverium volebat. Igitur Bobadillam pertinacior morbus lecto affixit: & cum in Lusitania non levis opponeretur obex profectioni Xaverij in Indiam, Proceribus regni communi consilio retinere virum Apostolicum satagentibus: facilè omnia expedivit Divina Providentia, & Francisci humeris, quem in somnis viderat, bajulandum imposuit Indum. Non ergo nostro definiendum consilio, quid, vel ubi, agere velimus pro DEO & Ecclesia: sed DEI sententia, cujus interpretes plerumq; sunt Prælati, exploranda.

2. Instruit illos necessarijs dotibus ad munus suum rite obeundum; compensatq; abunde, quod negavit natura. Sic cùm in Indiam Xaverio suppetias missus esset Gaspar Barzæus Belga, vir quidem religiosissimus, & zelo DEI plenus, sed à natura negligenter compositus, atq; ad conciones sacras admodum ineptus: paucis diebus ita hominem per Xaverium Divina Providentia excoluit: ut qui paulò ante è cathedra sacra alijs risum, alijs commiserationem moverat; jam pleno ore & pectore Apostolum spiraret, sonaretq;, ac deinceps miranda egerit Ormuzij, (quod est nobilissimum sinus Persici emporium) pro fidei dilatatione & DEI gloria. DEI vocatio quos

non

non invenit dignos, facit. Nostrum est parere, & totis viribus tam activè quàm passive collaborare DEO.

3. Venerabiles facit, & metuendos potestatibus sæcularibus: ut olim Jeremiam Prophetam, cui cap. 1. dixit Dominus: *Dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram regibus Juda, principibus ejus & populo terræ. Et bellabunt adversum te, & non prævalebunt: quia ego tecum sum, ait Dominus, ut liberem te.* Constantio Imperatori quàm graves, simulq; venerabiles fuerunt Sancti Basilius & Hilarius? Quantæ fuit authoritatis apud Maximum tyrannum & Theodosium Imp: S. Ambrosius? quàm infractus se se opposuit Justinæ Imperatrici Arianæ, & toti ejus armatæ potentiæ? Attila rex Hunnorum acerrimum DEI flagellum, quá obedienter reveritus est S. Leonem Pontificem! Nimirum dum non sua commoda quærunt, sed DEI & Ecclesiæ causam agunt ejus Ministri, Divina quadam induuntur authoritate; timentur, dum non timent; dum timent, despectui habentur.

4. Reficit & roborat commodorum suorum negligentes: quemadmodum zelo zelatus pro Domino exercituum Elias 3. Reg. 2. post dulcem somnum sub umbra juniperi, reperit ad caput suum subcinericium panem, & vas aquæ; & *ambulavit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & noctibus.* Ejecto in exilium S. Joanni Chrysostomo, præstò esse voluit Divina Providentia pias matronas, quæ senem & infirmum necessarijs juvarent, soverentq;. B. Henrico Susoni in quadam Apostolica expeditione, cùm nimium fessus progredi ampliùs non posset: suppeditavit eadem mansvetissimum & pulcherrimum eqvum, qui freno & stella instructus è sylva cursu ad ipsum contendit, atq; ante virum DEI constitit, quasi invitans ad conscendendum. Ubi ad pagum quendam perventum est, dimisit eqvum; qui celerrimè se subduxit: nec resciri potuit, cujus fuisset. Sic suaviter equitat, quem gratia Divinæ Providentiæ portat.

Quid autem mirum, quòd bruta famulantur Divinæ Providentiæ in obsequium famulorum DEI; quando dæmones ipsi ad id sunt promptissimi? Cùm Joannes Parmensis Minister Generalis Ord: Min: visitaret ultramontanas provincias; contigit, ut brumali tempore medijs in sylvis nox errabundum opprimeret. Confugit ergo ad preces cum socijs: & ecce audiunt pulsari campanam, cujus sonum secuti, pervenerunt ad vicinam quandã Abbatiam. Pulsato ostio, procurrerunt illico quasi ex condicto Monachi, hospites humanissimè excipiunt, ducunt ad ignem, lavant pedes, vestimenta exsiccant, apponunt cœnam, omnem deniq; faciunt commoditatem. Primã

vigiliam auditâ campana, qua monochi ad laudes divinas convocantur, surrexit Generalis, cum ipsis perrexit ad chorum, relictis socijs somno oppressis. Et ecce hebdomadarius, non dicto, *Domine labia mea aperies*, ex abrupto incipit ab illo Versu Psal. 35. *Ibi ceciderunt, qui operantur iniquitatem*, Chorus respondit: *expulsi sunt, nec potuerunt stare.* Quod secundò & tertiò iterarunt. Suspicatus id, quod erat, Generalis, præcepit in Virtute Passionis Christi, & Nominis ejus: ut edicerent: quinam essent? Respondit, qui Abbatis locum tenebat: se esse Angelos tenebrarum, missos ex divino præcepto, ad preces Matris DEI, & illius Vexilliferi Patris vestri, ad ministrandum ipsi & socijs ea nocte. His dictis totum evanuit. Generalis autem cum socijs se deprehenderunt in abstrusissimo antro. *Vading. in Annal. Ord. Min. anno* 1248. Sumus ergo curæ DEO: sit nobis curæ obsequium ipsius & gloria major.

SABBATO post Dom. XIX. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Providentia DEI, JESU & MARIÆ erga Ordines Religiosos.*

1. ADora DEUM O. M. & considera eximiam ejus Providentiam erga Ordines religiosos. Cùm enim ipse sit Author, & principalis Institutor illorum; institueritq; eos ad majorem gloriam suam, insigni pietate, virtutum splendore, & sangvinis effusione propagandam: non potest non eos complecti singulari charitate & providentiâ. Exercet hanc 1. conservando multis sæculis tales familias, frustra frementibus, & omnes machinas in earum subversionem admoventibus filijs hujus sæculi. 2. Dilatando, & multiplicando eas mirificè per orbem universum. 3. Illustrando eximia pietate, præstantì doctrinâ, miraculorum gloriâ. 4. Vocando ad illas homines dignitate eminentes, literis & rebus gestis conspicuos, sanctitate celebres. 5. Movendo piorum corda ad earum amorem, sustentationem, protectionem ita: ut quisq; Ordo habeat suos Nutritios & Patronos. 6. Vindicando severè injurias ipsis illatas. Benedictus DEUS in omni hac familia sua! Crescere faciat eas numero & sanctitate in mille millia. *Quia hæc est generatio quærentium* Dominum, *quærentium faciem ejus semper.*

2. ADora D. JESUM & considera: quàm tenere diligat & providè foveat easdem religiosas familias, tanquam illustriorem ut loquitur S. Cyprianus, portionem gregis sui, & florem Ecclesiastici germinis. Quælibet illarum cum S. Psalte dicere potest: *Pater meus, & mater mea dereliquerunt me; Dominus autem assumpsit me.* Psal. 26. *Dominus regit me, & nihil*

hil mihi deerit: in loco pascuæ ibi me collocavit. Psal. 22. Pascit autem Religiosos uberiùs, quàm alios, verbo suo, crebriùs consolationibus suis, creberrimè epulo Corporis & Sangvinis sui. Ipsi enim sunt illi (Eccli: 3.) *Filij Sapientiæ*, qui cælitus edocti sunt reprobare malum, & eligere bonum, relinquere spatiosam & inire arctam cæli viam. Ipsi sunt illa *Ecclesia justorum*, in qua monstrũ & rarũ prodigiũ est impius: illa *natio* proborũ, quorũ vita est *Obedientia & dilectio*, quorum delicium crux est, quorum gloriá Crucifixus JESUS, qui à solis ortu usq; ad occasum portant, & sangvine fuso glorificant, nomen ejus coram gentibus & regibus. Memento Gratiosissime JESU omnis hujus Congregationis tuæ: & quas possedisti ab initio, posside & fove in finem sæculorum.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; Religiosas familias eximia benevolentia & providentia complecti: prout adductis exemplis demonstrat Hieron: Platus *lib* 1. *de de Bono statu Relig. c.* 34. Carthusianam familiam semper se protrecturam spopondit per Apostolum Petrum: Carmelitanam Honorio IV: Dominicanam & Franciscanam ipsi Filio suo commendare diligentiùs, visa est: Societatem nostram sub chlamyde sua latissimè extensa collectam exhibuit. Perge, ô Benignissima, fovere familiam tuam. Tibi vivent, & militabunt usq; ad sangvinis vitæq; profusionẽ.

Propositum v. gr. *de alendo benevolo & benefico affectu erga familias Religiosas.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur exemplis singularis Divina Providentia erga Ordines Religiosos.

CUm S. Franciscus Ordinem à se fundatum, omni deinceps disciplina & sanctitate excolere pergeret: quoties adversi aliquid eveniebat, aut postea eventurum, DEO monstrante, cognoscebat, ita commovebatur; ut dolore & lacrymis pene conficeretur. Itaq; oranti aliquando, suamq; illam familiam DEO suppliciter commendanti, sic Dominus respondit: Quid turbaris Francisce? quid angeris, dum fratrum tuorum quispiam vel Ordinem deserit, vel in Ordine scandalum concitat? An fortè existimas, ita te rectorem hujus gregis constitutum, ut nulla mihi ipsius cura sit relicta? Quis eum plantavit, nisi ego? aut quis, præter me, homines ad eum vocat, & vocatis perseverandi vires suppeditat? Ego eos perduxi, ego retinebo, & servabo. Ego illis cadentibus alios erigam, atq; substituam. Quamobrem hoc tibi planè præcipio: ne te in posterum adeò discrucies: sed scias, à me hanc familiam diligi: & si unus ad vomitum redeat, me in ejus locum alterum excitaturum, qui illius coronam accipiat; isq; si nondum natus fuerit, effectu-

rum, ut

xum, ut nascatur. Quodsi tres tantum in ea permanserint: eos ipsos nunquam deseram; sed erit hæc semper familia mea. Hæc Dominus Francisco. Idem autem censendum & planè credendum de cæteris omnibus Religiosis Ordinibus: cùm omnium par sit ratio; *inquit Hieron: Platus, de bono statu Relig: lib.* 1. *c.* 33.

Memorabile est, quod Dominus edidit specimen protectionis suæ singularis erga eundem Ordinem. Prælati quidam, nescio quo spiritu, de Franciscano Ordine abolendo consilia inter se contulerunt; & ad eam rem perficiendam quoddam aliquot Episcoporum conventiculum coëgerunt. Erat autem in eadem urbe Ecclesia præcipua, & in Ecclesiæ fenestris vitreis duæ imagines pictæ; una S. Pauli Apost. qui ensem; altera S. Francisci, qui crucem manibus tenebat. Nocte Æedituus visus est sibi Paulum audire dicentem, Quid agis Francisce? cur tuam non defendis familiam? Cui ille: quid faciã; non habeo nisi crucem, & hæc ipsa me admonet patientiæ. Tum Apostolus hortari: ne tantam ferat injuriam, suumq; ipsi offerre gladium. Territus æedituus, simul ac illuxit, accurrit in templum, fenestras inspicit, videtq;: utramq; imaginem insignia inter se commutasse, atq; in Pauli dextera crucem esse; Franciscum verò gladium gestare, adhuc stillantem cruore. Quod dum secum tacitus miratur, increbrescit rumor; Episcopum, qui ejus consilij auctor fuerat, repertum esse mortuũ præcisis cervicibus. Retulit ipse quoq; nocturnum visum, ac pro ejus fide imagines fenestrarum ostentabat. *Platus ibid.* Mula sciunt dissimulare Sancti: apprehendendum tamen, quod de ipsis dicitur Psal. 149. *Gladij ancipites in manibus eorum; ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Ut faciant in eis judicium conscriptũ: Gloria hæc est omnibus Sanctis ejus.*

Quam Providentiam, inter alios Religiosos Ordines, ab ipso suo exordio constanter experta sit, & experiatur minima Societas nostra, innumeris constat documentis. Cùm enim vix alter sit Ordo, qui tot, tamq; potentes passus sit adversarios: prorsus eximiæ & constantis Divinæ Providentiæ manifestum est argumentum; quod non solùm non interierit, sed maximis auctus sit incrementis faciente Domino cum tentatione proventum. Ut prætereã hæreticorum, pseudopoliticorum, aliorumq; malè moratorum improbos conatus: summi quidam Pontifices cùm quidpiã, quàmvis bono zelo, circa Societatis Institutum mutare tentassent, non solùm plerosq; Reges & Principes Catholicos, meliorisq; notæ in Christi Ecclesia Prælatos, habuerunt contradicentes, & pro Societate intercessores; sed morte accelerata rem in integro

tegro reliquerunt, quamvis decreta sua jam habuerint manu & signo suo munita. Docuitq; non unus eventus: verba illa Salvatoris ac Domini nostri ad S. P. N. Ignatium dicta, *Ego vobis Romæ propitius ero*; non fuisse restricta ad unius Ignatij vitam: sed omnino ampliativè, prout principum beneficia solent, esse sumenda, & extendenda etiam ad nostra, & futura tempora. Qui autem Romæ se Societati propitium fore promisit Dominus: non dubitamus, etiam alibi benevolentiam & præsidium suum non negaturnm: præsertim cùm sanctitatis famâ conspicuis personis disertè professus sit; se cordi habere Societatem. Sic cuidam Neapoli, Societatem Christo impensè commendanti, post alia ipsi monstrata in favorem Societatis, dixit Christus: *Scias; mihi esse gratissimum, quod petis: quia est mea Societas, & illam teneo semper intra cor meum: & non possum ferre; ut in ea sit, qui habeat notabiles defectus, & ideo volo, ut subitò dimittatur ex mea Societate.* Hæc & plura præsertim S. Theresiæ Testimonia in favorem Societatis, videri possunt apud Nic: Lancicium tom. 1. Opusc. 1. c. 19.

Certi de singulari erga se studio Divinæ Providentiæ, totis viribus in id, oportet, intenti sint Religiosi: ut eidem strenuâ operâ, pro DEI gloria & bono Ecclesiæ, respondeant indefessi.

DOMINICA XX. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Providentia DEI, JESU & MARIÆ erga Imperia & regna.*

I. ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus Providentiam erga regna terræ & imperia. Condit illa, quando sibi opportunũ videtur: prout Israelitico populo non nisi post complura sæcula regem & formam regni dedit. Conservat & gubernat illa: quàm diu populi & regnantium malitia completa non est, & eversionem non urget. Transfert, & evertit illa, quando & per quem vult; jam per validam jam per invalidam gentem. Ubi illa, Assyriorum, Babyloniorum, Persarum & Græcorũ potentissima Imperia? Romanũ quàm accisum, quàm lacerum? vix nomen suum tuetur. Non minor est in forma Religionis, quàm politico regimine vicissitudo. Hæc regna mox ab ortu Religionis Christianæ Evangelij luce illustrata sunt: illa non nisi post aliquot lustra, alia post sæcula aliquot. In hæc postquam semel illata est vera Religio, stabilem fixit sedem, sæcula numeraturam: in alijs ut hospes comparuit, & disparuit: oppressa hic à gentilibus, ibi à Saracenis vel Judæis, illic ab hæreticis; omnia moderante Providentia Divina, & sua momenta tam ortûs quàm occasûs, designante regnis

& religioni eorum. O Magne DEUS, in cujus ditione cuncta sunt posita, cujus nutu cuncta geruntur: quam non capio, adoro profundissime altitudinem Providentiæ tuæ. Unum oro: adveniat regnum tuum, regnum omniũ sæculorum, & totius beatitudinis.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm inscrutabili providentiâ disponat de regnis & imperijs tanquam supremus *Princeps regum terræ.* Apoc. 1. Ipsius est populis præficere principes: *Per me reges regnant.* Prov. 8. præficit autem nunc Theodosios & Marcianos, quibus meliores non reperit; nunc Copronymos & Phocas, quibus deteriores non invenit; utrosq; autem tempori & rationibus suis altissimis opportunos. Nunc regna florere facit uberrima segete, & viris pace belloq; claris: nunc eadem fame, peste & gladio castigat. Jam sinit irrumpere, vel intrudi in regimen Ecclesiarum suarum rectores, literarum rudes, moribus corruptos, qui non solùm sinunt superseminari zizania tritico, sed serunt: jam messores suos mittit, qui pravum germen vel tollant, vel vertant in triticum. Et quis dixerit ei: quare sic facis? Agnosco, Domine, pervigilem in omnibus Providentiam tuam. Omnia in sapientia fecisti: dispone & guberna in misericordia.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: meritò ei accomodari illud Prov. 8. *Per me reges regnant; per me principes imperant. Cum eo erã cuncta componens,* & de omnibus, potestate mihi communicata, disponens. Per ipsam stare regna & gubernari; monstratum est S. Dominico: quando vidit Christum iratum tres lanceas vibrantem ad perdendas provincias & regna; Matrem autem ejus intervenientem, & viros duos ei offerentem, ipsũ Dominicum & Franciscum, qui cum sua familia strenuò reformaturi essent corruptissimos. Et nunc, ô Domina, tempus providendi, & succurrendi; quia invaluit malitia multa nimis.

Propositum v. gr. *de crebra & fervente oratione pro conversione regnorum ad fidem & pœnitentiam.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur ampliùs ea Providentia.

MIramur sæpe: cur Optimus DEUS tam raram aut brevem pacem provincijs & regnis concedat? Cur in agros tam crebram sterilitatem, aut per tempestates, inundationes, æstus nimios vel frigora intempestiva, aliaq; incommoda vastationem immittat, diramq; famem plebi inducat? Cur urbes, oppida & pagos villasq; pestifera lue exhauriat: & quidem subinde post bellorum satis graves calamitates? Ratio in promptu est: scilicet ut puniat peccata commissa, & præcaveat impediatq; committenda.

Quod

Quod per publicas bellorum, famis, pestilentiæ &c. calamitates puniat DEUS commissa peccata; & quidem non raro propter principum vel Ecclesiasticorum peccata, tota vastet regna: manifestissimum est tum ex Divinis Literis, tum ex regnorum Annalibus, & Puncto tertio Meditationis præsentis: cui addi potest, quod in Vita S. Petroni Ord. Carthus. scribit. *Cochem lib. 3. hist*: 14. Quotidianum erat viro huic Sancto: ardenter deprecari Dominum non pro suis tantùm, sed totius populi delictis; atq; Dominũ solicitare; ut tandem vellet se ex hac miseriarum valle & peccatorum colluvie transferre. Apparuit illi post cumulatas preces Salvator ac Dominus noster; & Scias, inquit, Petrone: exauditam esse orationem tuam. Exhibuisti te hactenus pro populo meo velut alterum Moysen, assiduas pro ipso interponens preces: verùm peccata ejus in tantum excreverunt; ut ferre ampliùs non possim. Punivi aliàs mundum graviter propter homicidia; diluvio delevi homines & bruta propter luxuriam: nunc effundam furorem meum propter hominum Avaritiam insatiabilem, quæ non tantùm inter sæculares, sed etiam Ecclesiasticos & Religiosos invaluit. Tollam igitur te de hoc mundo: ne ampliùs impedias effusionem justissimæ iræ meæ. Huc facit: quod de Phoca tyranno Ecclesiastica tradit Historia: qui cùm Orientale invasisset imperium, & Mauritium Imperatorem cum liberis suis gladio carnificis, ut minister Justitiæ Divinæ, subjecisset: projectus in omne nefas, nullum ponebat modum effusæ libidini, rapinis & cædibus. Factum est autem; ut quidam Sanctorum, hũmiliter & confidenter quereretur coram Christo: *Cur Domine populo tuo tam malum dedisti Imperatorem*? At Christus respondit: *Quia non inveni pejorem*. Nimirum multitudo & gravitas peccatorum illius populi merebatur non per vulgarem tyrannum plecti.

Advertendum autem: quòd dum vindex DEUS punit commissa peccata, eâdem operâ præcavet, seu impedit committenda: adeòq; ipsa pœna Divina est peccatoribus efficax Medicina. Agnoverunt id etiam Ethnici sapientiores. Unde Simplicius explicans cap. 13. Epicteti dicentis; DEI scopum esse in calamitatibus immittendis abstersionem macularum nostrarum, & morborum nostrorum medelam, hæc addit: *Si corporis medicinam excernentem, urentem, incendentem, membra resecantem, & planè sævos carnifices imitantem, malum non dicimus, sed bonum; si medicis & gratiam habemus, & mercedem numeramus: cur in medicina DEI non conquiescimus? Neq; enim iracundè* (ut homines furiosi solent) *neq; vindictæ*, inordinatæ, *cupiditate, nec præter meritum, nec nocendi causâ quicquam horum facit DEUS; sed instar Medici & Curatoris & Parentis, ad nostram maximam utilitatem, & (quo uno verbo rem totam comple-*

sti liceat) pro sua Bonitate Divina. Multiformis autem est DEI medicina: ut quæ alios morbis, inopiâ, ignominiâ; alios pestilentia, fame, terræ motu, inundatione, naufragio, bello; alios pœnis humanitus inflictis, medicetur. Nec verò mala hæc sunt, sed bona: siquidem medicari bonum est. Hæc Ethnicus omninò Christianè. Suffragatur illi S. Augustinus in Psal. 21. *Intelligat*, ait, *homo; Medicum esse DEUM, & tribulationem medicamentum esse ad salutem, non pœnam ad damnationem. Sub medicamento positus ureris, secaris, clamas: non audit medicus ad voluntatem, sed audit ad sanitatem.*

Dum igitur provinciarum regnorumq; calamitates varias cernimus, aut tanquam pars eorum, sentimus: Divinam adoremus, oportet, Providentiam, ita nobiscum procedentem, prout morbi nostri seu vitia, sive contracta sive ne contrahantur, requirunt: semper tamen expectat misericors; ut pœnam deprecaturi, moresq; emendaturi, supplices ipsi accedamus. Sic cùm P. Gvilielmo Rose S. J. ostensa divinitus essent mala regno Poloniæ imminentia; in una scheda legit: *Polonia vastabitur: at Orandum.* In altera: *Polonia restituetur in integrum; at Orandum.* Nadasi in Anno Dier. Mem: 25. Julij.

FERIA II. post Dom. XX. post Pent:

MEDITATIO: *De Providentia DEI, JESU & MARIÆ in Tribulationibus & Periculis.*

I. ADora DEUM O. M. & considera paternam ejus & sapientissimam Providentiam in varijs hominum tribulationibus, immitendis, & avertendis. *Multa flagella peccatoris: sperantem autem in Domino misericordia circumdabit.* Psal. 31. Ea est hominis lapsi conditio: ut sine tribulatione esse in hac vita nec possit, nec debeat. Esse non possumus: quia & in nobis fontes plurimorum malorum circumferimus, concupiscentiam inordinatam, malam humorum temperiem, corpus varijs elementorum injurijs expositum; & extra nos occurrunt innumera, quæ nos infestant: ut vir princeps, divitijs & delicijs & armatorum custodia affluens, conqueratur Psal. 39: *Circumdederunt me mala, quorum non est numerus.* Nec sine illis esse debemus: tum ad evitandam insolentiam in prosperis, tum ad expiandam peccatorum copiam, tum ad promerandam uberiorem gratiam. Omnia autem quæcunq; nos apprehendunt mala, peccato excepto, à Domino veniunt: *Non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Amos 3. sed in omnibus tam benigna & præsens nobis adest ejus Providentia: ut magna lucra ex malis illis reportare possimus, si velimus. *Vexatio dat intellectum.* Isa. 28. *Tribulatio patientiã operatur.* Rom. 5. At in nobis, ô quantam operatur impatientiam! Parce, corrige, Benignissime DEUS.

2. Adora

2. ADora D. JESUM & considera quàm providè nobis, pro sustinendis occurrentibus adversis, & periculis disposuerit & auxilia & solatia. In auxilium offert necessarias gratias, meritis suis nobis comparatas: & ipse promptus adest, non solùm inspector & remunerator, sed *Adjutor in tribulationibus.* Psal. 45. Unde Apostolo gloriari placuit in infirmitatibus suis: *ut inhabitet in me virtus Christi.* 2. Cor. 12. In solatium proponit nobis exemplum suum: quòd ipse Rex gloriæ & impassibilis DEUS voluerit longè plura & pejora pati amore nostri, & quidem totâ vitâ. *Si mundus vos odit, scitote: quoniam me priorem vobis odio habuit.* Joan. 15. Proponit voluntatem Patris sui æquissimam: ut hìc patiamur. Unde Joan. 18. arguit Petrum: *Calicem, quem dedit mihi Pater, non vis, ut bibam illum?* Proponit inæstimabile præmium: *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Auge ergo, ô Domine tribulationes: sed adde, obsecro, patientiam.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quod sicut DEUS nobis est *Adjutor in opportunitatibus in tribulatione,* Psal. 9. ita ipsa parata nobis habet subsidia pro tempore opportuno in tribulatione. Egregiè S. Germanus serm. in Assumpt: *Spiritus,* inquit, *tuus ô MARIA, vivit in æternum: omnia observas, omnia intueris, & inspectio tua ad omnia se porrigit:* ut opportuno adsis auxilio & solatio. Aderis ergo & mihi, licèt indigno, ô Gratiosissima: animabis pusillanimem, & debilem confortabis; ut pati lucrum censeam.

Propositum v. gr. *de fiduciali recursu ad DEUM, J. & M. in tribulatione.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur illustri exemplo eadem Providentia.

DAt illud Hieronymus lib. 3. epist: de monacho Malcho, qui suggestionibus dæmonis adductus fuit: ut relicto tantisper monasterio, viseret patriam suam, & superstitem matrem, venditamq; hæreditatem partim erogaret in pauperes, partim consignaret monasterio, partim retineret in suas necessitates. Dissvadebat, reclamabat Abbas, dæmonis eas esse fraudes demonstrans, atq; addens: Ovem de ovili egressam, lupi statim morsibus patere: at profecit nihil. Abijt Malchus de Berœa ad Edessam: sed non longè progressus cum non paucis alijs itinerantibus, interceptus cum ijs est à Saracenis latronibus. Alijs ad alios dominos abstractis, ipse cum fœmina quadam cessit uni, ovesq; pascere in solitudine jussus est. Pavit eas in innocentia cordis sui, exemplo Moysis se solabatur, orabat, psalmos jugiter canebat, gratesq; agebat Providentiæ Divinæ, quod in eremo monachum

invenisset, quem in patria erat pediturus, accepta hæreditate. Sed ô nihil unquam tutum apud diabolum; quem semel in laqueum suum induxit, magis magisq; implicare satagit. Ergo Malchi hero eam injicit mentem: ut quem tempore non modico fidelem utilemq; expertus erat servum, connubio jungeret cum fœmina illa captivitatis socia. Exhorruit miser, ubi mentem suam aperuit herus; ne scilicet DEO devotum contaminaret corpus; at stricto mucrone urgente illo, cedere tantisper furenti est coactus. Duxit igitur in speluncam semirutam, non in matrimonium, novam conjugem; & pronubante mœstitiâ, uterq; detestabatur alterum (nam fœmina virum habebat, aliò abductum) nec fatebatur. Nocte tota diversis affectibus conflictatus Malchus, impar ulteriori conflictui, jam ferrum strinxerat; ut se religiosæ, quam DEO olim consecraverat, pudicitiæ immolaret; tum, Vale, inquiebat, infelix mulier: habeto me martyrem potiùs, quàm maritum; concidissetq; sine mora in vulnus, nisi fœmina ictum elisisset, & per Christi sangvinem obtestata fuisset, atq; pollicita: nihil ex suo consortio castitati ejus accessurum detrimenti. Existimet, ajebat, te maritum herus, Christus noverit fratrem. Sic delinitus Malchus cessit consilio prudenti, nec aliter quàm sorori, castissimè convixit, gratus Divinæ Providentiæ pro socia non minùs pia quàm prudente. Labentes anni identidem misero vellicabant animum, ut ad monasterium rediret: sed alius, quàm per fugam periculosissimam, non apparebat modus. Re diu deliberatâ, & cum socia communicatâ, accingunt se fugæ, atq; in eum finem duos miræ magnitudinis mactant hircos, quorum carnes cederent in viaticum, è pellibus verò conficerentur utres duo, cymbarum loco futuri in trajiciendo flumine. Primo vespere invadunt iter; cùmq; pervenissent ad fluvium, inflatis conscensisq; utribus, commiserunt se aquis, paulatim pedibus subremigantes. Excensione factâ, bibimus usq; ad satietatem (referebat senex Malchus ipse, juveni Hieronymo) futuræ nos siti præparantes: currimus, post tergum semper aspicientes, ne quis insequeretur. Post diem tertium procul aspexerunt duos camelis insidentes concito gradu se insequi; suspicantes herum adesse, in proximam, quam Divina Providentia obtulit, specum se conjecerunt. Timentes autem venenata animalia ibi latere solita, in interiora ejus se recipere non sunt ausi, sed ad sinistram ostij speluncæ in parata ibi fovea se se abdiderunt, vel asylum ibi habituri favente DEO, vel sepulchrum. Quid putas animi fuit miseris, ubi senserunt barbarum dominum ante specum constitisse? Quid? ubi inclamantem audiverunt, ut è latebris prodirent? Ubi viderunt servum, Domini jussu in specum se demittere, ut latentes extraheret,

Dominum verò ſtricto gladio eos expectare in victimam furori ſuo? At ecce ſolatium à Providentia Divina. Vix paſſibus aliquot interiora antri ingreſſus ſervus, inclamaverat: Exite furciferi, exite! quid moramini? herus jubet; dabitis pœnas promeritas; excita clamore leæna, è latebra involat in hominem, & præfocatum (ô quanto terrore in vicino latentium!) trahit ad interiora. Herus non ferens ſervi moras, irâ furens deſcendit & ipſe, relictis camelis, ad antrum, & rabida voce inclamans ſervum, priùs à fera abreptus eſt, quàm fugitivos videret. Liberatis à furore domini, nondum tamen reſpirare licuit: metuebant enim; ne ſimile quid in ipſos irritata beſtia auderet. Sed contra evenit. Leæna enim deprehenſam ſe ſentiens, timenſq; inſidias, raptis propere catulis, erupit; & hoſpitibus vacuum reliquit antrum. Illi tantis periculis defuncti, poſtridie ſub veſperam è ſpecu egreſſi, & occiſi domini camelis atq; annona potiti, DEO Servatori, quas potuerunt, ferventiſſimas humillimaſq; egerunt gratias, ſalviq; in Meſopotamiam pervenerunt. Malchus tot malis eruditus, quid ſit clauſtra deſerere ſe monachis reddidit; ſociam verò ſuam tradidit virginibus: ambo Divinæ multiplici Providentiæ obligatiſſimi vixerunt.

FERIA III. poſt Dom. XX. poſt Pent:

MEDITATIO: *De Providentia DEI, JESU & MARIÆ in Tentationibus.*

I. ADora DEUM O. M. & conſidera benigniſſimam ejus Providentiam in tentationibus, cum quibus conflictamur, & ſolicitamur ad peccandum. Nam 1. ipſe nunquam immittit in nos vel permittit tentationes eo fine, ut peccemus: ſed ut fortiter reſiſtendo coronam mereamur. 2. Dat omnibus & ſemper gratias auxiliantes ſufficientiſſimas, cum quibus reſiſtere poſſimus, & vincere. 3. Non ſinit nos tentari ſupra vires noſtras & auxilij divini nobis conceſſi. 2. Facit: ut tentationes, ſive ſint à dœmone, ſive à malis hominibus, aut propria concupiſcentia, nobis cedant in bonum, & ex ijs lucrum reportemus & gloriam. Expreſſit hæc omnia Apoſtolus 1. Cor. 10. ubi ait: *Fidelis DEUS eſt* (indicat: DEUM fidem ſuam nobis obligaſſe de auxilio neceſſario præſtando) *qui non patietur vos tentari ſupra id, quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione proventum, ut poſſitis ſuſtinere*: ſcilicet cum lucro & gloria. Si enim homines, ut ait S. Ephrem tract. de patientia, ſuis jumentis non imponunt plus oneris, quàm ferre poſſint; multò minus nobis DEUS. Accingamur ergo ad reſiſtendum fortiter Coronabitur, qui legitimè certaverit. 2. Tim. 2.

2. Adora

2. ADora D. JESUM, & considera: eum, quàm avidè expetit victorias nostras, tam providè nos munire contra insidias & assultus tentationum. Non vult nos ignavam & ignobilem vitam agere, sed gloriosam præclarè & fortiter gestis. Unde ipsos Apostolos suos, quàmvis satis occupatos laboribus Evangelicis, non voluit esse omnino immunes à tentationibus: ideoq; uni eorum petenti liberationem à stimulo carnis, non aliud respondit, quàm *Sufficit tibi gratia mea.* 2. Cor. 12. Ipse Dominus tentatorem admisit; ut vinceret, & præluderet victorijs nostris. Quo exemplo motus ascetarum quidam, dolebat, se à tentatione liberatum, & plangebat orans: *Ergone, Domine, non sum dignus, qui patiar, modicumq; affligar & tribuler pro amore tuo?* Est hæc tribulatio maxima animarum DEUM timentium, dum solicitantur ad peccatum. Sed recolamus, quod dicitur Jac. 1. *Omne gaudium existimate fratres mei, cùm in tentationes varias incideritis.* Et; *Beatus vir, qui suffert tentationem: quoniam cùm probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.*

3. VEnerare DEIparam V. & considera: si in tribulationibus corpus afficientibus maternam ejus experimur curam: quantò magis solicita est, dum periclitatur anima? *Nonne anima plus est, quam esca?* Matt. 6. à Joanne Damasc. in Paracl. B. V. appellatur *Auxiliatrix fervens & solicita in tentationibus nostris.* Nam Cant. 6. dicitur *Terribilis*, hostibus nostris, *ut castrorum acies ordinata.* Vincemus ergo providentibus, & protegentibus DEO JESU & MARIA.

Propositum v. gr. *de resistendo fortiter in tentationibus, & recurrendo ad DEUM J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur exemplis eadem Providentia

QUàm & cauti & humiles esse debemus, tum ne incidamus in tentationes, tum ut eas feliciter superemus: insigne documentum, ac Divinæ Providentiæ argumentum, habemus in B. Catharina Bononiensi. Gravissimæ ac diuturnæ tentationi occasionem dedit levis culpa cujusdam præsumptionis. Cùm enim eam importuna quadam cogitatione perturbare conaretur dæmon; advertens illa, quid ageretur, non dubitavit insultare dæmoni, dicens: Artes tuas novi; non poteris deinceps tam subtiliter tentationum tuarum telam contra me ordiri, quin ego illas deprehendam. Displicuit hæc animi præfidentia Domino: ideoq;, ut animam sibi charissimam purgaret, & ad profundiorem animi demissionem, experientiâ propriæ infirmitatis adduceret; providè laxavit paulisper habenas dæmoni, ejusq; tentationibus permisit Catharinam. Induit ergo ille speciem DEIparæ V. & blandè Catharinam

tharinam compellans dixit: Abijce à te vitiosum amorem: purum atq; laudabilem cordi tuo inferam. Credidit illa esse DEIparam: cùm & bonum suaderetur, & ipsa paulò ante à Virgine purum DEI amorem instanter petijsset. Statuit itaq; apud se; amori proprio strenuè bellum inferre, illumq; per proprij judicij abnegationem, & voluntatis subjectionem sub omnem Superioris nutum, edomare, vel plenè conficere. Interea dœmon in ejus animo ingentem cogitationum contra Superiorum ordinationes turbam concitat, atq; ita miseram exagitat: ut nullas concedat inducias. Resistit illa, quantum potest, superiorem adit, bellum intestinum aperit, veniam humi prostrata petit: sed frustra omnia. Cogitationes & judicia contra obedientiam dæmon exaggerat: inde gravis animi perturbatio, pusillanimitates, anxietates, & mœror continuus, qui magnis auctus est incrementis, postquam dæmon in specie Christi D. apparens, cum ipsa graviter expostulavit; quod cor, sibi aliàs plenè oblatum, sacrilegè suffurata esset; siquidem suo adhuc uteretur judicio & voluntate, nec plenè superiorum voluntati acquiesceret. Hortatus deinde illam ad perfectam obedientiam, disparuit: sed intus in animo bellum renovat, tacitis murmurationibus, & alienationibus à Superiore mentem implet, atq; ad eas angustias redigit afflictá: ut nec finem nec remedium ullum reperiret. Adit Superiorem, ad pedes procidit, culpam deprecatur, lacrymis diffluit tam largè: ut deficiente humore aqueo, sangvinem oculis funderet. Apud Christum Eucharisticum vult quærere remedium: verùm & ab eo ita sentit se aversam; ut non sine gravi horrore accederet, imò S. Synaxim prorsùs refugeret. His animi perturbationibus siccato cerebro, fere mente mota est. Totum quinquennium tenuit vexatio: donec verus Christus ei apparens, detexit fraudes & insultus dæmonis, docuitq; : nullam inter hæc ab ipsa commissam culpam, imò veteres esse expiatas, & multa magnaq; merita collecta. *Pædagogus Christ. p. 1. c. 9.* Sic erudit, exercet, & recreat animas Providentia Divina.

Marianæ Providentiæ insigne exemplum præbet *Atlas Marianus lib. 1. in B. V. Messinensi.* In Flandria tres puellæ cum pecoribus pascendis processerunt in campum; mox eas ternio insolentium militum invasit, & quod pretiosissimum habebant, eripere tentavit. Erubuêre, licèt agrestes, fœmellæ; impurosq; non tam Martis, quàm Veneris satellites generosæ rejecerunt, clamorem & accolarum accursum minatæ, si vis inferretur. Urgentibus illis, cùm aliter non proficerent puellæ, remotiores à pago, quàm ut audiri possent: in genua procumbunt omnes, & quo possunt animi ardore Virginum Reginam solicitant in tutelam. Quid expectamus? tonitrua & fulmina? vel de-

hiscentem, & impuros absorbentem terram? O mitissima MARIÆ consilia; & puellis & militibus salutaria! Mira res! Ecce sensim & sine sensu, dehiscente sub genibus orantium terrâ, in sinum primævæ matris leniter descendunt. Jam cingulo tenus demersæ sunt, jam non nisi capita & summæ precantium manus cum humeris eminent, jam ipsa subsidunt capita, cespite sic coëunte, acsi in aqua liquidissima res ageretur. Hærent interim attoniti prodigio milites, Divinam Marianamq; mirantur Providentiam in puellas, Misericordiam in se ipsos: quod vindice terrâ absorbti non sint, & flammis traditi æternis. Ad saniora igitur consilia conversi, divulgant quod contigerat: ipsi in sylvas se recipiunt dignos facturi pœnitentiæ fructus. Virginum verò beatarum intemerata corpora anno 1060 non sine miraculo luci restituit DEUS. Balduini Flandriæ comitis cocus, Landrico nomen fuit, regio morbo jam dudum laborans, in somnis à nescio quo monetur: in sylva vicina (campus antè fuerat) mali remedium quærat; duciturq; interno instinctu ad tumulum Virginum illarum. Ubi fessus viridi super cespite aliquantum quievisset, evigilans abysse malum sensit. Cùm verò nihil cerneret, quod loco illi eam virtutem conciliaret: vicinis rem aperuit, didicitq;: trium sanctarum puellarum tumulum ibi esse, juxta majorum traditionem. Reversus in Galliam homo: quid actum secum esset, recensuit Patronæ suæ Comitissæ Adelhaidi: quæ in Flandriam profecta, jussit cespitem submoveri: & ecce capita primùm & summæ manus, deinde integra flectentium puellarum corpora apparuerunt. Templum ergo eò loci condidit Comitissa, & Virginum protectrici Virgini dedicavit. Cujus & DEI Opt. Max: multiplici Providentiæ sit laus in sæcula; nobis documentum; quò in angustijs & quibusvis tentationibus nos recipere debeamus.

FERIA IV. post Dom. XX. post Pent.

MEDITATIO: *De Providentia DEI, JESU & MARIÆ erga Moribundos.*

I. ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus Providentiam erga Moribundos. Est articulus ille, quo homo consistit in confinio æternitatis beatæ & infelicissimæ, ut periculosissimus, ita maximè observandus. Et quia tunc in homine corporis animiq; vires extremè deficiunt, & hostium invisibilium impugnationes maximè invalescunt, memoria quoq; peccatorum commissorum, & habitus vitiosi contracti ingenti quodam pondere trahunt in ruinam: nisi singularis adsit DEI miserentis Providentia, actum est de salute æterna. Exercet autem tunc DEUS providentiam suam variè, & altissimo judicio. Ordinariè ijs, qui probam egerunt vitam,

vitam, dat gratiam finalem, & mortem felicem; improbis contrà. Subinde ad oſtendendas divitias Bonitatis ſuæ improbum donat morte ſancta; probum permittit ultimæ tentationi ſuccumbere, & interire, ad aliorum terrorem. Quorundam peccata expiat infami morte, & per gladium, rogum, aut furcam expiatos trahit ad cælum: alios morte placida ſinit deſcendere ad infernum. Omnibus dat gratias ſufficientes, ut pœnitentiam agere poſſint: non omnibus ut efficaciter velint. O altitudo finalis Providentiæ divinæ: quàm incomprehenſibilia ſunt judicia ejus! O donum, donorum omnium maximè neceſſarium, Gratia finalis, quomodo obtinebo te?

2. ADora D. JESUM & conſidera: quàm ſolicitè & liberaliter providerit; ut homines feliciter mori poſſint: ſiquidem in eum finem venit in hunc mundum, & pro omnibus mortuus eſt, *ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Joan. 14 Inprìmis creberrimè ſolicitat ad vitã rectè agendã; quæ eſt diſpoſitio optima inter omnes ad mortem ſanctam. 2. Excitat, urget, impellit ad agendam maturè pœnitentiam; per concionatores, libros pios, frequentes & varias aliorum mortes, per inſperatos terrificos eventus, per graves morbos & alia vitæ pericula, per inſtrinctus internos de appropinquante morte. *Facite fructus dignos pœnitentiæ: jam enim ſecuris ad radicem poſita eſt.* Luc. 3. Differre perire eſt. 3 Variorum Sacramentorum inſtitutione proſpexit extremæ neceſſitati; præſertim Sacramento pœnitentiæ, quo mundetur conſcientia; Euchariſtiæ, quo tanquam viatico inſtruatur anima ad iter æternitatis; Extremæ Unctionis, quo reliquiæ noxarum tollantur, & roboremur ad ſupremam luctam. Multiplicavit autem Sacerdotes, qui hæc media facile miniſtrent. Verè, Gratioſiſſimæ JESU, præbenigniſſima Providentia tua perire non poſſum, niſi ipſe velim. Da; ut efficaciter nolim.

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera: ipſam quidem de omni vita noſtra ſolicitam eſſe, ſed maximè de termino ipſius ultimo, à quo pendet æternitas. Parum enim juvat, bene vixiſſe, ſi contingat, malè mori. Nota eſt illi ſententia Filij Matt. 10. *qui perſeveraverit uſq; in finem, hic ſalvus erit.* Abhibet ergo, præſertim erga clientes ſuos, varia, quibus juventur media, impetrat lumina, ſuppeditat auxilia: ne pereat anima. O Domina, monſtra te Matrem, præſertim in hora mortis meæ.

Propoſitum v. gr. *de conferendo ex parte noſtra, quod ad bonam mortem requiritur vel juvat.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur Exemplis ea Providentia.

MOrtis articulus tempus eſt quàm breve, tam periculoſum; in quo agitur

 maxi-

maximum felicis infeliciſve Æternitatis noſtræ negotium. Nihil ad hoc conferre poſſunt temporales amici, nihil opes & ſatellites, nihil verſatile ingenium, aut multa magnaq; potentia. Felix, cui Divina & Mariana favet Providentia. Novit ipſa non ſolùm juſtos deducere per vias rectas; ſed etiam periclitantes peccatores educere de medio iniquitatum, atq; ad beatum perducere finem.

Moritur magnum Eccleſiæ columen Ambroſius: & ecce cœlitus inſonante voce, monetur Honoratus Epiſcopus Vercellenſis; ut migrantem Divino inſtruat viatico. Idem Viaticum moriturus petijt S. Bonaventura: ſed ſumere illud prohibebat ingens ſtomachi, nihil retinere volentis, nauſea. Petijt ergo illud ſaltem in ſacra pyxide ad ſe deferri; ut vel aſpectu vivifici panis refici poſſet. Allatam pyxidem, ex magno ſumendi deſiderio, jubet lateri ſuo admoveri: & ecce ſubitò in formam rubentis roſæ latus infirmi aperitur; Divinum vero Corpus ultro ſe ſe in apertum latus immiſit, nullo poſt aperturæ relicto veſtigio. Similis gratia Divinæ Providentiæ contigit viro Nobili Maſſiliæ; qui cùm ſumere non poſſet, ſaltem ſupplex adorare voluit præſentem ſub ſpeciebus Euchariſticis Dominum. Adeſt igitur Sacerdos cum Hoſtia ſacra; qua dum infirmo benedictiouem dare cupit; videt illico pectus ægroti aperiri, ſacramq; Hoſtiam è manibus ſuis evolare in cor ægroti. Quod etiam eveniſſe Ottoni Imperatori ſcribit *Walſingamus in Hypodigmate Neuſtriæ.*

B. Lydvinæ Virgini Salvator ipſe, ideq; ſummus Pontifex, Extremæ Unctionis Sacramentum miniſtrare dignatus eſt. Morti enim vicina vidit D. JESUM cum SS. Matre ac duodecim Apoſtolis, & plurimis Angelis ad ſe ingredientem: menſulam quoq; inſtructam, & in ea ſacri olei vaſculum elegantiſſimum, crucem quoq; pulcherrimam, & cereum valde luculentum, totũ cubiculum colluſtrantem. Erat tuuc corpus Virginis innumeris doloribus à vertice uſq; ad pedes oppreſſum: & ecce ſentit ab ipſo Salvatore, Sacerdotalibus induto veſtibus, loca corporis ſui omnia perungi, prout in moribundis ſolent. *Ex* Vita lib. 3. c. 11.

Quomodo ad peccatores quoq; moribundos, eoſq; ab omnibus deſertos, extendit ſe Providentia Divina; patet ex non paucis barbaris in media barbarie mirabiliter adjutis. In Vita P. Joſephi Anchietæ S. J. Viri Apoſtolicis laboribus & prodigijs celeberrimi in Braſilia, refertur lib. 2. quòd, cùm de more viſitaret converſos ad fidem; forti quodam inſtinctu interiore abſtractus à ſocijs, in ſylvam ſe receperit profundiorem, quàmvis ipſe tunc neſciret, in quem finem. Et ecce in ſenem Braſilum, ſub arbore proſtratum, & ægre

ſpiran-

ſpirantem, incidit: qui cum Patrem advertiſſet; Perge, perge, ajebat, huc adire: jam enim diu te hìc expecto. Quærit Pater: Quis? unde ſit? ad quid eò venerit? Reſpondit ſenex: *ſe veniſſe; ut rectam viam perciperet.* Quo loquendi modo ſignificant Braſili Divinam Legem, & iter ad ſalutem æternam. Cognovit autem Pater ex ipſius narratis: eum eſſe ex remotiſſimis Braſiliæ partibus, ad quas eo tempore Evangelij prædicatio nondum pervenerat: ac proinde non niſi Divino ſorti inſtinctu, vel voce cæleſti eò miſſum, ad percipiendum Baptiſmi Sacramentum. Excuſſa diligenter per omnes ætates ejus vita & actionibus, imò cogitationibus, anima planè innocens, & nullius lethalis actualis peccati rea, deprehenſa eſt. Nullam, niſi unicam, ſe habuiſſe uxorem dixit, nunquam bellum ſeu arma, niſi ſui defendendi cauſâ ſuſcepiſſe &c. & cùm Fidei noſtræ articuli ei proponerentur, dicebat: ita ſe ſenſiſſe pridem, ſed exprimere non potuiſſe. Collectis igitur ex herbarum folijs, reſiduis pluviæ guttis in illo deſerto, baptizavit hominem Pater, atq; Adamum vocavit. Senſit ſenex virtutem quandam ſpecialem operantis Sacramenti; ideoq; læto vultu, oculis manibuſq; in cælum levatis, Divinæ Bonitati gratias dixit; & ne quid ad ejus felicitatem deeſſet, Vixit. Stupuit Pater ſenem hunc infantem, eodem fere momento natum & denatum: atq; inter laudes mirabilis Providentiæ Divinæ, ut potuit, tumulavit ibidem.

Simile contigit P. Stephano Fabri in China. Dum enim percurrit provinciam Jamhien, vidit in medio flumine hominem à ſtomacho aquis eminentem immotum. Quærit à comite: quid hoc ſibi velit? Audit; eſſe hominem ob graviſſima ſcelera ad hoc damnatum: contrita eſſe illi & comminuta pedum & crurium oſſa, & ipſum inſidere ſaxo. Si quis pietate motus ei fruſtillum panis objiciat, inde vitam illi prorogari, donec deficiat: prope jam per menſem eum hoc tormento cruciari. Pater miſericordiâ tactus, oculos in cælum levat; & à DEO, donari ſibi hanc animam poſtulat. Tum aquam ingreſſus, loqui ei de DEO vero & æterna ſalute cœpit tanta efficaciâ: ut homo magna ſigna credentis & dolentis dederit. Ergo illum in ipſo, & ex ipſo flumine baptizat. Vix digreſſo Patre, alter ex mortali vita in portum æternæ beatitudinis feliciter, ut credere licet, appulit. *Bartoli in China lib. 4.*

FERIA V. poſt Dom. XX. poſt Pent:

MEDITATIO. *De Providentia DEI, JESU & MARIÆ per SS. Angelos.*

I. ADora DEUM O. M. & conſidera: ipſum Providentiam ſuam circa res creatas, præſertim homines, exercere potiſſimùm per Ange-

los; qui propterea ab Apostolo Heb. 1. vocantur *Administratorij Spiritus*. Quàmvis enim DEUS omnia agere posset per se ipsum: congruum tamen est, & Supremæ Majestati magis honorificum; ut mundum gubernet adhibito decenti ministrorum officio, & obsequio, ad quod Angeli naturâ suâ maximè sunt idonei. Ex ordinatione igitur Providentiæ divinæ & communi SS. PP. aliorumq; Doctorum sententia, Angelorum munus est 1. Custodire singulas rerum creatarum species, præsertim humanam, & in hac homines singulos ita: ut singuli singulos habeant Angelos custodiæ suæ, maximè contra insidias & vires dæmonum, deputatos: ut indicavit Christus ipse Matt. 18. *Angeli eorum*, parvulorũ, *semper vident faciẽ Patris mei.* Et Psalmista Psal. 90. *Angelis suis DEUS mandavit de te: ut custodiant te in omnibus vijs tuis*; idq; non solùm quo ad animam, sed etiam corpus. Quod admodum accuratè & reverenter faciunt: *In manibus portabunt te* &c. 2. Regere homines, illuminando, abducendo à peccatis, incitando ad exercitium virtutum, præsertim ad timorem & amorem DEI. 3. Præesse integris communitatibus, v. g. regnis, provincijs, civitatibus; &c. prout colligitur ex Daniel. c. 10. ubi mentio fit de Custodibus Persarum, Græcorum, & Israelitarum. 4. Opportunè castigare delinquentes. *Ecce ego mittam Angelum meum, qui præcedat ante te &c. observa eum, & audi vocem ejus, nec contemnendum putes: quia non dimittet, cùm peccaveris.* Exod. 23. Benedictus DEUS O. M. qui sic honoravit, & munivit genus nostrum! *Benedicite Domino omnes Ageli ejus, potentes virtute, facientes verbum illius.* Psal. 102.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quoq; per Angelorum ministerium exercere Providentiam suam circa homines. Nam etiam ipsius sunt administratorij spiritus; eiq;, etiam ut Homini, propter hypostaticâ Unionẽ plenè subjecti. *Profectus est Christus in cælum, subjectis sibi Angelis, & Potestatibus, & Virtutibus*; inquit Apostolorum princeps 1. Pet. 3. Afficiuntur autem sublimes illi spiriritus nunc teneriore charitate, & majore quadam reverentiâ erga homines, postquam Unigenitus DEI factus est homo, & in ipso ac Matre ejus, natura humana evecta est super omnem Angelorùm Hierarchiam. Unde Angelus ille Apoc. 19 non admisit profundiorem quandam adorationem à S. Joanne Evang: dicens: *Conservus tuus sum, & fratrũ tuorum, habentium testimonium JESU.* Benedictus D. JESUS, Princeps generis nostri: propter quem in tanto respectu apud Angelos sumus lutea vasa, & viles terræ vermiculi!

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut potentissimam Angelorum Reginam; cujus nutum observant omnes eorum chori, gaudentq;

dentq; imperio. Recole, quæ potes, particularia ab Angelis accepta beneficia: & scito; ea tibi obvenisse, non solùm Christi, sed etiam Matris ejus dispositione: quorum una est potestas, imperium unum. Quid jam rependemus Optimo DEO, Christo, & Matri ejus pro tanta per Angelos Providentia? Quid ipsis Angelis? Cogita, & fac.

Propositum v. gr. *de gratitudine reali rependenda DEO, J. & M. & S. Angelis pro ministerio eorum.*

LECTIO PRACTICA.

Quid debeamus SS. Angelis præsertim Custodibus nostris?

POstquam Archangelus Raphael Tobiam Juniorem salvum & luculenter locupletatum reduxit domum: de gratitudine solicitus, pater quærit ex filio: *Quid possumus dare Viro isti sancto qui venit tecum?* Tob. 12. Non minùs solicitus filius, de eadem re consulit patrem. *Pater, quam mercedem dabimus ei? aut quid dignum potest esse beneficijs ejus? - Peto te, pater mi, ut roges eum; si fortè dignabitur medietatem de omnibus, quæ allata sunt, assumere?* Multò magis solicitos nos facere debent longè plura majoraq; beneficia tum corporalia tum spiritualia, quæ ab Angelis Sanctis à primò vitæ nostræ momento percepimus, & usq; ad ultimum percepturi sumus.

Primum, quod eis præstemus grati animi argumentũ, suggerit ipse S. Raphael loco cit: *Benedicite DEUM cæli, & coram omnibus viventibus confitemini ei: quia fecit vobiscum misericordiam suam.* Nihil gratius SS. Angelis accidere potest, quàm si videant nos imitari ipsos in ferventer amando & laudando DEUM. Unde S. David Psal. 137. *Confitebor,* ait, *tibi Domine in toto corde meo: quoniam audisti verba oris mei. In conspectu Angelorum psallam tibi: adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.* Est enim Angelorum officium: non solùm per se perrenne trisagium canere DEO: sed etiam piorum orationes & laudes divinas offerre DEO. Unde Apoc. 8. dicitur: *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de Orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum DEI: & ascendit fumus incensorum de Orationibus Sanctorum de manu Angeli coram DEO.*

Alios tres Gratitudinis debitæ actus suggerit nobis S. Bernardus *Serm: super* Psal. Qui habitat: ut scilicet eis exhibeamus *Reverentiam pro præsentia, Devotionem pro benevolentia, Fiduciam pro Custodia.* Exhibenda inprimis *Reverentia* pro præsentia; ut nihil agere præsumamus, quod Angeli præsentis, & omnia videntis atq; audientis, dedeceat personam. *In quovis diversorio,* inquit Bern: cit: *in quovis angulo Angelo tuo reverentiã habe. Tunc audeas illo præsente,*

sente, quod vidente me non auderes? Exhibent quidam Angelo suo Custodi eã reverentiam: quòd, dum manè surgunt è strato, facta DEO Servatori & Matri ejus profunda submissione, etiam Angelum suum, à dextris sibi consistentem, submissè venerentur. Nonnulli dum homines obvios aperto capite salutant, etiam ad Angelum eorum Custodem id humanitatis officium dirigunt. Itinerantes autem dum ad civitatem vel pagum aliquem accedunt, cum P. Petro Fabro S. J. Angelũ Cust: ejus loci salutant, & venerantur &c.

Deinde *Devotionem* pro benevolentia, qua nos S. Angeli Cust: prosequuntur, requirit S. Bern. quam præstant multi, Officium parvum de S. Angelo Cust: aut alias certas preces quotidie recitando: in Festo eorum singulari devotione Communioné sacram sumendo, vel Sacrificium offerendo: subinde se recolligendo; quidnam ab ipsis S. Angelus Cust: requirat? Quæ maximè velit peccata, & peccandi occasiones vitari? quàm virtutem tali tempore exerceri? curantq; ut se morigeros præbeant & promptos ad vota & instinctus ipsorum. Id enim disertè requirit DEUS ipse Exod. 23. *Ecce ego mitto Angelum meum ante te, qui præcedat te & custodiat in via &c. Observa eum, & audi vocem ejus; nec contemnendum putes quia non dimittet, cùm peccaveris; & est nomen meum in illo.* Est hic fundamentalis & principalis SS. Angelorum cultus; sine quo alij non multum placent. Religiosi Ordinis Minimorum, cùm post DEIparam V. principalem habeant Ordinis sui Patronũ S. Michaelem Archangelum, in solemnitate ipsius solemne habent; in gratiam ejus mutuo sibi condonare, si quæ irrepserunt, offensiones & offensiunculas omnes. Juvenis quidam Constantinopolitanus, Falco dictus, ut refert Ximenius, Patriarcha Hierosſ. lib. 3. c. 8 de Nat: Ang: eo cultu demerendum sibi putavit S. Angelum Cust: ut voto facto, nunquam mentiretur, etiam in periculo vitæ. Contigit: ut alium quendam clam occideret. Nesciebatur homicida: Falco tamen ex levibus quibusdam conjecturis tractus est ad Judicem. Evadere poterat, fortiter negando; nemo enim erat, qui sufficienter probaret. Memor tamen voti sui, ultro confessus est homicidium: ideoq; gladio addictus. Cùm expectaret fatalem ictum, ingentem concepit fiduciam in præsenti ope S. sui Custodis: nec delusus est. Angelus enim lictorem minaci vultu absterruit, ne ferire posset. Submissus alter & tertius, qui exequeretur sententiam: sed neutri plus licuit, quàm priori Ergo consangvineus quidam occisi, consentiente Judice, furibundus stringit ensẽ in Falconem: verùm & is minaci vultu Angeli territus, non solùm abstinuit à cæde, sed reo veniam liberaliter dedit. Falco ut pro recenti beneficio, DEO & Angelo ejus solidè gratum se præberet: mores, statumq; vitæ mutavit, Religionem ingressus.

Ex his

Ex his facile præstabimus tertium, quod requirit S. Bern: scilicet *Fiduciā* pro Custodia: ut in cunctis necessitatibus nostris fidenter ad SS. Angelos Cust: recurramus. Nam & volunt, & possunt juvare. *Fideles sunt, prudentes sunt, potentes sunt: quid trepidamus?*

FERIA VI. post Dom. XX. post Pent:

MEDITATIO: *De Providentia DEI, JESU & MARIÆ per Sanctos.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum magnam partem Providentiæ suæ exercere per Sanctos, tam qui gratijs & meritis divites excesserunt ex hac vita, quàm qui adhuc peregrinantur à Domino. Plurima enim beneficia sua non aliter spargit in terras, quàm per manus ipsorum & inductus precibus, quas fundunt pro clientibus suis: ut ita commendet fidem eorum amoremq; in se, & honoret amicos suos. Facit etiamnum quotidie, quod olim fecit in terra Hus, quando lingvosis amicis patientissimi Job placari noluit, nisi ipso intercedente, *Job servus meus orabit pro vobis: faciem ejus suscipiam: ut non vobis imputetur stultitia.* Job. 42. Unde filij Israel irruentibus Philisthæis convenerunt Samuelem supplices 1. Reg. 7. *Ne cesses clamare pro nobis ad Dominum DEUM nostrum, ut salvet nos de manu Philisthinorum.* Ipse quoq; Apostolus Rom. 15. compellat fideles: *Obsecro vos Fratres, ut adjuvetis me in orationibus vestris apud DEUM pro me.* Faciunt hoc etiam in cælo Sancti; prout de Jeremia Propheta pridem defuncto testatur Machabæorum historia lib. 2. c. 15. *Hic est Fratrum amator, & populi Israel: hic est, qui multùm orat pro populo, & universa Sancta civitate.* Jungamus preces nostras, & cum Sanctis puras ad DEUM manus levemus. Fortior est plurium charorum oratio.

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quoq; in ministros Providentiæ suæ passim assumere Sanctos suos: & per ipsos non ordinaria solùm spargere dona, & obvios præstare effectus; sed planè prodigiosos. *Amen amen dico vobis: qui credit in me* (fide per charitatem operante) *opera, quæ ego facio, & ipse faciet; & majora horum faciet.* Joan. 14. Est autem observatione dignū, quàm scitè inter ipsos distribuerit munia Providentiæ suæ: dum alios his, alios alijs regionibus, aut civitatibus dedit Patronos; hunc istius, illum illius gratiæ voluit esse dispensatorem. Sic S. Antonium Patavinum rerum perditarum restitutione fecit celeberrimum: S. Rocho gratiam contulit curandi epidemiam, S. Liberio Episc. donum solvendi calculum, S. Blasio Ep. munus juvandi epilepticos; S. Ignatium Lojolam eximium fecit spectrorum fugâ, & ope parturientibus crebrò præstitâ, S. Franciscum

Xaverium peste abacta, & mortuorum suscitatione: alios alijs honoravit prærogativis mirabilis & gloriosus in sanctis suis JESUS, constituens eos super familiam suam; *ut dent illis in tempore tritici* id est selectarum gratiarum, *mensuram* Luc. 12.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsam frequenter Providentiæ suæ executores facere Sanctos. Sic captivorum redemptionem commisit SS. Petro Nolasco, Raymundo Pennafort, & Raymundo Nonnato: per S. Joannem Eleemosynarium pupillum quendam, qui se maternæ ejus provisioni commendaverat, mirè ditavit: per B. Odoricum morienti cuidam Viaticum Eucharisticum misit &c. Non deest Providentiæ Marianæ minister, aut modus nos juvandi: modò nobis non desit fiducia ad ipsam recurrendi.

Propositum v. gr. *de adhibenda Sanctorum interventione & operâ apud DEUM, J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur Exemplis ea Providentia.

REfert Jacobus de Voragine in Vita S. Andreæ Apost. quem Varmia nostra ut Principalem Patronum meritò veneratur: Episcopum quendam religiosam vitam agentem, in præcipuo honore habuisse S. Andream Apost: ita; ut cunctis suis actionibus hanc præmitteret intentionem: *Ad honorē DEI, & S. Andreæ.* Tetendit Viro huic integerrimo insidias dæmon, speciemq; formosæ mulieris indutus convenit domi suæ Episcopum, prætendens: se ei velle confiteri. Amandavit eam ad Pœnitentiarium suum. Sed illa renuit alteri credere secreta cordis sui. Ubi auris ipsi concessa fuit; Obsecro, inquit, Domine mi, miserere mei. Filia potentis regis in habitu peregrino compareo: pater enim meus rex alteri potenti principi cùm me in conjugium tradere vellet, urgeretq; minis gravibus recusantem, utpote uni Christo desponsatam; ego non dubitavi exulare magis, quàm datā sponso meo fidem infringere. Audiens autem Sanctitatis vestræ præconium, sub alas vestræ protectionis confugi, sperans, me apud vos reperturam cum securitate commoditatem DEO ac Divinis vacandi. Movit Episcopum hæc fœminæ fortuna, forma, eloquentia, & optima intentio: ideoq; non tantùm securam esse jussit: sed etiam sibi prandenti assidere voluit. Inter prandendum, in plurium tamen assidentium conspectu, dum vir bonus crebriùs, quàm decebat, in fœminæ faciem conjicit curiosos oculos; altiùs in corde, ut solet, accipit vulnus. Jamq; prope aberat: ut columna domus DEI procumberet in ruinam; cùm ecce Peregrinus quidā fores pulsat, urgetq; aperiri. Prætendunt famuli, prandium nondum esse absolutum;

solutum; urget ille, ut quantocyus cum Episcopo loquendi, sibi copia fiat. In tanta importunitate quærit Episcopus ex muliere: an homo sit admittendus? Respondet illa: non esse admittendum, nisi quasdam solvat quæstiones à se proponendas: non enim convenire: ut rudes stolones ad mensam Episcopalem admittantur. *Prima* quæstio erat: Quodnam sit maximum miraculum, quod DEUS in re parva sit operatus? respondit peregrinus: esse diversitatem & elegantiam facierum humanarum. In vultu hominis sensus omnes resident, nec ullus alteri per omnia similis est. Plausum tulit responsum. *Secunda:* Ubi terra sit altior omni cælo? Respondit: In ea parte cæli Empyrei, supra quam residet Christus, cujus corpus instar nostri, de terra originaliter sumptum est. Iterum applauserunt omnes. *Tertia:* Quantum sit spatij è terra ad cælum? Peregrinus nuncio reposuit: Ad hanc quæstionem respondeat ipse, qui proposuit: nemo enim melius responderit. Nam ipse spatium illud mensuravit, quando de cælo in abyssum inferni decidit. Exhorruerunt omnes hoc audito: præstigiator autem confusus evanuit. Episcopus cognito periculo suo, altùm ingemuit; & peregrinum introduci jussit: sed reperiri amplius non potuit. Sequente nocte comparuit ipsi, docuitq; se esse Andream Apostolum, & graviter heri periclitanti subsidio venisse. Sic Divina Providentia per Apostolum prospexit homini, quem incauta pietas pene perdiderat.

Initio sæculi sexti supra decimum incidit in fatalem morbum Vicarius Avenoniensis, vir quidem à puero DEIparæ V. & S. Ignatio addictus: sed occalluerat, vivendo solutiùs, adversùs instinctus DEI acriter admonentis. Invocat ergo, quàm potest ardentissimè, Dominam & Patronam suam, allegans pietatis officia ipsi constanter exhibita: Adfuit illa quidem ægroto spectabilis; sed vultuosa, & aversanti quàm exorabili similior: imò graviter exprobrabat mores corruptos, addens: pietatis officia sibi exhibita, ex contaminato animo profecta, nihil gratiæ meruisse. Sic confusum reliquit. Ille Sacerdotem è Societate advocat, vitæ errata à puero retexere orditur: sed vi morbi perficere non potuit. Luctanti cum febri iterum se spectandam præbuit Virgo, sed cum comite S. Ignatio, & Filio suo, cujus lateris vulnus Mater manu contegere videbatur. Majorem intulit infirmo mœrorem hoc visum, quasi fons misericordiæ sibi jam occlusus esset. Interim Ignatius procidit ad pedes Virginis, pro ægro ardenter supplicat, atq; fidejussorem se exhibet: quòd vitam omnino sit emendaturus, atq; ut servum decet MARIÆ, victurus. His mota Virgo, vultu benigniorem se exhibet, interrogatq; ægrum: quomodo vitâ, si diuturnior concedatur, sit usurus? Ille flens ac tremens, Non aliter, inquit, ô Domina, quàm Fidejussor meus Ignatius est pollicitus. Ad hæc Virgo im-

mersa Filij lateri sacra manu & sangvine educto ægrotum inunxit: atq; momento sanitati perfectæ restituit; quàm donare noluit, nisi interveniente Ignatio. *Bartoli in Vita l. 5. n. 66.*

Resselij in Prussia Varmiensi homini perdito Divina Providentia subvenire voluit operâ S. Francisci Xaverij. Erat is huic Sancto singulariter addictus: sed adversis urgentibus & gravi tentationi impar decrevit vitam laqueo concludere. Jamq; pendebat infelix (& quidem eo planè tempore, quo Pater, Confessarius ejus, cui pridie se commendaverat impensè, ad aram S. Xaverij pro ipso operabatur) cùm repentino dolore tactus, V. DEIparæ & Patroni Xaverij opem ardenter implorat: & ecce adspectabilem habet Sanctum, feralem funem sine mora abrumpentem. Liber, ad templum Collegij illico advolavit, & rei seriem Confessario narravit: ex cujus ore hæc accepi anno 1673. 23. Octob. Honorat nimirum Divina Providentia Sanctos suos: dum sine opera ipsorum sæpe renuit subvenire.

SABBATO post Dom. XX. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Providentia DEI, JESU & MARIÆ per Superiores aliosq; Directores.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: hunc esse morem ejus ordinariũ & perpetuum; ut homines regat per homines perducatq; ad fines à Providentia sua constitutos. Quemadmodum in cælesti Angelorum Hierarchia, Angeli superiores illuminant & dirigunt inferiores, voluntatem DEI, & res agendas eis manifestando: ita inter homines vult DEUS eundem servari ordinem, tum ad exercitium humilitatis, dum alter alterius directioni subjicitur; tum ad mutuam fovendam charitatem, tanquam inter membra subordinata. Hinc quàmvis populi sui ex Ægypto educti Dominus ipse Dux fuerit, Deut: 32. non tamen per se, vel per Angelum ei loquebatur, sed per Moysen. Et Malach. 2. ex ore Sacerdotis vult peti legem, & modum agendi: *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore ejus requirent: quia Angelus Domini exercituum est*, illuminans & dirigens. Vide igitur, quàm dirigibilé te præbeas Superioribus, alijsq; Directoribus tuis: ne divinæ Providentiæ resistas, dum ipsius ministrorum directionem recusas.

2. ADora D. JESUM, & considera: etiam ipsum secundùm suavitatem Providentiæ suæ disposuisse; ut homines dirigantur per homines etiã in rebus salutem æternam concernentibus. Act 9. apparuit ipse Saulo persecutori, lumine cælesti circumfusus, sed quo Saulum excæcaret. Prostrato, & ad omnem nutum præbenti se morigerum, *Domine, quid me vis facere?* non aliud

liud respondit, quàm *Surge & ingredere civitatem, & dicetur tibi*, scilicet ab Anania, non ab Angelo aliquo, *quid te oporteat facere*. Nec prius corporis aut mentis lumen accepit, quàm Ananias discipulus eum conveniret, & instrueret. Cornelio quoq; probo Centurioni cùm Act. 10. Angelus adstitisset, poterat eadem operâ ipsum fidei mysteria, & viam salutis docere, commodiùs & compendiosiùs; at ille: *Mitte viros in Joppen, & accerse Simonem* (Petrum) *hic tibi dicet: quid te oporteat facere*. Paruit illico Cornelius, & Petro docilissimũ se discipulum exhibuit. At nos quàm tardos ad consulendum, quàm difficiles ad obsequendum facit superbia nostra? Proprium judicium pro oraculo habemus, invertentes ordinem Providentiæ Divinæ.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; Providentiam suam communiter exercere per Superiores aliosq; directores conscientiarum, illuminando eos: quæ suadeant, vel quomodo disponant de hoc illove cliente suo. Imò non rarò perplexis aut gravatis in conscientia, vel anxijs de statu vitæ eligendo, spectabilem se se exhibens, remisit eosdem ad certam nominatim personam, à qua DEI & suam voluntatem discerent, vel conscientiæ tranquillitatem obtinerent. Quàm providi erga nos DEUS, J. & M.! quàm incurij nos in exequenda eorum voluntate! Parcite Amores mei. Magis morigerum deinceps habebitis.

Propositum v. gr. *de accuratiùs observanda Superiorum, & Patrum spiritualium Directione.*

LECTIO PRACTICA.

Quantum juvet: aliorum directioni se submittere præsertim in Spiritualibus.

COngenita est plerisq;, præsertim generosioribus animis, arrogantia quædã; ut putent; se sibi sufficere tam in temporalibus, quàm in spiritualibus animæ negotijs. Sed planè oppositum docet ratio & experientia, atq; Sapientum oracula. Ratio quidem: quia aciem mentis valde habemus non solùm limitatam in se; sed etiam hebetatam & valde obscuratam & perturbatam, tũ pravis affectibus, præsertim amore proprio, tum vitiosis actibus: adeòq; sæpe nec veritatem, nec convenientiam rerum & negotiorum, prout oporteret, attingimus seu assequimur. Plures oculi plura vident. Hinc videmus: etiam summos principes, belli duces, & civiles magistratus suæ prudentiæ & peritiæ non fidere; sed uti aliorum consilio. Nam juxta Divina oracula, Prov: 13. *Qui agunt omnia cum consilio, reguntur sapientiâ.* Et Eccli: 32. *Fili, sine consilio nihil facias: & post factum non pœnitebis.* Et Prov. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ.*

Rationem dat Seneca ep. 110. ubi ait: Proderit sapiens aliquando sapienti. Suadebit enim, impetum dabit illi, occasiones actionum honestarum commonstrabit.

strabit. Præter hæc aliquas suas cogitationes exprimet; docebit, quæ invenerit, & quo animus ejus excurrat. Præterea quorundam illi notitiam tradet; non enim omnia sapiens scit; etiamsi sciret, breviores vias rerum aliquis excogitare posset, & has indicare, per quas facilius totum opus circumfertur. Atq; ita incipiet alter sapere securior, & extra metum positus feriari. Plus enim homines in alieno negotio vident, quàm in suo. *Ita Seneca.* Accedit: quod, si negotium non bene successerit, minus ei imputabitur, qui ex aliorum consilio & directione egit, quàm si egisset ex mente sua solius.

Porro à temporalibus validum ducitur argumentum ad spiritualia. Si enim in rebus etiam humanis censent sapientes; verè prudentis esse, suæ ipsius prudentiæ minimè fidere, præsertim in rebus suis, quarum homines animo perturbato fere boni judices esse non possunt: quanto major in causis personisq; spiritualibus cautio est necessaria; cum longè gravius sit spiritualis viæ periculum, *dum sine frenis consilij discretionisq; in ea decurritur?* inquit S. P. N. Ignatius in ep: sua de Obedientia: adducitq; illud Cassiani in Collat: Abbatis Moysi: *Nullo alio vitio tam præcipitem diabolus Monachum pertrahit ac perducit ad mortem; quàm cùm neglectis consiliis Seniorum, suo judicio persuaserit definitionig; confidere.* Quod de monacho dicitur, cadit in quemvis etiam alium, quoad gravia animæ aut officij sui negotia. Unde universaliter pronunciat Augustinus lib. 14. de Civit: c. 14. *Ubi dixisti: Meus sensus sufficit mihi; ibi defecisti. Ubi tuo consilio placuisti; ibi perijsti.*

Ratio est 1. Quòd qui sibi ipsi sufficiens videtur, & ordinaria non adhibet media: meretur destitui à Providentia Divina, utpote cujus ordinem invertit, seu illi se non accomodat. 2. Facile ipsum deludunt Amor proprius alijq; pravi affectus. 3. Facilius dæmon talem in casses suos inducit, & arbitratu suo circumducit. Hinc dum aliquem circumvenire studet: prima illi cura est; ne cogitationes, quas ingerit, prodantur coram Superiore vel alio prudente Directore. Agit nimirum circa animam, ut observat S. P. N. Ignatius in Libello Exercit: Spir: quod lascivi solent circa puellam aut conjugatam quam seducere laborant: procurant nimirum omni diligentiâ ne sui conatus & illicia prodantur parentibus vel marito. Non negavit id dæmon ipse, ut refert S. Dorotheus Serm: 5. quando obvius factus S. Macario Antonij Magni discipulo, & interrogatus: Quomodo à suis Monachis tractaretur? Respondit: *Pessimè.* Quia statim ac mala aliqua cogitatione illos pulso, Superiori eam detegunt. Sed inter illos unus me quàm optimè habet; quem ego vicissim turbinis instar susq; deq; prout voluero, verso & reverso; quiq; nutui meo paret per omnia. Cujus Monachi nomen cùm dæmon indicasset; convenit ipsum Sanctus, comperitq;

Patri

Patri Spirituali tentationũ suarum rationem non reddere, sed occultas tenere. Quocirca apud Veteres Patres, imò & recentes Ascetas, hoc semper pro primo principio, & quasi alphabeto, atq; primis Rudimentis, habitum est: suæ prudentiæ non fidere; Tentationes, præsertim graviores & diuturniores, sincerè aperire; & alterius viri periti, præsertim à Superioribus constituti, directioni humiliter se submittere. Non erubuit S. Carolus Borromæus, quàmvis non Regularis, & à DEO illuminatissimus, rerumq; spiritualium peritissimus, hanc doctrinã in praxim deducere. Quoties enim faciebat Exercitia Spiritualia S. Ignatij (faciebat autẽ annis singulis, & postremo vitæ tempore bis in annum) & in alijs spiritualibus negotijs; semper aliquem è Nostris Directorem petebat, & omnia sua cum ipso communicabat. Præclarè S. Basilius Orat de felic: *Profectò divina quædam res est Consilium. Est namq; animi conjunctio, charitatis fructus, mentis demissæ demonstratio.*

DOMINICA XXI. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Justitia DEI, JESU & MARIÆ.*

I. ADora DEUM O. M. & considera Justitiam ejus, in omni genere, quo ei competere potest, æquissimam. 1. Est in eo Generalis quædã Justitia, quæ dicit collectionem omnium virtutum, à qua homines eximiè probi & sancti appellantur *Justi. Non est autem Sanctus, ut est Dominus* 1. Reg. 2. Est enim ipsa & infinita sanctitas. 2. Est in eo tanquam Supremo Principe Justitia Distributiva: in quantum non dat indignis dignitates cælestes, sed vacua Angelorum subsellia distribuit idoneis. *Non est personarum acceptor DEUS: sed in omni gente, qui timet eum & operatur Justitiam, acceptus est illi.* Act. 10. Ad fidem & gratiam vocat ex sola misericordia: ad gloriam ex quadam Justitia. 3. Est Justitia Commutativa: in quantum laboribus alijsq; meritis hominum rependit mercedem & præmium omnino æquale, imò multùm excedens. *Non enim injustus est DEUS: ut obliviscatur operis vestri & dilectionis.* Heb 6. Deniq; 4. est & Justitia Vindicativa: in quantum peccata non sinit impunita, nec in pœnis excedit. *Cuncta quæ fiunt, adducet DEUS in judicium pro omni errato.* Eccli: 12. An prædictæ species Justitiæ, ut sunt in DEO, sint in rigore tales: scholasticæ disputationis est; hìc confitendum Domino; quoniam *Justus es Domine, & rectum judicium tuum.* Psal. 118.

2. ADora D. JESUM, & considera eum, etiam ut Hominem, prædictis Justitiæ speciebus instructissimum. Est in ipso perfectissima virtutum omnium divinarum & humanarum collectio. Unde in Scriptura S. per excellentiam appellatur multoties *Justus*, & Sanctus. Et æquitas summa in cælestium

cælestium sedium distributione, quæ ad ipsum, etiam ut hominem, pertinet: *Vado parare vobis locum.* Joan. 14. Est Justitia Commutativa & Vindicativa. *Præcepit nobis prædicare populo*, inquit Petrus Act. 10. *& testificari: quia ipse est, qui constitutus à DEO Judex vivorum & mortuorum. Ut referat unusquisq;*, addit Paulus 2. Cor. 5. *propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* In mortali corpore vivens inter homines noluit exercere judicialem potestatem, qui judicari venerat, non judicare: at in glorioso *Justitia cingulum lumborum ejus.* Isa: 11. & jam *Pater omne judicium dedit Filio.* Joan. 5. O quanta felicitas: quod DEUM-Hominem Judicem habeamus homines! Maturè tamen caveamus: ne ipsi pereamus de via justa; & pro misericordia provocemus vindictam.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsi quidem perfectissimè competere Justitiam Generalem, complectentem virtutes omnes; uti etiam propensissimum animum ad tribuendum cuiq; jus suum; insuper tenuia obsequia, sibi præstita, remunerari non solùm ad æqualitatem, sed cum grandi excessu: Justitiam Vindicativam tamen in ea vix apparere. Ut enim Pater, ita Mater, omne judicium dedit Filio. At in nobis, quàm multum vindictæ, quàm parum Justitiæ? Corrige Domina.

Propositum v. gr. *de amanda & timenda Justitia Divina.*

LECTIO PRACTICA.

Quomodo nobis imitanda Justitia Divina.

PErfectio Divinæ Justitiæ consistit in eo: quod Cuiq; quod suum est, reddat, plenè, citò, & libenter. *Cuiq;* suum reddit, juxta illud 2. Cor. 5. *Omnes* nos manifestari oportet ante tribunal Christi: ut referat *unusquisq;* corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum. *Plenè* reddit seu ad æqualitatem; teste Psalmographo Psal. 95. Judicabit orbem terræ *in Æquitate*, & populos *in veritate* sua. *Citò* reddit: id est, quàm primùm tempus reddendi advenerit: ac deniq; *Libenter* reddit, juxta illud Matt: 20. *Cùm serò autem factum esset; dicit Dominus vineæ procuratori suo: Voca operarios; & redde illis mercedem.* Non distulit in hebdomadam sequentem, vel diem; nec expectavit, ut ipsi venirent operarij, exigentes mercedem: sed *Voca*, inquit, *Operarios, & redde.*

Et nos igitur oportet, quod suum est, reddere. I. *Cuiq;*; Cæsari quod Cæsaris, & DEO, quod DEI est; & alijs debitoribus, quod illorum est. Nimirum, ut declarat Lohner in Biblioth. Tit: 80. §. 9. *DEO* amorem, reverentiam, obedientiam, gratitudinem. *Sanctis* Cultum, fiduciam, imitationem. *Superioribus* reverentiam, & obedientiam. *Parentibus* pietatem, honorem, & gratitu-

gratitudinem; *Benefactoribus* beneficiorum gratam memoriam, recognitionem, & compensationem, *Senioribus* & *Majoribus* observantiam, Æqualibus concordiam & affabilitatem; *Pauperibus* compassionem, misericordiam & eleemosynam. Deniq;, idq; primò & principaliter, Creditoribus debiti exsolutionem. In Bohemia, repudiato Ferdinando I. Imp: naturali gentis Rege, hæresis elegit sibi in regem Fridericum Electorem Palatinum, proscriptis Religiosis omnibus, sacrisq; profanatis. Nec solùm cogitatum non est de restitutione, verùm & plura rapinæ destinata. Sed quod Palatinus Bohemiq; neglexêre, una dies anno 1620. abunde præstitit. Nam prope Pragam Palatinus cum Bohemis à Cæsarianis memorabili prælio fusi sunt eo die, quo in Evangelio apud Catholicos legebatur: Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ sunt DEI DEO. *Brachelius lib. 1. Hist: sui Temporis.*

II. Reddendum *plenè*, ad æqualitatem, nec obolo detracto. Nam *Justè quod justum est, persequêris.* Deut: 16. Hinc Robertus III. Scotorum rex, Romæ coronatus, cùm per iter oppido aliquo excederet, vocatos per præconem obsoniorum venditores ac œnopolas rogabat: num quispiam ex aula sua, non reposito omnium emptorum pretio, abivisset? Compensabatq; ad amussim, si quid desideraretur. *Henric. Boet: lib.* 16. Refert Phillippus de Berlaymont ex Paradiso puerorum, & Spec: Exemp. dist: 9. puerum novem annorum ob non solutos novem nummos Hallenses, quos mutuò acceperat à familiari, in purgatorij maximis pœnis fuisse. Nam ut Matt: 5. dicitur: inde non datur exitus, *donec reddas novissimum quadrantem.*

III. Reddendum *citò*: sine multa procrastinatione, & ne te ultimus opprimat dies non soluto debito. Non tantùm negata, sed etiam diu dilata merces operariorum clamat in cælum, nec surdas ibi invenit aures. Idem de alijs creditoribus, præsertim si aliquid inde damni ipsis emergat, aut justum lucrum cesset. In Hispania P. Augustinum de Espinosa S. J. noctu convenit anima cujuspiam defuncti, sæcularis, quem ille ante aliquot dies ad mortem disposuerat; rogavitq;: ut secum veniret ad ædes suas. Pater significavit id Rectori Collegij: annuit Rector, sed ipse cum Socijs convocatis, tam diu coram Ven: Sacramento precibus insistebat pro felici rei tam miræ successu, donec Augustinus rediret. Domum cùm ventum esset; defunctus Patri certam quantitatem auri dedit, unà cum charta, in qua scripta erant nomina creditorum, quibus ille aliquid debebat: ut eis redderet, quantum isthic notatum esset, reliqvum verò in alia pia opera expenderet. Deinde Patre domum reducto, disparuit: redijt autem post octo dies, significans de liberatione sua è purgatorio, & pro præstita opera, præsertim Sacrificijs, gratias egit. *Nadasi in Anno Dier. Mem: S. J. 4. Febr.*

IV. Reddendum *Libenter*. Speciem enim beneficij habet Justum, citò & libenter redditum. Jucundum est, quod S. August: bis refert: nempe hom: 9. ex 50. & Serm. 21. de verb. Apost. Mediolani, ubi tunc præsens erat Augustinus, pauper quidam, sed vir honestus invenit sacculum cum 200. solidis: & quia vir probus erat, publicari curavit, quod invenerat. Comparente eo, qui perditum sacculum amarè plangebat, signisq; editis, libenter ei omnia restituit. Ille plenus gaudio, ut gratum se præberet, velut decimas obtulit inventori solidos viginti. Renuit hic accipere: urget ille, sed frustra. Ergo rogat; ut saltem quinq; accipiat: noluit. Ergo indignabundus projecit sacculum: Nihil perdidi, ait, si non vis aliquid à me accipere. *Quale certamen Fratres mei* ait Aug. *quale certamen, qualis conflictus! Theatrum mundus, spectator DEUS!* Victus tandem inventor, accepit, quod offerabatur; sed continuò totum pauperibus erogavit. Qui sic reddidit, sic dispersit: Nonne Justitia ejus manet in sæculum sæculi?

FERIA II. post Dom. XXI. post Pent:

MEDITATIO: *De Justitia DEI, JESU & MARIÆ remunerativa bonorum operum.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: eam esse ipsius in remunerandis bonis operibus nostris Justitiam; ut potiùs Misericordia vel Liberalitas dicenda videatur. Ipse enim nos undequaq; impotentes ad actum aliquē meritorium ponendum, ex mera gratia & misericordia sua supernaturalibus instruit auxilijs; ipse torpentes excitat, & incitat, infusis prævijs luminibus intellectûs, & motionibus voluntatis; ipse operantibus cooperatur tanquam causa principalis & verus author operis boni; ut meritò fateatur Apostolus 1. Cor. 12. quòd *nemo potest dicere* (meritoriè) *Dominus JESUS, nisi in Spiritu S.* Imò, quòd *sufficientes non sumus cogitare aliquid* (salutiferum) *à nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex DEO est.* Deinde, cùm vera simus DEI mancipia, & nos omniaq; bona & opera nostra innumeris & maximis titulis ipsius Majestati sint debita, atq; obligata: quid est, quòd in eo fundare possit titulum Justitiæ in ordine ad remunerationem? Et tamen Apostolus loquitur fidenter Heb. 6. *Non enim injustus est DEUS, ut obliviscatur operis vestri.* Quasi aliàs, si oblivisceretur, injustus esset. Nam & operibus nostris bonis rationem veri meriti tribuunt Divinæ literæ; & gloria æternâ, quâ eadem remuneratur DEUS, dicitur *Merces*, Bravium, Corona Justitiæ. Profectò *Justitia tua*, Benignissime DEUS, *sicut montes DEI*: Psal. 35. quis eam intellectu assequatur? *Justitiæ tuæ rectæ, lætificantes corda*: Psal. 18. quis eas non diligat!

diligat? At nostræ, quàm exiguæ, quàm pravæ? Pudet!

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum quoq; justissimum pariter ac benignissimum esse Remuneratorem operum bonorum. Non solùm enim adæquat illa præmio suo: sed illud agit, & urget continuò: ut habeat, quod remuneretur. Poterat nobis per infinita merita sua gloriam cælestem obtinere, ut merum donum, merè gratuitò conferendum: verùm maluit, ut titulo nobis glosiosiore conferretur, nimirum titulo *meriti*: quemadmodum ipsummet eam mereri oportuit, licet alijs titulis debitam sibi. In hunc finem variè inter homines dispensat talenta sua: ut inde sibi faciant lucrum, & Domino fœnus; Matt: 25. reportaturi justam mercedem, si illis strenuè usi fuerint; reprehensionem & pœnam, si nihil lucri tulerint. Unde & in judicio extremo vocans justos ad possessionem regni cælestis, non offert illud, ut merum liberale donum, sed ut præmium meritorum: *Esurivi enim, & dedistis mihi manducare &c.* immisericordibus autem negat illud ob defectum talium meritorum. *Justus Dominus, & justitiam dilexit!* Psal. 10. multiplicemus merita: & multiplicabit coronas Justitiæ.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsam cultum sibi à nobis exhibitum admittere ut meritum; eiq; omnino ad æqualitatem commensuratam rependere remunerationem. Regina est magnificentissima & amplissimi cordis: gaudet obligari: nec sua, sed clientum suorum lucra quærit. Nostrum est servire ipsi gratis: faciet ipsa, quod sibi honorificum, nobis utile erit.

Propositum v. gr. *de reponenda DEO, J. & M. gratitudine pro acceptis ab illis.*

LECTIO PRACTICA.

De remunerandis officijs & obsequijs nobis exhibitis.

SEneca, ut multa alia, ita illud rectè scripsit lib. de beata vita. c. 24. *Errat, si quis existimat: facilem rem esse donare. Plurimum ista res habet difficultatis: si modò consilio distribuitur, non casu & impetu spargitur. Hunc promereor, illi reddo: huic succurro, hujus misereor, illum instruo. Quibusdam non dabo, quàmvis desit: quia etiamsi dedero; erit defuturum. Quibusdam offeram: quibusdam etiam inculcabo.* Nimirum si quis liberalem agere velit, & negligere justitiam aut gratitudinem: is & laudem liberalis amittit, & stigma injusti vel ingrati acquirit.

Cogitandum inprimis de remunerandis competenter amicis, famulis, alijsq; qui officiosa quadam, eâq; reali humanitate nos persecuti sunt, aut aliquid indebiti obsequij detulerunt: deinde videndum; an facultates se extendant, & quantùm, ad spatia Liberalitatis. *Omnes homines æquè diligendi sunt*, inquit

Augustinus lib. 1. de doctr. Christ: c. 18. *Sed cùm omnibus prodesse non possis, his potissimùm consulendum est, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, constrictiùs tibi, quasi sorte quadam, conjunguntur.* Quibus ergo specialibus officijs & obsequijs obstricti, & devincti sumus, primi apertā manum sibi vendicant; idq; non solùm quantum debitum remunerandi exigit; sed etiam præ cæteris liberalitatem provocant, si quid liberaliter est spargendū. Hinc duo distingvit Cicero lib. 1. de Offic: genera Liberalitatis: unum est in dando beneficio, alterum in reddendo. Illud in nostro est arbitrio: hoc negare non licet viro bono; siquidem sine gravi damno præstari possit.

Quod scripto docuit Cicero, facto ostendebat Leo X. Pontif. Max. Cùm enim, teste Jovio lib. 4. in ejus Vita, ad nullam rem ardentiùs & effusiùs anhelaret, quàm ad liberalitatis gloriam: eorum tamen primas gerebat curas, qui vel minimum remunerationis titulum præferebant. Magnum igitur veteranorum militum alebat numerum; & si quid etiam ab infimæ sortis hominibus munusculi accepisset; liberalissimè remunerabatur. Hinc iter faciens tanta agrestium populorum lætitia atq; gratulatione accipiebatur: ut cuncti ejus adventum vel fertilissimis messibus fertiliorem se sentire, faterentur; utpote qui senibus & pueris effusis in viam ac rustica munera offerentibus, largissimâ manu respondebat, imò quanam in re ipsis gratificari posset, ultro inquirebat.

Non defuit suo muneri hac in parte etiam Assverus rex Persarum & Medorum. Cùm enim nocte quadam ex lectis Imperij sui Annalibus didicisset (Esth. 6.) quomodo Mardochæus Judæus detexisset insidias sibi à duobus Eunuchis paratas; quæsivit confestim: Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus consecutus est? Ubi cognovit: nihil adhuc eum accepisse; sine mora jussit eum vestibus regijs indui, & imponi super eqvum suum, & accipere regium diadema super caput suum, & à primo principe regni deduci per præcipuam urbis plateam cum acclamatione festiva: Sic honorabitur quemcunq; rex voluerit honorare. Indecens enim etiam barbaris cultioris ingenij semper visum est, non remunerari largè quantumvis debita subditorum officia: cùm terra pauca, quæ accipit grana, messe larga remuneretur. Mirum proinde est, politioribus his sæculis virtutem hanc fere obsolevisse: & veteribus amicis, famulis, alijsq; bene meritis fere non meliorem exhiberi remunerationem, quàm vetulis & strigosis equis.

Quid faciemus cum inferentibus nobis injurias & damna: si tam illiberales sumus in benefacientes? Quomodo satisfaciemus mandato Domini, præcipientis Matt. 5. *Benefacite his, qui oderunt vos?* Justo rubore nos aspergunt gloriosi Martyres, qui accusatores & percussores suos noluerunt esse non remuneratos.

neratos. S. Jacobus Apostolus, Joannis frater, ei à quo ad tribunal tractus fuerat in loco supplicij fraternum fixit osculum, & lauream Martyrij impetravit. S. Cyprianus Martyr & Episcopus jussit spiculatori, se ferienti, viginti quinq; aureos dari. Alij, quorum maturior virtus, in neminem alium magis beneficos se præbent, quàm qui molestiæ, vel injuriæ aliquid ipsis intulerunt. Si ad hunc perfectionis gradum non festinamus: saltem bene de nobis meritis ut beneficijs respondeamus, par est. Eleonora Mantuanorum Dux pro agrestibus, artificibus, & similis sortis hominibus frequenter orabat eò; quòd ipsorum labore & sudore viverent principes, *Quis non erubescat, gratiam bene de se merenti non referre: cùm videat etiam bestias refugere nomen ingrati?* S. Ambros. lib. 6 hexam. c. 4.

FERIA III post Dom. XXI. post Pent:

MEDITATIO: *De Remuneratione operum bonorum à DEO, JESU & MARIA, adhuc in hac vita.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm promptus sit Remunerator operum bonorum. Angelis qui fideles ei manserunt, deficiente cum suis Lucifero, confestim contulit Visionem beatificam, & gloriam æternam: ut paucis momentis fuerint in statu viæ. Hominibus probis non differt omne præmium in alteram vitam, ut improbi quidam existimant: verùm in hac etiã vita largissimè remuneratur omnia & singula, quantumvis exigua, opera in gratia facta propter ipsum. Si aliud præmium deesset; Semper infallibiliter, & eodemmet momento, remuneratur ea per augumentum Gratiæ sanctificantis, & omnium habituum supernaturalium, residentium in anima (ut *qui justus est, justificetur adhuc.* Apoc. ult:) & per jus ad majorem gloriam in cælo. Quod præmium immensùm majus est, quàm omnes omnino thesauri mundi, & dignitates. Deinde varijs consolationibus & benedictionibus tempore opportuno replet bene operantes, prout ipsis magis conducit. Ipsorum reproborum opera, saltem moraliter bona, non negligit: sed compensat liberaliter in hac vita prosperis successibus & bonis temporalibus; quemadmodum diviti illi Luc. 16. dictum: *Recepisti bona in vita tua.* Quis non serviat fideliter, non laboret strenuè tam prompto & largo Remuneratori?

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum etiam promptissimum esse ad præstandam bene operantibus partem remunerationis adhuc in hac vita. Relinquentibus propter ipsum patrem, matrem, fratres, vel domos, agros &c. grande nimis proposuit præmium Matt: 19. Vitam æternam, & sedes judiciarias in judicio extremo. Grandis merces! sed non tota. *Centuplum*

adjecit *in hac vita*: ne quis tædio afficeretur diuturnioris expectationis. Quod centuplum non solùm verificatur secundùm interpretationem S. Hieronymi: in quantum dimittentibus carnalia, tribuuntur spiritualia, *quæ comparatione, & meritò suì ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur*: sed ipsa etiam temporalia non raro centuplo redduntur; ut patet in Religiosis, qui pro uno patre, vel fratre, aut domo relicta, tot recipiunt in hac vita, quot habet Religio Superiores, procuratores, fratres, domos &c. ubiq; enim inter suos, & quasi in suo versantur. Deniq; nemini tædium pariat quasi dilata remuneratio: audiat ipsum Dominum Apoc: 22. *Ecce venio citò, & merces mea mecum est, reddere unicuiq; secundùm opera sua.* Veni Domine JESU, veni citò.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm promptè & ipsa soleat remunerari præstita sibi obsequia. Salutata ab Elisabeth, quantis gratijs sine mora & matrem & filium replevit? Invitata ad nuptias in Cana Galilææ, quàm prompto & opportuno beneficio impetrati vini prodigiosi, respondit humanitati? Scit cælestes thesauros sibi commissos esse; non ut servet, sed liberaliter eroget. At ego, ô Domina, si quid boni egi, non aliud nunc præmium peto: quàm ut multa & ardua agam, patiarve pro DEO meo.

Propositum v. gr. *de majore studio augendi merita apud DEUM, J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur Exemplis Remuneratio illa.

GRassante gravi fame in Britannia minore, concurrit ad S. Ivonem Parochi munere ibidem fungentem magna famelicorum copia; quibus ipse pro posse suo subveniebat promptè ac libenter. Quadam die egressum è templo comitata est multa egentium, etiam Spiritualium turba: quos omnes mensæ suæ adhibuit, & unicum, quem domi habebat, panem apposuit, donec plures emerentur in civitate. Cœpit interim hospitibus liberaliter dividere panem illum. Quod cernens famulus, monuit herum: ut parciùs distribueret, & suorum etiam haberet curam: se enim jam biduo tolerasse famem, nec ampliùs posse. Ut homini satisfaceret Ivo, tertiam illius panis partem ipsi præbuit: quam ille cistæ diligenter inclusit; sed cùm prandere vellet, panem, quem pauperibus communem nolebat, evanuisse deprehendit: atq; indignabundus è domo se proripuit. Accumbentibus cæteris, adfuit præ foribus admodum speciosa puella, tres ferens in canistro optimè conditas placentas: Intellexi, inquiebat, Dominum Parochum pati panis defectum nec venalem acquirere in civitate. Dignetur proinde in suum & hospitum suorum usum paucas admittere placentulas. Rogavit Sanctus: unde veniret? At illa: Parum refert: vos fruamini

donis DEI, & ipsum laudate grati. His dictis, accessit mensæ, placentas apposuit, & Sancto assedit. Conversi sunt in eam mox omnium oculi, apparuitq; semper eò speciosior, quò diutiùs aspiciebatur. Paulo post abitura surrexit, & per fores clausas egressa, indicavit: quænam & unde fuerit. Ivo igitur. Eja, ait, Domini Fratres, læti sumite prandium: quod Dominus famulis suis paravit. Cùm placentas gustassent, sapor quidem cælestis prodidit, non ex terreno illas prodijsse furno. Dulciores super mel & favum, videbantur, ut manna Isrreliticum, omne delectamentum gustûs in se habere, reficiebantq; mirificè non corpora solùm, sed animas magis: ut toto vitæ tempore convivæ illi quendam illarum gustum retinerent. Sic remuneratus est Dominus liberalitatem Ivonis, famuli verò castigavit parcitatem: ut & cibarium suum panem amiserit, & cælestes placentas non gustârit.

Alio tempore itineranti eidem Sancto cum pluribus Parochianis suis, occurrit mendicus, de fame per aliquot dies tolerata conquestus. Cui Sanctus: Dilecte Frater: nec panem habeo præsentem, nec peccuniam, qua te juvem. Ne tamen te inanem dimittam; accipe hoc caputium meum (erat enim tertiæ Regulæ S. Francisci) & pro eo vendito panem tibi procura. Lætus & gratus abijt mendicus. Et ecce post iter unius horæ apparet in aëre miro splendore Angelus, videntibus socijs omnibus, & rectâ tendens ad sanctum, capiti humerisq; ejus caputium suum induit. At ille in terram procidens, & pectus percutiens indignum se eo honore testabatur: deinde conversus ad socios monuit; ne parci essent elemosynarum, quæ talem ac tantam etiam in præsenti vita, ut oculis ipsi viderunt, habent remunerationem. *Cochem lib. 3. hist: in vita S. Ivonis.*

Jucundum est, quod de B. Hermanno Josepho Ord. Præmonstr. refert idē ibid. Is adhuc parvulus, ex institutione piorum parentum, teneram conceperat pietatem insignemq; fiduciam erga V. DEIparam: solebatq; ex simplicitate puerili ad imaginem ejus in ara propositam, deferre, si quid sapidioris edulij nactus esset. Contigit: ut speciosum pomum sibi donatum haberet, judicaretq; dignum planè hoc munus futurum cæli Regina & Filio ejus. Ergo ad templum properat, miro candore & confidentia Statuæ Virginis pomum offert, & commendat tanquam gustu suavissimum. Videns autem Statuam non protendere manum ad acceptandum, in amaras solutus lacrymas: Accipe, inquiebat, ô Domina, munusculum meum; cur pauperem aspernaris? Si ipsa edere nolis, Filiolo tuo præbe; re vera dulcissimum est, quòd offero, pomum. Non potuit ampliùs se continere Mater pulchræ dilectionis, quin protensa Statuæ manu acciperet munusculum, Hermanno diffluente præ gaudio. Sed non hic

stetit

stetit Virginis favor. Cùm parentibus pueri non suppeteret tantùm æris, ut parvulo vel calceos, vel scholæ necessarios compararent libellos: DEIpara ipsi ostendit lapidem quendam, sub quo semper tantum inveniebat nummorum, quantum præsens necessitas exigebat; domi quoq; indicavit locum, ubi modica fossione aurum inveniretur, sublevandæ paupertati parentum sufficiens. Insuper copiam ludendi cum filiolo suo & parvulo Baptista, non semel fecit Hermannulo. Adultiorem coram Angelis solemniter accepit in Sponsum, & Josephum vocari voluit. En quam liberaliter compensatum est pomum.

Quodsi hæc puerorum pia videntur crepundia: recolamus, quàm largè remuneratus sit DEUS hospitalitatem exhibitam Prophetis suis Eliæ & Elisæo à pijs matronis; & triadi Angelorum ab Abrahamo: ut nihil dicam de præmio attentatæ immolationis filij. Facit nobis DEUS digna se; modò nos faciamus digna DEO.

FERIA IV. post Dom. XXI post Pent.

MEDITATIO: *DEO, JESU & MARIÆ, liberalissimis in remunerando, serviendum gratìs.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: inter primos, & fundamentales fidei nostræ articulos esse hunc; quod DEUS Remunerator sit. Apostolus enim Hebr. 6. cùm dixisset: sine fide impossibile esse placere DEO; mox subjunxit: *Credere enim oportet accedentem ad DEUM, Quia est, & inquirentibus se Remunerator sit.* Tam infirmus enim & pravus in statu naturæ lapsæ est homo: ut, quàmvis DEI existentiam & excellentiam omni possibili cultu dignissimam, perspectam habeat, facile neglecturus sit ejus cultum, nisi pro certo habeat: eum Remuneratorem fidelissimum & æquissimum esse cultûs sibi præstiti. Nec diu abstinebit ab illius offensa: nisi ei constet, Vindicem esse severum injuriarum sibi irrogatarum, & neglecti cultus sui. Qua consideratione etiam Vir secundùm cor DEI identidem se excitabat ad parendum mandatis divinis: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Psal. 118. Et DEUS in Scripturis sacris passim ingentibus promissis allicit homines ad amorem & cultum suum. Est igitur non solùm honestum, servire DEO propter Remunerationem: sed plurimùm juvat, præsertim in magnis difficultatibus & afflictionibus, respicere ad ingentia præmia, quæ DEUS proposuit fidelibus servis suis. O Benignissime DEUS, quantis machinis nos trahis ad obsequium & amorem tuum! Sed longè potentiùs ipsa tua in remunerando liberalitas adigit nos: ut serviamus tibi gratìs.

2. Adora

2. ADora D. JESUM, & considera: quòd, quàmvis ipse quoq; creberrimè propositis amplissimis præmijs invitaverit homines ad exercitia virtutum, etiam pro calice aquæ frigidæ liberalem promittendo mercedem Marc: 9. excellentiorem tamen alium operandi modum nos docuit; ut scilicet de præmio seu mercede non soliciti, declinemus à malo, & faciamus bonum, quia ita DEUS vult; quia dignus est DEUS, propter quem id faciamus, illud omittamus. Seu ut operemur bonum non tanquam mercenarij, sed tanquam Filij, in id unicè intenti, ut placeamus Patri, honorem ejus tueamur, bona ampliemus: ut suavissimum habeat gustum in nobis & moribus nostris. Hæc est medulla & apex Christianæ perfectionis: hæc Maxima doctioris discipuli Christi: Amandus & colendus est DEUS propter DEUM; sive in cælo, sive in inferno futuri simus. Da Gratiosissime JESU ut in praxim reducam tam sublimem sapientiam; & tibi fideliter serviam purè propter Te,

3. VEnerare DEIparam V. & considera: familiarissimum ipsi fuisse hunc operandi modum; nec aliud magis à clientibus suis eam desiderare, quàm ut DEO velint servire gratìs, exemplo Jobi: qui spoliatus à DEO bonis omnibus, refutavit calumniam Satanæ, ostenditq; se *frustra* timere DEUM: id est, non propter bona temporalia. Excita & in me, ô Domina, tam generosam & liberalem in DEUM mentem.

Propositum v. gr. *de serviendo gratìs DEO, JESU & MARIÆ.*

LECTIO PRACTICA.

Quomodo DEO serviendum gratìs.

SOlicitus quærit Thomas Kempensis l. 2. c. 11. de Imit: *Ubi invenietur talis, qui velit DEO servire gratìs?* Et addit: *Raró invenitur tam spiritualis aliquis, qui omnibus sit nudatus.* Multi existimant; se DEO jam servire gratìs: quando eliciunt aliquem actum amoris Divini, quo dicunt; se amare DEUM, non propter infernum vitandum, nec propter cælum acquirendum, sed propter puram ejus Bonitatem: interim autem alibi ex cultu & obsequio DEI quærunt, & expectant lucra quædam & commoda sua, sive in Religione, sive extra Religionem, Numquid hoc est servire DEO gratìs? Quæ prudentia; non colere DEUM, vel illi servire propter cælum, seu gloriam æternam; servire autem eidem propter lucrum, seu commoditatem temporalem?

Servire igitur DEO gratìs, est 1. Servire illi, non propter mercedem aliquam temporalem. Hoc enim illiberale est, & non ingenuum: & malè audiunt Mercenarij in Evangelio, Joan. 10: Nam sicut ibi dicitur de mercena-

rio pastore: quod videns lupum venientem, dimittit oves, & fugit; quia mercenarius est: ita non pauci mercenarij cultores ac servi DEI parati sunt quidem hunc vel illum cultum seu obsequium exhibere: sed non sine stipendio seu mercede temporali. Hi nimirum non tam DEO, quàm sibi serviunt: siquidem se ipsos respiciunt ut finem; cultum verò DEI adhibent ut medium sibi acquirendi aliquid: quod est satis inordinatum. *Nonne amatores sui magis, quàm Christi probantur, qui sua commoda & lucra semper meditantur?* ait Kemp: cit: Ut ergo hujusmodi inordinatio evitetur: Ministri Ecclesiæ, qui annua, vel quotidiana sua habent stipendia seu pensiones, non suscipiant peragantq́;, oportet, functiones in Ecclesia spirituales v. g. cantum in choro, conciones aut Missas, propter acquirendum tale stipendium; sed admittendum est pretium ad honestam sustentationem; ut commodè sustentati, possint commodè exercere illas functiones ad DEI gloriam, & bonum animarum. Non enim suscipi debet Officium propter beneficium: sed contrà beneficium propter Officium: ut temporalia ordinentur tanquam media ad spiritualia ut finem; ne tam indecens committatur inordinatio. Et sic etiam Stipendiarij & Pensionarij Ecclesiæ possunt DEO servire gratis, & non cum stigmate mercenariorum.

2. Servire DEO gratis, est non quærere in cultu & obsequio DEI popularem auram, seu vanam gloriam. Parum refert, sive propter terram, sive propter auram DEO servias: DEUS vult, & debet coli propter se, & non propter aliquid temporale, quidquid illud sit. Accedit: quod appetitus vanæ Gloriæ valde infamis sit. S. Basilius Constit: monast. c. 10. ait: *Inanis gloria est dulcis spiritualium operum exspoliatrix, jucundus animarum nostrarum hostis, blandissima bonorum nostrorum deprædatrix.* S. Gregorius lib. 22. Mor. *Quasi latrunculus est,* inquit, *appetitus laudis humanæ: qui recto itinere gradientibus ex latere jungitur, ut ex occultis educto gladio gradientium vita trucidetur.* Deniq; servire DEO seu actionem aliquam piam exercere propter inanem gloriam, est illudere DEO, & ex Christiano fieri discipulum Pharisæorum.

3. Servire DEO gratis, est non intendere placere Prælato, seu Superiori; Quia per hoc placendi studium quæritur amor Prælati, seu Superioris: consequenter ut ab illo promoveamur, vel alia commoda obtineamus: adeòq; non servitur DEO ex toto corde, & humero utroq;. *Quid adulationis unctio, nisi donorum emunctio?* inquit Alanus apud Lohn. v. Adulatio. Deinde hoc placendi studium est multæ invidiæ, & magni odij in communitatibus quibusvis seminarium: nec est verus cultus DEI, sed putida adulatio erga Prælatos.

4. Servire igitur DEO gratis, est nihil aliud intendere in cultu & obsequio Divino,

Divino, quàm ut honoretur, & glorificetnr DEUS propter se ipsum: quia scilicet per se dignissimus est. S. Augustinus tom. 8. in Psal. 53. *Gratuitum sit*, ait, *quod amatur, & quod laudatur. Quid est gratuitum? Ipse propter se, & non propter aliud.*

Advertendum autem: quòd etiam dum honoramus, colimus & amamus DEUM ut Liberalissimum Remuneratorem; illum colere & amare possim9 propter se ipsum amore perfecto amicitiæ, & non concupiscentiæ: si nimirū affectu ita constitutus sim, ut sim ei delaturus omnem cultum & amorem, etiamsi nihil prorsus remunerationis perciperem, quam profundit in alios. Ipsa enim infinita ejus benignitas & liberalitas, quæ est dos ejus, seu perfectio intrinseca, per se amabilis est, etiamsi nullus effectus ejus exterior derivaretur ad me.

Serviendum ergo DEO O. M. omnino gratìs. Et numquid magnum est, ut tibi, DEUS meus, serviam, cui omnis creatura servire tenetur? ait Kemp. lib. 3. de Imit: c. 10. *Non magnum mihi videri debet, servire tibi: sed hoc potiùs magnum & mirandum apparet: quod tam pauperem & indignum digneris in servum recipere, & dilectis servis tuis adunare. - Verè Dominus meus es, & ego pauper servus tuus, qui totis viribus teneor tibi servire, nec unquam in laudibus tuis fastidire. Sic volo, sic desidero: & quidquid mihi deest, tu digneris supplere.*

FERIA V. post Dom. XXI. post Pent:

MEDITATIO: *De Remuneratione Justorum à DEO, J. & M. in die Judicij.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: in quo respectu & honore apud ipsum futuri sint Justi (sive qui innocentem vitam egerunt, sive qui peccata commissa per pœnitentiam seriam ritè expiârunt) in terribili illa universalis Judicij die. 1. *Mittet Angelos suos cum tuba & voce magna, & congregabunt Electos ejus à 4. ventis.* Matt. 14. Congregabunt *electos* Angeli boni: nam reprobos tergiversantes rapient ad judicium dæmones. 2. Justi resurgentes statuentur ad dextram Judicis, improbi ad sinistram. Matt. 13. *Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio Justorum; sicut pastor separat oves ab hœdis: & statuet quidem oves à dextris, hœdos autem à sinistris.* 3. Justorum corpora erunt gloriosa & splendida; impiorū fœda, graveolentia, æternis cruciatibus exponenda. 1. Cor. 15. *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.* 4. Impij quærent latibula, ut fugiant à facie Judicis: Justi attollentur in altum, ut gaudentes occurrant Christo. *Rapiemur in nubibus obviā*

 Christo

Christo in aëra. 1. Thessal. 4. Felicem sortem Justorum in die illa tremenda! Quis illam non optet? At non gaudebit sorte justorum, qui non vixerit vitâ illorum. Tempus est; tempus! ut seriò convertamur ad Dominum. Paulò pòst *tempus non erit ampliùs.* Apoc. 10.

2. ADora D. JESUM, & considera: quo solatio & honore afficiet justos in illa die. 1. Quando apparebit signum Filij hominis in cælo, id est, Crux ejus, & plangent omnes tribus terræ: Matt. 24. tunc inexplicabili gaudio perfusi Justi, salutabunt cum S. Andrea triumphale illud signum: *Salve crux pretiosa &c.* 2. Cùm venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo: Matt. 25. levabunt justi capita sua, & gaudebunt; quia appropinquat redemptio & glorificatio ipsorum. 3. Quando impij *venient in cogitatione peccatorum suorum timidi; & traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum: tunc stabunt Justi in magna constantia adversùs eos, qui se angustiaverunt* Sap. 4. & 5. id est, adversus dæmones & homines malos. 4. Quando impij dicent montibus; cadite super nos: tunc justi sublimes in nubibus exultabunt in gloria; & assidentes Judici, judicabunt homines & Angelos. 1. Cor. 6. Deniq; desideratissimam illam ex gratiosissimo Judicis ore excipient sententiam (ô quanta exultatione!) *Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Matt. 25. pergetq; Amabilissimus JESUS eorum enumerare merita: *Esurivi enim &c.* Beati, beati, beati, quibus horribilis illa dies tam læta, tam gloriosa veniet! Consule tibi Anima mea.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsam, tanquam totius mundi Reginam judicio illi universali adfuturam, & Judici Filio proximè assessuram. Cogita, quo affectu feretur in justos, quàm sereno vultu dignabitur clientes suos? O Domina, nunc, nunc te exhibe Patronam & Matrem; ut securus veniam ad tribunal illud Filij.

Propositum v. gr. *ita vivendi: ut magis desideres, quàm timeas diem Judicij extremi.*

LECTIO PRACTICA.

Spes remunerationis æternæ alacres nos reddere debet in agendo & patiendo.

STudium serviendi DEO gratis, de quo in hesterna Lect: actum, & spes remunerationis æternæ bene se compatiuntur: cùm non opponantur sibi privativè vel contrariè: sed sint duo actus positivi, quorum prior magis alter minùs est perfectus: uterq; nobis perutilis. Is est enim genius fragilitatis nostræ: ut non raro magis juvetur subsidijs minoribus, quàm majoribus, seu excellentioribus. v. g. Tentantur tres, & trahuntur ad vitium luxuriæ. Proponuntur omnibus motiva tria, ut abstineant; scilicet Bonitas Divina, dignis-

sima

sima quæ non offendatur, Præmia ineffabilia castis parata in cælo, & tormenta incomparabilia, quæ luxuriosos manent in Inferno. Ex tribus illis tentatis, unus efficaciter movetur hoc, alius alio motivo: imò sæpe contingit; ut idem homo habens ante oculos omnia tria illa motiva, nunc hoc efficaciter moveatur ad abstinendum, nunc illo; aliquando nullo. Bonus igitur DEUS, ut non minùs suaviter, quàm fortiter consuleret infirmitati nostræ, pluribus veluti machinis, scitissimè attemperatis, nos avertere studet à malo, & impellere ad faciendum bonum.

Inter has machinas seu motiva, non postremum locum habet spes Remunerationis copiosissimæ atq; æternæ: qua se solari in magna tribulatione, vel excitare ad magnos labores, consueverunt homines probi. Sic de Moyse scribit Apostolus Hebr. 11. *Fide, Moyses grandis factus, negavit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo DEI, quam temporalis peccati habere jucunditatem: majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in Remunerationem.* Hac nimirum excitatus, malebat contemptum & improperia sustinere cum Christo, cujus adventum, Patribus revelatum, credebat: quam divitijs & honoribus affluere cum Ægyptijs.

Unde S. Augustinus ep. 141. excitans Demetriadem Virg: ad constantem sui mortificationem; *Dices forsan*; inquit, *Grandis labor; semper se mortificare, & cogere voluntatem: sed respice, quod promissum est. Omne opus leve fieri solet, cùm ejus pretium cogitatur: & spes præmij solatium est laboris.* Id animadvertere est, addit Rodriquez p. 2. tr. 1. c. 20. in laboribus & incommoditatibus mercatorum, agricolarum & militum. Si enim rabies maris, & horribiles undæ non terrent mercatores & nautas; nec tempestates agricolas, nec vulnera & mors milites: quomodo servi & amatores Christi absterrebuntur à studio mortificationis, & tolerantia variarum ærumnarum? Quantillum, quamq; vile est lucellum, quod sperant illi! Quàm grande & pretiosum, quod sperant isti! Hoc medium etiam multùm commendat S. Basilius in Monit: ad fil: spirit: *Semper cor tuum promissa cælestia meditetur: ut ipsa te ad virtutis viam provocent.* Quotiescunq; vel tentatio solicitat, vel difficultas terret, vel labor fatigat, vel crux opprimit: memori mente versemus illud Apostoli, Rom. 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Avaro semper in mente versatur & gyrat assiduo turbine pecunia, & modus acquirendi quàm plurimam: ambitioso honor, impudico voluptas: &, proh! ad quanta agenda & patienda impelluntur! Numquid minùs in nobis efficaces erunt, si viva imaginatione apprehendantur, opes illæ cælestes, honores & voluptates? An quia non nisi post mortem acquirentur, mi-

nus movere debent? At quantillum est spatium temporis, quo distas à morte? Si nunc pro divitijs & delicijs illis non laboraveris: acquires illas nunquam.

Rectè quidam veterum Patrum, cùm moneretur à discipulis & fratribus; ut modum poneret austeritatibus & pœnitentijs suis, respondit: Credite mihi, filij, si locus & conditio, quam habent Sancti in cælo, esset capax doloris & pœnæ; illos sanè multùm dolituros: quod non plus doloris & mortificationis in hac vita perpessi sunt, animadvertentes magnitudinem præmij, quod pro illo accepturi erant: & quòd tantillo labore & sumptu, gloriæ tantum sibi parere poterant. *Rodriq: cit:*

Cùm ergo tam magna, jucunda, pretiosa & gloriosa sint, quæ in cælo speramus, spe certissima & penitus infallibili: quid nobis eorum intuitu hìc grave aut intolerabile videri poterit? Inæstimabilis, & per totam æternitatem irreparabilis est jactura, quam facimus, dum per pusillanimitatem vel incuriam tanta bona negligimus. *Dicit Fides* (ait Bern: serm: 9. in Psal. Qui habitat) *Parata sunt magna, inexcogitabilia bona à DEO fidelibus suis. Dicit Spes: mihi illa servantur. Dicat ergo Charitas: curro ego ad illa.*

FERIA VI. post Dom. XXI post Pent.

MEDITATIO: *Qua solemnitate DEUS, JESUS & MARIA deducent Justos in cælum.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: qua solemnitate, post latam sententiam & præcipitatos reprobos, deducet in cælum, & ibidem excipiet triumphantes Justos. Inprìmis, ut nuper Angelorum operâ segregavit bonos à malis; ita tunc per eosdem innumerabilem illum Sanctorum populum distinguet in certa agmina, seu choros; ut alius sit Apostolorum, alius Patriarcharum, & Prophetarum, alius Martyrum &c. Omnes miro vestiet splendore atq; gloria & honore coronabit, tanquam cæli Reges ex prælio cum victoria revertentes: quosdam specialibus aureolis, tanquàm in certo virtutum genere insigniores (ut Martyres, Virgines & doctores), faciet spectabiles. Deinde per impressam eorum corporibus dotem Agilitatis, mira celeritate, summa cum exultatione, cantantes DEO adjutori & glorificatori suo laudes & gratias, *Cantemus Domino: gloriosè enim magnificatus est* &c. deducet in Empyreum, blandissiméq; invitabit: *Euge servi boni & fideles, intrate in gaudium Domini vestri.* Ibi sese gloria Domini explicabit augustiùs, & invisibilis DEUS, remoto lucis inaccessibilis sipario, facie ad faciem se spectandum præbebit *sicuti est.* 1. Joan. 3. O triumphum! O spectaculum! O gaudium mille mortibus emendum! Romam triumphantem Sanctorum quidam optabat vidisse: at quid

at quid illa paſtoritia colluvies reſpectu Cælitum triumphantium! O ſi intereſſe liceret! Licet: modo ſeriò velimus. Imò neceſſe eſt, ut interſimus; niſi ad perpetua tormenta raptari malimus.

2. ADora D. JESUM & conſidera: qua pompâ, exultatione, & gloriæ deducet triumphantes illos exercitus, ipſe unus omniū Imperator, qui & pugnat pro omnibus, & vincit in omnibus. Præſtabit, ſine dubio, cumulatè, quod prædixit exultans Propheta, Hab: 3. *Ego autem in Domino gaudebo: & exultabo in DEO, JESU meo. DEUS Dominus fortitudo mea; & ponet pedes meos tanquam cervorum. Et ſuper excelſa mea deducet me Victor, in pſalmis canentem.* Ingreſſos in cælum quo affectu offeret Patri? Numquid repetet illud Joan. 17. ſed non jam orans, verùm jubilans? *Pater ſancte, quos dediſti mihi, cuſtodivi & nemo ex eis perijt, niſi filius perditionis. Pater, quos dediſti mihi, volo: ut ubi ſum ego, & illi ſint mecum; ut videant claritatem meam, quam dediſti mihi.* Qua oratione commendabit Apoſtolorum zelum, Patriarcharum & Prophetarum fidem, Martyrum cicatrices, Confeſſorum pietatem, Virginum lilia, candida & rubicunda? Beatus, qui talem merebitur panegyriſten! Ipſi autem Beati omnia ſua decora, omniaq; merita, uno ore refundent in DEUM, & Dominum ac Ducem ſuum, JESUM: *Redemiſti nos, Domine, in ſangvine tuo ex omni tribu, & lingva, & populo, & natione: & feciſti nos DEO noſtro regnum, & ſacerdotes; & regnabimus!* Apoc. 5. O reges glorioſiſſimos! O Sacerdotes religioſiſſimos, æternum, laudis & gratiarum actionis ſacrificium Salvatori DEO litaturos. Quis me inter illos conſtituat, ut Saulem inter Prophetas? Gratia tua, JESU Amabiliſſime.

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera eam: ut Matrem, poſt ſalvos è periculis receptos filios, lætantem; ut Patronam, poſt evictam in ſummo tribunali ancipitem cauſam, exultantem; ut Reginam & Ducem, partâ victoriâ triumphantem, cum laureato illo Sanctorum populo. Et me, ô Regina, ô Patrona, ô Mater ſines abripi in perpetuas inferni cataſtas? Per ſalutem tuam, & gloriam Filij tui, non ſines!

Propoſitum v. gr. *de vita ſic inſtituenda, ut ſit non dubium iter ad cælum.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm ferventer anhelare debemus ad Beatitudinem cæleſtem.

ANhelat ferventiſſimè viator ad limites patriæ ſuæ, nauta ad portum, famelicus ad cœnam, ſitibundus ad fontem, filius peregrinus ad patrem: nos non anhelabimus ad cælum, ubi patria eſt noſtra & Pater; ubi portus ſecuritatis æternæ, ubi parata nos expectat cæna magna, ubi fons perenis omnis voluptatis & gaudij? Audiamus Paulum Apoſtolum anhelam animam ægrè trahentem:

hentem: *Cupio dissolvi, & esse cum Christo. Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis hujus?* At magne Apostole: utiq; tibi etiam in mortali corpore patent cæli? Utiq; conversatio tua assiduò est in cælis: numquid magnitudo revelationum præsentium non satis temperat ardorem desiderij tui? Utiq; tibi in ipsa conversione datum est frui glorioso conspectu Domini JESU? *Non satiatur his; sed magis irritatur & ardescit desiderium ejus. Cui enim datum est, tanta bona eminus videre, tantas delicias vel primis labris delibare; tantæ gloriæ radiolum aliquem cernere: quomodo non anhelabit ad plenitudinem illorum; siquidem ad illam sit invitatus?*

Habebat Rex potentissimus David, quidquid in humanis desiderari poterat, opum, deliciarum, potentiæ & gloriæ: sed quia per rimam aliquam viderat aliquid gloriæ & beatitudinis cælestis, ingenti correptus terrenorum fastidio, *Hei mihi!* exclamavit; Psal. 119. *quia incolatus meus prolongatus est! habitavi cum habitantibus Cedar: multùm incola fuit anima mea.* Res mirabilis! Habitavit David in Jerusalem, in medio populi sui & rerum omnium affluentia, non autem inter Cedarenos, seu Ismaelitas & Arabes barbaros: quomodo ergo queritur de habitatione diuturniore cum habitantibus Cedar? Nimirum vox illa, vox erat anhelantis ad patriam, seu Hierosolymam cælestem, juxta Hieron: & Aug: in terrestri enim Jerusalem videbatur sibi habitare tanquam exul inter barbaros Ismaelitas; ipsa terrenorum bonorum copia inopem faciebat cælestium, & curæ regni terrestris non sinebant animum continuò habitare in cælis.

Tali desiderio ardebat & B. Ægidius Ord: Præd. prout Olyssipone monstratum fuit pio cuidam cœco. In visione quadam vidit cælos apertos, & igneum globum aliquem à terra magno impetu in cælum evolare. Cùm autem jam appropinquasset portæ cælesti; prodijt Angelus in habitu candidissimo, & forti impulsu globum retundebat ad terram usq;. Sed hic rursus se vibrabat in cælū, rursusq; ab Angelo pilæ instar retundebatur. Quod cùm sæpius iteraretur; incessit Stephanū (id nomen erat cœco) cupido sciendi: quid sibi vellet visio? Rogatus Angelus respondit: *Igneus, quem vides, globus, anima est Fratris Ægidij Lusitani ex Ord. Præd. quæ divina charitate ardens, viribus totis nititur in cælum: sed mihi demandatum est, tantisper ejus morari desideria, donec plures DEO animas lucretur, atq; sic gloriosiùs coronari mereatur.* Henschen. *in Actis SS.* 14. *Maij.*

Quàm grata sint DEO, & nobis necessaria hujusmodi desideria; patet ex eo, quod refert S. Vincentius Ferrerius *Serm: in Festo OO. Sanct:* Cùm quidam eximius DEI servus, qui cum magna semper sanctitatis opinione vixerat, ad alteram

ad alteram vitam moriendo transijsset: vehemens quendam suorum amicorum incessit desiderium sciendi: an anima ejus rectâ volâsset in cælum? Cùmq; super hoc DEI responsum ardenter petijsset; apparuit ei dicti defuncti anima igne circumdata; & terrefacto ex ea visione amico dixit: *sibi in Purgatorio ad aliquod tempus hærendum esse: quòd in vita sua cæli gloriam, eo quo par erat, ardenti desiderio non quæsisset, aut desiderasset.* Alijs desiderium hoc in vita mortali non habitum, vertitur postea in ignem purgatorium: prout refert Eusebius Niremb. *lib.* 2. *Doctrin: Ascet: c.* 78. P. Joannes Fernandius è Soc: J. vir magnarum virtutum incensus præter solitum, desiderio videndi DEUM, in quodam raptu visus est sibi venisse in hortum amœnissimum, floribus & suavi musica perjucundum, ibiq; advertit animam quandam splendidè velut radijs solaribus amictam, & varietatibus quibusdam viridibus circumdatam. Quæsivit quænam esset? audivitq; ; esse Fratrem, qui septennio in Societate vixerat. Cui Joannes: Magnâ profectò, Frater, gloria frueris. At ille: Nequaquam. Potiùs habeo magnam afflictionem: nam hic locus Purgatorium meum est; quoniam negligens fui in amore SS. Trinitatis, cujus favore conservavi, dum vixi, puritatem carnis: idcirco nunc æstuo, & inflammor *igni desideriorum*, quem tu non vides, videndi illam, & beatitudine cælesti fruendi.

Ergo velut duabus alis, piorum desideriorum ardore, & bonorum operum merito, feramur illuc: ubi est Finis noster ultimus, quies à laboribus æterna, desideriorum omnium satietas plenissima, & DEUS Omnia in omnibus. *Ipse finis erit desideriorum nostrorum, qui sine fine videbitur, sine fastidio amabitur, sine fatigatione laudabitur*: ait Aug. l. 22. de Civit:

SABBATO post Dom. XXI. post Pentecosten.

MEDITATIO. *De possessione regni cælestis à DEO, JESU & MARIA tradenda Justis.*

I. ADora DEUM O. M. & considera admirandam ejus liberalitatem in remunerandis justorum meritis. Reges terreni dum æquitatem & liberalitatem suam maximè spectabilem, & cum pompa quadam exhibere voluerunt: auditi subinde sunt, pro heroicis facinoribus, aut alijs admodum sibi gratis obsequijs, obtulisse dimidium regni sui. Qui integrum offerret, inventus est nemo. At DEUS justos suos vocat in possessionem totius Regni sui cælestis: qualis & quanti? Offert illud non solùm regiæ stirpis principibus, sed vilissimis etiam homuncionibus: idq; non ea tantùm conditione, ut sangvinem pro ipso fundant, immania tormenta sustineant; verùm etiam hostibus suis, si vel unico seriæ pœnitentiæ actu in fine vitæ ad se conversi fuerint: offert

fert infantibus, si paucis baptismalis fontis guttis rite tincti fuerint. Quanta liberalitas! Nonne id est pro pomo vel pro nuce dare regnum? idq; regnum amplitudine immensum, opulentiâ infinitum, possessione perpetuum, omnium bonorum aggregatione beatum. Et adhuc videbimur nobis multum aut nimium facere vel pati pro DEO? Si nihil offerret: præstanda & toleranda essent pro illo omnia, quæ possumus; nunc autem quæ sana mente ei negabimus? Quid non audent homines propter regnum terrestre? & pigebit quærere, imò oblatum accipere in possessionem, cæleste?

2. ADora D. JESUM & considera: quanta facilitate, humanitate & sinceritate tradet olim justis, imò jam nunc eorum animabus tradit, Regnum cæleste in perpetuam & perpetuò pacificam possessionem, cum omnibus ejus latifundijs, campis, pratis, sylvis, lacubus, fluminibus, castellis, civitatibus & provincijs (ut more nostro loquamur) nihil eximendo, sed omnia in solidum eorum commoditati & usui plenè subjiciendo, eosq; in Reges potentissimos inaugurando, & in capitibus eorum ponendo coronam de lapide pretioso, qualem non fert orbis noster, & cum quo certare non audeant splendidissima astra cæli. Ipse principalis est hæres felicissimi illius regni: sed, qua est bonitate, gaudet cohæredibus; & tantò gaudet liquidiùs, quanto plures in ejus possessionem venire volunt. Ergo ex hac miseriarum valle oculos animosq; attollamus: JESUS vocat nos ad regnum suum: ut gloriâ & honore coronati, cum ipso regnemus æternùm. Juvat per sentes & saxa, per gladios & ignes eò tendere. Sat servitum mundo, diabolo & carni. Regnare licet: regios assumamus animos. Sollicitanti tentationi disertè reponamus: Non serviam. Regnare cum JESU placet.

3. VEnerare DEIparam V. & considera insignem nostram felicitatem: quòd ei etiam Virgini competat summũ jus ad regnum cæleste, quæ planè materno nos complectitur affectu. Quanto studio matres filiorum promoveant fortunam: satis docuit mater filiorum Zebedæi; & ex gentilibus illa, quæ ipsam necem, à filio regnante sibi inferendam, non recusavit; *Occidat: modo regnet.* Prudentiore voto, & efficaciore consilio nos ad possessionem cælestis regni, quod in ejus manu posuit suprema Majestas, vocat MARIA. Imus? An pedica aliqua terræ adstrictos tenet? Dirumpe, Domina, vincula mea: & compelle intrare.

Propositum v. gr. *de affectu à terra ad cælum occupandum transferendo.*

LECTIO PRACTICA.

Quo pretio venale sit Regnum cælorum?

NEgotiandi nunc tempus esse, satis apertè indicavit Christus Luc. 19. ubi in para-

in parabola hominis nobilis abeuntis in regionem longinquam, servis suis datâ peccuniâ mandavit: *Negotiamini, dum venio.* Quid verò emendum? Varia occurrere possunt, in foro spirituali: non aliter atq; in nundinis nostris forensibus. Sed præ reliquis unum est necessarium: quo non acquisito, perdita sunt cætera omnia. Quid illud? Regnum cælorum. At unde nobis par tanto regno pretium? Desperandum omnino esset de emptione: nisi Bonitas venditoris non tam regni sui valorem, quàm nostras respiceret facultates.

Per servos ergo suos, Augustinum, Chrysostomum, Justinianum, Villanovam, &c. publicari fecit, quod requirit, pretium, nobis nimis favorabile. Augustinus Serm: 6. de Verb. Dom: cùm attentiùs substantiam & divitias istius regni considerasset: nihil prorsus in cæterarum rerum universitate par ipsi reperit: *Et tamen,* inquit, *venale est. Eme, si vis. Non multum exæstues de pretij magnitudine: tantum valet, quantum habes.* Chrysostomus hom. 57. ad pop. in persona DEI sic loquitur: *Pretium non appono, ne objicias inopiam. Quanti potes: tanti eme. Habes obolum? Eme cælum. Non habes obolum? da calicem aquæ frigidæ: da panem, & accipe Paradisum.* Laurentius Justinianus lib. 2. spirit: ann: in eundem sensum ait: *Venalis est beatitudo cælestis: & tanti valet, quantum quis potest expendere. Hanc per egenorum susceptionem sibi vendicavit Abraham, Job per miserorum compassionem, Tobias per defunctorum exequias, Zacchæus per distributionem dimidij bonorum suorum, vidua duobus minutis, alij verò pro calice aquæ frigidæ.*

Sed quomodo tam pretiosus esse potest in conspectu Regis cælorum calix aquæ frigidæ, aut minuta duo, & cætera hujusmodi crepundia? Edisserit ænigma S. Thomas Villanova Conc: Quinquag. *Non exigitur,* inquit, *hodie à te ô Christiane, mors, non sangvis, non supplicia* (ut in primitiva Ecclesia) *Ama, & regna. Quid facilius, quàm amare?* Nimirum tenuibus & vilissimis operibus nostris, si ex charitate erga DEUM fiant, Charitas ingens & inæstimabile addit pretium. Hospitis ergo ex charitate susceptio, minutorũ duorũ ex charitate largitio, calicis aquæ frigidæ ex charitate exhibitio, justum est pretium Regni cælorum. Absit charitas: etiam maxima valent nihil. Adsit charitas: etiam minima valent Regnum cælorum, imò possessionem ipsius Regis cælorum: *Ego,* inquit, *sum Merces tua magna nimis.* Cùm ergo nihil sit facilius, quàm amare, & quidem amare Summum & purissimum Bonum; atq; sic per amorem tenuissimis operibus nostris cælo, & omnibus ejus divitijs & delicijs par pretium conciliare: patet; quàm faventem nacti simus venditorem; & quam facile peragi possit tanti momenti negotiatio nostra. Patet ulteriùs: quàm justè mereamur ejici in tenebras exteriores & manus pedesq; vincti, perpetuis inferni includi carceribus; si cælum non emimus, tam facili pretio venale.

In vita S. Cæciliæ refert Surius: quòd cùm satellites, alijq; tyranni ministri, acriùs ipsam reprehenderent: quòd in ipso ætatis & fortunarum flore constituta, voluptates, divitias, cunctaq; hujus vitæ bona simul & semel perdere nondubitaret; ipsa voce libera responderit: *Hoc est dare lutum, & accipere aurum; dare tabernaculum breve & miserabile, & accipere amplum atq; ex lapidibus pretiosis ædificatum palatium.* Laudatur Matt. 13. prudentia negotiatoris cujusdam quærentis venales pretiosas margaritas, inventâ verò unâ, impendio omnium bonorum suorum eam comparantis. Ex quo colligitur prudentia & ingens lucrum eorum, qui impensâ totius substantiæ suæ emunt regnum cælorum cujus vel ipsæ duodecim portæ totidem sunt pretiosissimæ margaritæ, Apoc. 21. Quid autem de interiore sentiemus apparatu, ornatu, splendore, divitijs & voluptatibus? Quales & quanti Reges erimus: ubi in possessioné talis ac tanti Regni venerimus? Nihil igitur humile volvamus animo: sed toti nos extendamus in comparationem illius beatissimi & gloriosissimi Regni: quod tam amplum est, ut immensum videatur; tam splendidum, tamq; scitè instructum, ut speciem habeat unius domûs. *Beati, qui habitant in domo tua Domine: in secula seculorum laudabunt te!* Psal. 83.

DOMINICA XXII. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De clara Visione DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: summum & optimum, quod Justis præstabit in regno suo, esse manifestationem & cognitionem sui per claram, intuitivam Visionem. Nunc enim se hominibus, etiam sanctissimis, manifestat solùm in umbra quadam & ænigmate; in creaturis tanquam speculo imperfectam aliquam exhibet imaginem suam: at in cælo manifestabit se sicuti est in se ipso, & infinitam substantiam suam, quã nemo vidit unquã, *sed nec videre potest* (naturali mentis, ne dicam oculi, acie) 1. Tim. 6. exhibebit spectandam tam clarè, sicut unus homo alterius præsentis faciem videt. Et tunc videbit, & affluet, & mirabitur, & dilabitur cor nostrum, agnoscetq;: quàm parum crediderit de DEO, quàm imperfectum de illo habuerit conceptum; non secus, ac Regina Saba 3. Reg. 10. ubi venit in conspectum Salomonis. Videbitur enim & videndo possidebitur, summum & omne Bonum, absq; omni metu & periculo illud amittendi: ideoq; Visio illa erit perfectissima Beatitudo nostra, constituens nos in statu omnium bonorum aggregatione perfecto, & plenè satians, sed sine fastidio ullo, omnes potentias nostras omnemq; appetitum, juxta illud Psal. 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* O quando veniam, & apparebo ante faciem DEI! Ostende mihi ô Lux mea DEUS, faciem tuam: & nega quod vis.

2. Adora

2. ADora D. JESUM, & considera: etiam ipsius clarum conspectum esse summum, quod optare possumus, bonum. Hoc ipso enim quòd perfectè videbitur oculo mentis divina ejus Persona: clarè videbitur ipsum VERBUM Divinum (adeóq; tota Divinitas) in quo subsistit ejus Humanitas, intimè unita eidem. Cognoscetur itaq; manifestè admirandum, & à sæculis absconditum, Incarnationis mysterium; & patebit: quanto amore atq; honore dignus sit JESUS, quem tam frigidè amamus, tam facile & graviter offendimus. Beatos prædicavit ipsemet oculos Luc. 10. qui eum viderunt in corpore mortali: quantò beatiores, qui videbunt in glorioso, & in hujus splendore radiantem conspicient Divinitatem? *In lumine tuo videbimus lumen.* Ps. 35. Quid enim pulchrius, jucundius, mirabilius, majus & augustius videri potest, quàm Homo-DEUS? Pascant alij alibi oculos: ego faciem tuam Domine requiram.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quanta felicitas & voluptas erit, facie ad faciem videre ipsam; illum florem omnis pulchritudinis creatæ, illam Virginem gratiosissimam, illam Matrem admirabilissimam, illam Reginam augustissimam? Viderunt eam, per fidem, filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt, & Reginæ laudaverunt eam: quid, quando revelata facie spectandam se præbebit in plenitudine gloriæ suæ? O Oculi corporis & animæ meæ mundamini, mundamini: quia pulchritudinem & gloriam DEI, J. & M. non videbunt immundi.

Propo. *de oculorũ mortificatione, & crebro desiderio videndi DEUM, J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur ampliùs felicitas clarè videntium DEUM.

PAtientiæ prodigium S. Job in illo universali diluvio calamitatum suarum non aliud solidius, quo se sustentaret, reperit solatium: quàm quod post tam densa & diuturna nubila, serenissimus aliquando ipsi oriturus esset Phœbus; clarus nimirum Salvatoris sui conspectus. Quam spem & solatium suum, in perpetuam rei memoriam perenni monumento incidi optavit cap. 19. *Quis mihi tribuat, ut scribantur sermones mei? Quis mihi det, ut exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celtè sculpantur in silice?* Qui verò sermones sic commendandi erant æternitati? Sequentes: *Scio enim, quod Redemptor meus vivit, & in novissimo die de terra surrecturus sum, & rursum circumdabor pelle mea, & in carne mea videbo DEUM meum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius. Reposita est hæc spes mea in sinu meo.* Non potuit plus dicere, vel sibi ad solatium; vel nobis ad documentum.

Nam, teste S. Augustino Soliloq. c. 36. Hæc est plena beatitudo, & tota

glorificatio hominis; Videre faciem DEI sui; videre eum qui fecit cælum & terram; videre eum, qui fecit eum, qui salvavit eum, qui glorificavit eum. Quam beatitudinem quantùm æstimarit ipse, declaravit amplius serm. 37. de Sanctis. Ultra omnem, inquit Sanctorum gloriam est, ipsius inæstimabile adipisci conspectum, & splendore Majestatis ejus irradiari. Si enim quotidie oporteret nos tormenta perferre, si ipsam gehennam parvo tempore tolerare, ut Christum videre possimus in gloria venientem, & Sanctorum ejus numero sociari; nonne erat dignum pati omne quod mœstum est, ut tantæ gloriæ bonitatisq; participes haberemur? De S. Chrysostomo idem traditur; quod dicere solitus fuerit: se paratum esse ad ipsas etiam Inferni pœnas sustinendas, modò aspectu Christi per momentum frui posset. Etiam dæmonem dixisse per energumenam, refert Speculum Exempl. dist: 9. Exe: 94. Nimirum, se tanti gloriam cælestem æstimare: ut libenter omnes damnatorum pœnas usq; ad diem Judicij passurus esset; modo per unicũ momentũ aspicere DEUM posset.

Nec mirum. DEUS enim noster & est Summum bonorum omnium, & Omne bonum. Quidquid enim fuit, est, vel erit boni; ab ipso est tanquam primo atq; universali principio; & in ipso est, tanquàm in radice, idea, & speculo tersissimo. Sed super hæc omnia, & super possibilia omnia eminet ipse infinitè & dignitate, & pulchritudine, & majestate infinita. *Si singula bona delectabilia sunt,* ait Aug: in Medit: c. 18. *Vide quàm delectabile sit illud bonum, quod continet jucunditatem omnium bonorum, & non qualem in rebus creatis sumus experti; sed tantò differentem, quantùm Creator à creatura differt. Si bona est Vita Creata? Si jucunda est salus facta: quàm jucunda est salus, quæ fecit salutem? Si multæ & magnæ delectationes sunt in rebus delectabilibus, qualis & quanta est in illo, qui fecit omnia delectabilia? O qui hoc bono fruetur, quid illi erit, & quid illi non erit!*

Ad S. Ivonem Presbyterum, cum famulo suo prandentem, venit aliquando mendicus valde lacer & deformis, petens eleemosynam. Cui Ivo: Nihil habeo domi, quod largiri possim, præter id, quod in mensa est; scilicet rapparum aliquid. Veni proinde amice, & prande nobiscum. Accubuit mendicus, & ex eadem scutella comedit, cum magna famuli nausea & indignatione: Ivo verò recolebat Christum lividum, cruentum, & plagis deformatum. Pauxillum sumpserat mendicus: cùm surgens à mensa, *Gratias* ait, *ago pro charitate; Dominus sit vobiscum.* Hæc dicens transfiguratus est ante eos, ut in monte Thabor, vestimenta ejus facta sunt candida sicut nix, & facies solis instar illuxit. Illi gaudio inenarrabili, simul & timore correpti conciderunt in terram; atq; ubi se recollegerunt, nullum finem inveniebant, loquendo de incomparabili

bili pulchritudine Christi; nec ampliùs eo die vel cibũ sumere, vel somnũ poterãt admittere: quàmvis spatio unius tantùm momenti dignati fuerint visione illa. *Acta SS. Bolland* 19. *Maij*. Quid erit, quando splendor ille paternæ gloriæ, & Candor lucis æternæ plenè explicabit decorem pulchritudinis & majestatis suæ; atq; oculos animosq; nostros confortabit lumine speciali, ne obruantur à gloria? Quid erit: quando Filij majestati videbitur juncta incomparabilis venustas & gloria Matris?

Meritò Christus apud Kemp. lib. 3. c. 47. de Imit: hortatur: *Age, quod agis; fideliter labora in vinea mea. Ego ero merces tua magna nimis. Scribe, lege, canta, geme, tace, ora, sustine viriliter contraria. Digna enim est his omnibus & majoribus prælijs Vita æterna.* Hæc est autem Vita æterna: *ut agnoscant te*, nunc per fidem, olim facie ad faciem, *solum DEUM verum & quem misisti JESUM Christum*. Joan. 17.

FERIA II. post Dom. XXII. post Pent:

MEDITATIO: *Quid in DEO, JESU & MARIA vident Beati.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: ipsum in præmium & voluptatem Beatorum ad claram sui Visionem admissorum, aperire infinitos thesauros Essentiæ suæ, atq; in ea dilucidè spectanda exhibere 1. Mysteria omnia fidei nostræ, secundùm illud Psal. 47. *Sicut audivimus, sic vidimus in civitate Domini virtutum.* 2. Vident divinæ Essentiæ & attributorum ineffabilem perfectionem: Essentiæ infinitatem, magnitudinis immensitatem, æternitatis longitudinem, Sapientiæ altitudinem, Bonitatis pulchritudinem, Omnipotentiæ efficaciam, majestatis splendorem: omnia deniq; summa, pulcherrima, & tota æternitate cum summa voluptate videnda. 3. Vident Providentiæ divinæ stupendam dispositionem, eamq; sapientissimam & benignissimam, tum circa ipsos in hac vita, tum circa alios, cum quibus aliquam habuerunt, vel habent, combinationem; tum circa mundum universum & mirabiles in eo eventus, quorum nunc nec causas, nec fines, etiam ingeniosissimi deprehendere possunt. 4. Vident in Essentia, Sapientia, & Omnipotentia divina innumeras possibilium pulcherrimarum creaturarum species. Unde nunquam cessant mirari & laudare DEUM tam mirabilem, in se & in omnibus operibus suis. Sursum ergo se se attollat humana sed pia curiositas: in DEO plura, quàm quærit, inveniet.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm amplum & pulchrum sit objectum intellectûs Beatorum. Videnț enim 1. in illum congestas omnes divitias, & totam plenitudinem Divinitatis, & quidem tam mirabilis

rabili: ut non solùm sit DEO plenus, sed verus DEUS. Vident ergo clarè admirandam illam Unionem hypostaticam, quâ VERBUM sine ulla ipsius mutatione intrinseca unitur intimè humanitati, fundatq; stupendam illam idiomatum communicationem, qua hic homo verè dicitur Omnipotens, Immortalis, DEUS; DEUS autem dicitur factus caro, passus, mortuus. 2. Vident sanctissimâ ejus Humanitatē divino quodam decore, & splendore, & majestate fulgentem longè augustiùs, quàm in monte Thabor. 3. Vident Cor illius infinita charitate erga genus humanum ardens; manus, pedes & latus, vulnerum stigmatibus adhuc signata; Animam, olim pro nobis summè desolatam & afflictam, nunc ineffabili gaudio exultantem, & totum cælum lætificantem. Deniq; vident JESUM, DEI Filium, Salvatorem suum, in gloria Patris, homines & Angelos glorificantem.

3. VEnerare DEIparam V. & considera eam, ut spectaculum in cælo maximum & jucundissimum post Filium, non hominum duntaxat & Angelorum, sed divinis oculis dignissimum, tum ob speciem & splendorem Corporis, tum ob ornatum Animæ, & dignitatis eminentiam. Isidorus Thessal: in Nat: B. V. vocat eam *spectaculum sublimissimum*: S. Germanus Or. 2. in Dormit: B V. *Spectaculum Angelorum intelligentiâ majus*. Felicissimos nos, si talibus frui spectaculis, datum fuerit! Infelicissimos, si negatum. Ne id contingat: da Domina, ut ipsi etiamnum nos exhibeamus DEO, JESU & Tibi gratissimum spectaculum.

Prop. *de vana curiositate videndi, & sciendi, coërcenda, propter DEUM, J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

Quomodo animus & oculi parandi Visioni & Gloriæ beatificæ.

EXempla rem magis elucidabunt. Dimidio fere anno, prout refert Dauroult: tit: 22. cap. 8. priusquam vita excederet Archiepiscopus Coloniensis Anno, visus est sibi domum quandam omni decore intus & foris resplendentem intrare. Et ecce in subsellijs judicialibus, tanquam ad Concilium solemniter convocati residebant defuncti, Heribertus Archiep. Colon: Bardo Moguntinus, Boppo & Eberhardus Archiep. Treviren: Arnulphus Vormatien: Episc. & complures alij Episcopi, amicti omnes stolis Pontificalibus, & habentes vestem instar nivis candidam: ipse quoq; Anno admodum candidis & pretiosis indutus sibi videbatur; sed partem candentis vestimenti, eam scilicet, qua pectus tegebatur, sordida quædam ac fœda fuligo obduxerat; quàm maculam, nimio rubore suffusus, objecta manu tegere, ne inspicientium obtutum offenderet, conabatur. Videt inter eos sibi quoq; sedem miri decoris paratam. Quam cum occupare, gaudio & exultatione æstuans, properaret; surgens Arnulphus Vormatien:

matiensis Episcopus, modesta voce eum prohibuit, dicens: Reverendos Patres, qui assiderent, nolle eum in suum admittere consessum propterea, quod macula turpis vestem ejus fœdaret. Cumq; jussus loco cedere, valde mœstus & lachrymis madens exiret; insecutus eum idem Episcopus: Æquo animo, ait, esto Pater: maculam tantùm hanc, quæ vestem tuam infecit, maturiùs ablui præcipe; & paulò pòst ad consessum nostrum admittêris. Manè facto, cùm familiari cuidam suo visionem retulisset; ille sapienter rem conjiciens; Macula, inquit, hæc vesti tuæ illita, nihil aliud est Pater, ut existimo, quam memoria injuriæ civium tuorum, qui te anno superiore expulerunt Coloniâ, quibus plenam nondum dedisti veniam. Hæc injuria pectori tuo tenaciùs insidens quàm par est, videtur cæteram sanctimoniæ tuæ claritatem molesta quadam caligine obscurare. Archiepiscopus conscientiæ suæ testimonio convictus, agnovit reatum suum: & statim expeditis circumquaq; nuncijs, cives quos excommunicatos Colonia ejecerat, revocari curavit, plenamq; impertijt veniam; & sustulit, quam in gloria sua dederat, maculam.

Aliæ quædam maculæ à Visione Divinæ Triadis prohibuerunt P. Joannem Fernandium è S. J. Theologiæ Professorem in Collegio Romano, virum religiosissimum. Tradens Lectiones Scholasticas de SS. Trinitate, vehementi exarsit desiderio eam videndi. Die quadam raptus in spiritu, vidit tres pulcherrimas virgines sibi adstare, dicentes: Veni, & sequere nos; si vis, quod cupis, intueri. Duxeruntq; illum in splendidũ quoddã palatiũ, simile illi Civitati, quam in Apoc: S. Joannes describit. Foribꝰ reclusis, Virginũ una ingressa est cum Joanne, remanentibus foras duabus alijs. Tunc Angelus quidam accedens ad Joannem, dixit: Mane hìc, donec hæc Virgo & ego videamus; an sit opportunitas, ut in DEI Unius Triniq; conspectum admittaris. Ille miratur interim aulæ seu potiùs vestibuli ejus, elegantiam & majestatem: deinde moræ ulterioris impatiens, unam ex quatuor ascendit scalã, & in splendidumquoddam atq; amplum evadit conclave. Sed in aditu ejus exceperunt eum sex fœdissimi Æthiopes, qui illudentes sustulerunt eum in Cathedram, qualis in Ecclesijs est, jusseruntq; concionari. Concionantem variè turbarunt, donec tandem conjectis in eum plurimis, quibus lædebatur, è cathedra deturbarunt. Exclamante illo: Hei mihi infelici! responderunt: Si infelix esses, aliud tibi evenisset. Tunc Joannes surrexit, & aliud cubiculum ingreditur; in quo similiter sex Æthiopes ipsum exceperunt, in scamno sedere fecerunt, assidentes ipsi tres à dextris, tres à sinistris: qui tantis tamq; inconditis clamoribus aures ei obtuderunt: ut iterum exclamârit: Hei mihi infelici! Sed similiter responsum: si infelix esses, aliud tibi accidisset.

Ingredientem inde tertium conclave arripuerunt sex alij Æthiopes, pedibus conculcarunt, & sumpta ex olla ardente pice & resinâ, renes ejus linierunt. In hoc cruciatu exclamanti iterum: Hei mihi infelici, ad quid huc veni! responsum ut antè: Si infelix esses, aliud tibi evenisset. Inde progressus in amœnissimum quendam hortum pervenit, ubi reperit Animam defuncti cujusdam Fratris, de quo dictum in Lect: Fer. 6. præteritæ. Sub hæc reversus Angelus, nunciavit Joanni: Oportere illum in mundum redire, ita jubente Domino; quod nondum satis purificatus & paratus esset ad ipsum videndum. Quærenti quænam fuissent Virgines illæ ipsius ductrices: & qui Æthiopes à quibus tam malè erat acceptus? responsum: Virgines fuisse Virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem; Æthiopes verò, qui te ex cathedra detruserunt, sunt quidam defectus tui inter concionandum committi soliti; quòd ames plausum hominum. Qui te nimijs vociferationibus molestarunt; sunt defectus, quos in recreationibus committis, nimis loquax, & aliorum sermonem interrumpens. Qui te torserunt pice & resina; sunt aliquæ negligentiæ circa cogitationes carnales tibi ingestas. Quo dicto ad se reversus Joannes, per multos dies passus est renum, & scapularum contusarum dolorem: ac deinceps magis solicitè se disposuit ad beatificam Visionem. *Eusebius Niremb: lib. 2. Doctr, Ascet: c. 78.*

FERIA III. post Dom. XXII. post Pent:

MEDITATIO: *De Amore, quo DEUS, JESUS & MARIA amant Beatos.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quali, quantove amore feratur in Beatos, cælesti gloriâ donatos. 1. Amat illos amore indefectibili per omnem æternitatem. *In charitate perpetua dilexi te.* Jerem. 31. Unde oritur in Beatis summa securitas, excludens omnem excidendi ex gratia divina metũ, quali nunc angimur. 2. Amat amore liberalissimo: quia non solùm regnum suum cum omnibus divitijs & delicijs ipsius, sed se ipsum etiam in possessionem æternam per Visionem beatificam, tradit illis. *Ego ero merces tua.* Gen. 85. Merces autem transit in possessionem merentis. 3. Amat amore non solùm amicitiæ, quo amantur extranei; sed planè paterno & materno, continuò intentus in eorum commoditates omnigenas & delicias: regnumq; cæleste ipsis tradens non solùm in præmium sed hæreditatem æternam. Discrimen divini amoris erga justos viatores, & Beatos comprehensores expressit utcunq; Evangelicus ille duorum filiorum pater Luc. 25. qui prodigum pœnitentem arctissimè complexus, musicâ & lauto convivio recreavit; at seniori, & fideliori à

liori, & sibi chariori, dixit: *Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* O Patrem amantissimum! Brutis insulsiores sumus: si negligimus nos reddere dignos amore ipsius.

2. ADora D. JESUM, & considera inexplicabilem ejus amorem erga Beatos, incomparabiliter majorem, quàm quo David complexus est Absolonem suum, aut Jacob Josephum, præsertim gloriosum in Ægypto. Amat illos non solùm ut servos fideles, ut Amicos sinceros, ut Milites emeritos: sed ut Fratres & Cohæredes charissimos. Confitetur illos, & multa laude exornat coram Patre suo & Angelis ejus: nec Angelorum solùm utitur operâ in ipsis recreandis & honorandis: sed ipsemet, velut maximis principibus mensæ accumbentibus transiens ministrat. Luc. 12. Affectum suum, quo fertur in justos adhuc merentes expressit in Petro, & Martha: quo complectitur Beatos, repræsentavit in Joanne & Magdalena. Quis teneritudinem, delicias, & fervorem amoris illius concipiat? O si experiri contingeret! Ut contingat: unicam, nec gravem, necesse est implere conditionē; scilicet ut Deū hic sincerè & super omnia amemus.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: si quando faces amoris ejus erga homines, sunt *lampades ignis atq; flammarum*: vel maximè tales sunt erga Beatos. In ipsis enim nihil est, quo tepescat ardor amoris: adsunt omnia in corpore & anima quæ reddant amabilissimos, Amantur ergo à MARIA incomparabiliter magis, quàm Isaac à Sara, Jacob à Rebecca, Samuel ab Anna matre. O quomodo sibi blandiuntur & plaudunt, qui audiunt: se amari à Rege, à filio, vel matre regis: licèt horum amor sæpe sit suspectus, semper defectibilis? Quid tam arduum erit, quod non suscipiamus: ut mereamur æternos, & summos DEI, JESU & MARIÆ amores?

Proposit. *de ingeniosè & laboriosè quærendis æternis DEI, J. & M, amoribus.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur Exemplis Amor DEI erga Beatos.

REfert Petrus de Natalib. lib. 10. c. 1. quòd, cùm in Festo Omnium Sanctorum Custos Ecclesiæ Sancti Petri ex devotione omnia altaria circuisset, & Omnium Sanctorum suffragia implorasset, ac demum ad altare S. Petri rediisset, ibidem paululum conquiescens, extra se sit raptus. Et ecce vidit Regē regum Christum in solio sublimi considentem innumeris Angelorum legionibus stipatum. Tunc Virgo DEIpara in diademate præfulgenti advenit, quam innumerabilis multitudo Virginum & Continentium sequebatur. Huic Rex protinus assurrexit, & posito solio, juxta se sedere fecit. Post hoc advenit quidam vestitus pilis camelorum, quem sequebatur multitudo venerabilium Seniorum,

niorum. Deinde successit alius Pontificali habitu decoratus, quem splendida cohors in habitu consimili sequebatur. Postea processit innumerabilis militiæ multitudo: post quos advenit turba diversarum gentium infinita. Omnes igitur ante Regis solium progressi, ipsum genibus flexis adoraverunt. Is autem qui in Pontificali habitu erat, Matutinas Ecclesiæ preces inchoavit, cæteris prosequentibus. Angelus deinde prædicto Custodi visionem exposuit, asserens: Virginem in prima acie Matrem DEI esse; vestitum de pilis camelorum Joannem Baptistam cum Patriarchis pariter & Prophetis; Pontificali habitu insignem esse Petrum cum cæteris Apostolis; reliquos Martyres & Confessores. Ideo autem omnes ante Christum hodie comparuisse agminatim: ut pro honore sibi hac die à mortalibus exhibito gratias ipsi agerent, & pro orbe universo orarent.

Magnitudinem ergo amoris, quem DEUS erga Beatos habet in cælis, testatur inprimis Excellentiâ honoris quem ipsis procurat in terris. Exhiberi autem vult illum non solùm ab hominibus; sed ab ipsis quoq; Angelis: quorum ambitioso comitatu visæ sunt multoties Animæ Sanctorum triumphantes deduci in cælum; ipso etiam occurrente in amplexum Angelorum Rege.

Sic cùm maximus Ecclesiæ Doctor S. Hieronymus spiritum DEO redderet: vidit Fratrum quidam, orationi tunc incumbens, lucidissimam aperiri viam è monasterio in quo moriebatur Sanctus usq; ad cælum; per quam splendidissimæ Angelorum legiones, ardentibus cereis instructæ, ascendebant ordine pulcherrimo: quos sequebatur gloriosissima Sancti Anima, dexterum latus stipante Christo. Progredientes exceperunt novæ Angelorum turmæ, similiter ardentes faces manibus ferentes; & obviam effusæ, triumphale epinicium admiranda suavitate occinuerunt. *Cochem lib. 3. Hist:*

S. Ambrosium Senensem Ord. Præd. moribundum invisit Christus, dans ei optionem mortis & vitæ ulterioris. *Ambrosi*, ajebat, *si adhuc volueris mortalem protrahere vitam, multas animas per conciones tuas deduces ad cælum. Si autem optes dissolvi potiùs, & esse mecum; quinq; millia animarum, intuitu meritorum tuorum, ex Purgatorio liberabo, & unà tecum æternâ gloriâ donobo. Elige, quod placet: fiet tibi, quod elegeris.* Ad hæc respondit Ambrosius: *Domine, totum hoc Divinæ voluntati tuæ committo: nihilominus libenter nunc ad te migrarem.* Cui Christus: *Fiat tibi, sicut vis.* Ascendens igitur in cælum Dominus, Angelorum, aliorumq; Sanctorum choris præcepit: *Ite honorate eum, qui vos tantopere honoravit, virtutes & gesta vestra pari eloquentia & zelo in concionibus suis celebrando.* Illico igitur complures Angelorum Sanctorumq; turmæ

cælo

cælo effusæ, solutam corpore Ambrosij animam insigni pompa deduxerunt in cælum: prout revelatum fuit sanctæ cuidam Virgini, ipsius Sancti discipulæ. *Acta Sanctorum Henschenij. 20. Martij.*

Declarat insuper Sanctorum suorum amator DEUS singularem suum erga ipsos amorem, severè castigando obtrectatores ipsorum, vel qui alia quadam irreverentia eos afficiunt. In Burgundia Regularium quidam, planè irreligiosus, ad mensam cujusdam sæcularis viri honorati, per contemptum dixerat: Fundatoris Jesvitarum summam potestatem in eo consistere; ut sanet dolorem dentium, non plus ultra. Et ecce manu tenens pateram ut biberet, improvisò inhorrescit, vociferatur sibi dentes dissilire, tantaq; rabie fruere cœpit, ut vix à sex viris teneri posset. Sic triduò miserè jactatus & tortus, sine ullo pœnitentiæ signo extinctus, didicit malo suo, non temnere Divos. *Bartoli in Vita S. Jgnatij lib. 4. n. 11.* Alius Leopoli in Russia pro concione contemptim de miraculis B. Stanislai Kostka locutus, ubi ad cubiculū suum redijt repentina correptus insania, se ipsum per fenestram præcipitē dedit, crepuitq; medius. *Bartoli in Vita lib. 2. c. 10.*

FERIA IV. post Dom. XXII. post Pent.

MEDITATIO. *De Amore, quo DEUS, JESUS & MARJA amantur à Beatis.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum propter infinitam suam bonitatem seu perfectionem clare manifestatam, amari à Beatis 1. Amore necessario. Voluntas enim eorum, quàmvis secundùm se libera sit potentia, tam potenter trahitur, imò rapitur in amorem à Summo illo Bono; ut non solùm non maneat libera ad eliciendum aliquem actum displicentem DEO: sed necessitetur ad continuò & ardentissimè amandum DEUM super omnia & in omnibus. Unde oritur optatissima, eaq; perpetua Impeccabilitas: quod DEUM vel levissimè offendere non possint. O felix necessitas, semper amare DEUM, & offendere non posse! 2. Amant amore perfectè Unitivo. Amoris enim perfectio & vehementia facit: ut semper animo seu cogitatione sint conjuncti DEO, ut se & omnes actus, bonaq; sua perpetuò addicant DEO, ut nullo bono creato possint avelli à DEO, ut voluntatis conformatione perfecta sint unum cum DEO, ut quodammodo liquefiat anima eorum, & tota absorpta ab Essentia divina, unum fiat cum DEO, sicut cera solida liquidæ immissa, dissolvitur & unum fit cum ipsa. Quod indicat Apostolus Rom. 6. *Qui adhæret Domino, unus spiritus est cum ipso.* O beatam unionem! Infelicem te, Anima mea, quæ, relicto DEO, continuò vagaris post greges transeuntium creaturarum.

2. ADora D. JESUM, & considera: quàm ardenter & incessanter ametur à Beatis. Solet amor commensurari cognitioni boni: quæ cùm sit in Beatis perfectissima, videantq; JESUM undequaq; infinitis titulis amabilissimum: non possunt non rapi in ferventissimum ejus amorem. Incredulus discipulus vix vidit aut attigit stigmata vulnerum Salvatoris; illico non solùm agnovit Dominum & DEUM, sed incredibili amore exarsit in illum: *Dominus meus, & DEUS meus!* Quid, ubi amabilissimus JESUS, plenè explicat divitias Divinitatis & Humanitatis suæ? Vix verbulo blandiore sponsam compellaverat cælestis Sponsus Cant: 5. & mox, *Anima mea*, inquit, *liquefacta est, ut locutus est.* Quid, si & ore, & toto corpore, & tota anima & tota Divinitate provocaverit amorem? Quod cor sufficiens erit ardori amoris, nisi roboretur divinitus? Gaudeo intimè, & gratulor tibi, Amabilissime JESU, illos Beatorum amores. Succende, perfice nostrum. Si enim hic parum dilexerimus, parum te diligemus & ibi.

3. VEenerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; amari à Beatis & ardentissimè, & post DEUM appretiativè super omnia. Vident enim in perfectionem ejus confluxisse non tantùm omnem naturæ elegantiã, & supernaturalium charismatum copiam: sed totam Divinarũ Personarum Triadem. Vident: quantum contulerit ipsa ad eorum salutem & gloriam: & quomodo possunt non amare, aut amare frigidè? O Beatissimi Cælites rapite & corda nostra in amorem amorum vestrorum, DEI, JESU & MARIÆ.

Propositum v. gr. *de studiosius absolvendis his meditationibus: ut in illis exardescat ignis amoris erga DEUM, J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

De Imitatione Amoris Beatorum erga DEUM.

DUæ propositæ sunt in 1. Pun. Meditationis Prærogativæ Amoris Beatorum erga DEUM: quòd scilicet sit Necessarius, & Perfectè unitivus amantium cum amato. Quo ad primam, Imitatio non est in nostra potestate: cùm non habeamus tam perfectam DEI cognitionem in hac vita, quæ necessariò impellat ad amorem: nisi fortè DEUS per specialem favorem eam infundat; prout fit in Extasibus & Raptibus eximiorum Sanctorum. Quo ad Unionem cum DEO, quàmvis attingere non possimus eam Amoris perfectioné, prout est in Beatis: imitari tamen illum possumus adjuti gratiã Divina. Quod quomodo fieri possit secundùm varios *Unionis* modos & gradus: manifestum fiet ex perutili Doctrina P. Leonardi Lessij lib. 2. de Sum: Bono. cap. 12. n. 91. & seqq.

Primò igitur Amor DEI impellit hominem ad Conjunctionem, seu *Unionem*

cum illo per crebram cogitationem. Amantium enim est assiduè vel frequenter cogitare de amato: & quo ferventior est amor, eò crebrior est cogitatio de amato: ut manifestum est etiam in amantibus carnaliter. Unde etiam dici solet: Animam magis esse ubi amat, quàm ubi animat: quia nobiliori modo illic est, scilicet per Unionem intentionalem, & majore sensu ac gustu. Ex quo sequitur: eos, qui raró de DEO cogitant, valde tepidos aut frigidos esse in ejus amore.

Secundò impellit ad Conjuctionem seu *Unionem per obsequium.* Qui enim alteri servit: accomodat, conformat, & conjungit se ejus voluntati: & est ejus veluti instrumentum; ac proinde conjungitur illi ut motori ac fini, ob quem agit. Hinc ardentes DEI amatores semper in obsequijs & negotijs DEI versantur: & suis commodis ac honoribus neglectis, solùm quærunt honorem DEI, suasq; omnes functiones ad illum dirigunt: & sic per ea se illi conjungunt.

Tertiò impellit ad *Unionem per vitæ similitudinem, & morum imitationem.* Similitudo enim est quædam Unio rerum diversarum aut distinctarum: cùm juxta Philosophum Similia sint, quorum qualitas est una. Hinc DEI amatores charitatis impulsu Divinos mores, seu virtutes ac perfectiones imitari student, ut Charitatem, Beneficentiam, Clementiam, Patientiam, Liberalitem &c. juxta illud Matt. 5. *Estote ergo perfecti, sicut Pater vester cælestis perfectus est.* Vitæ quoq; Christi D. se conformare conantur, ut per imitationem quasi induant Christum. Ad quod passim nos hortatur Apostolus, monens: ut *Induamus Christum: ut portemus Imaginem hominis cælestis,* id est Christi, ut ejus *Passiones imitemur; carnem cum vitijs crucifigamus &c.* Talis Unio est *Transformatio* quædam diligentis in dilectum.

Quartò Amor DEI impellit ad Unionem *per sublimem Contemplationem,* qua DEUS, cognoscitur speciali, & inexpertis *ignoto modo*: ut loquitur S. Dionysius cap. 1. Mysticæ Theologiæ. *Tu verò* inquit, *ô chare Timothee, circa mystica spectacula contenta exercitatione, & sensus relinque, & intellectuales operationes, & omnia sensilia & intellectilia, & omnia, quæ sunt, & quæ non sunt: & ad unionem ejus, qui super omnem essentiam & notionem est, quantum fas est, ignoto modo attollere.* Scilicet non apprehendendo & imaginando illũ usitatis conceptibus v. g. ut Lucem quandam infinitam, aut ut substantiam vitâ, sapientia, bonitate, potentiâ, &c. instructam: sed modo longè eminentiore; quo concipitur DEUS non sub aliqua ratione communi cum creaturis licèt longè perfectiore; sed specialissimâ, quam soli norunt, quibus infunditur: eâq; excellunt Beati, utpote DEUM intuitivè cognoscentes.

Quintò

Quintò impellit Amor DEI ad Unionem *per quandam Liquefactionem, & Demersionem seu Absorptionem in Abyssum Divinitatis.* Ferventes enim DEI amatores ita subinde in DEI contemplatione per amorem ejus effervescunt; ut sibi toti liquescere, & à suo esse creato deficere videantur, atq; in abyssum Divinitatis demergi atq; absorberi: in quantum jam non sentiunt se ipsos & esse suum, sed solùm DEUM & perfectiones ejus; adeóq; se ipsos quasi amittunt in DEO. Hinc sunt Extases & Raptus. Qui modus amorosæ Unionis cum DEO propius accedit ad Amorem Beatorum: sed in illis est longè majoris vigoris, utpote lumine gloriæ confortatis; in viatoribus autem causat virium defectum, animæ langvorem, & corporis magnã debilitatem; ut experientia docet.

Inter Tertium & Quartum modum amorosæ Unionis cum DEO potest poni Conjunctio seu unio cum eodem per Orationem, quatenus hæc dicit Laudem & Glorificationem DEI: imò etiam Petitionem arctioris conjunctionis, vel eorum quæ ad ipsam conducunt. Ut cùm sponsa petijt: *Trahe me post te, curremus &c.* Qui enim diligit; naturaliter laudat bonum quod diligit; atq; extollit illud super cætera non amata, aut minùs amata; atq; sic affectu conjungitur illi. Possumus igitur per Imitationem Amoris Beatorum erga DEUM, beneficio ejusdem amoris, arctissimam consequi cum DEO conjunctionem & Unionem; si placeat in ejus exercitium incumbere studiosiùs. Quidni autem placeat?

FERIA V. post Dom. XXII. post Pent:

MEDITATIO: *Quomodo DEUS, JESUS & MARIA glorificant, & recreant Corpora Beatorum.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: quantâ gloriâ & voluptate ab ipso donanda sint Corpora Beatorum; quæ glorificari oportet, tum ut Animæ gloriosæ congruum statui suo habeant habitaculum, tum quia concurrerunt ad opera meritoria, præsertim ærumnas & tormenta, vel spontaneas macerationes sustinendo. Donabuntur ergo inprìmis elegantissima specie, absolutissima membrorum proportione, colore vivacissimo, totaq; complexione & statura ad similitudinem & *mensuram ætatis plenitudinis Christi.* Ephes. 4. Deinde eximijs 4. dotibus exornabuntur ad modum spirituum; Impatibilitate & Immortalitate, Agilitate summa, Subtilitate mirâ, & Claritate admirabili. Nam, ut loquitur Apostolus 1. Cor. 15. de corpore humano terræ mandato, *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale,* simile spiritibus. Insuper omnes sensus honestissima, & admi-

admirabili voluptate pascentur: qualem nunc nec animo concipere possumus, innutriti terrestribus. Vide jam Anima mea, quomodo tractes corpus tuum; ne excidat tantâ gloriâ & voluptate. Vide: an sint condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam?

2. ADora D. JESUM, & considera: quid speciale conferet ipse ad gloriam & voluptatem Corporum Beatorum. 1. Admirabili & jucundissima luce ex Corpore ejus divino promicante, perfundet totum cælum, & omnes Beatos. *Civitas non eget sole neq; luna, ut luceant in ea: Nam claritas DEI illuminavit eam, & Lucerna ejus est Agnus.* Apoc. 21. *& ambulabunt gentes in lumine ejus.* 2. Ipse virtute sua *reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum Corpori claritatis suæ.* Philip: 3. O quali Corpori lutea vasa nostra configurabit! 3. *Non esurient, neq; sitient ampliùs : nec cadet super illos sol, neq; ullus æstus: Quoniam Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos, ad vitæ fontes aquarum; & absterget DEUS omnem lachrymam ab oculis eorum.* Apoc: 7. Numquid hoc est, Angelorum agere vitam? 4. Ipso gloriosissimi Corporis sui aspectu, & auditu sermonum suorum ineffabiliter recreabit oculos & aures Beatorum. Non satiabitur oculus visu, nec auris auditu. 5. Præterquam quòd omnes gloria & honore coronabit; adjiciet Aureolas speciales Martyribus, Doctoribus & Virginibus, quibus præ cæteris fulgeant illustrius. Deniq; omnibus erit JESUS *Omnia in omnibus.* Et durum erit, nunc aliquid pati propter ipsum?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; admiranda externæ gloriæ suæ specie, & eloquio dulciore super mel & favum, imò & longè lateq; fusâ incredibili quadam fragrantiâ, qualem Principum vestimenta spargere solent, recreaturam sensus Beatorum. Quanta voluptas: videre cælorum Reginam, DEI Matrem! Meritò eam appellat S. Anselmus hom: de concept: V. *Beatificatricem omnium Sanctorum.* O totis viribus nunc dicamus illam Beatam: ut olim beatificemur per ipsam.

Propositum v. gr. *de sedula corporis mortificatione: ut olim glorificari mereatur.*

LECTIO PRACTICA.

De honore, quo etiamnum in terra DEUS afficit Corpora Sanctorum.

MAnifestum id fit ex ijs, quæ legimus gesta circa Corpora SS: Joannis Chrysostomi, Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi, Stanislai Episcopi Cracoviensis. & innumerorum aliorum. Non solùm enim impleri videmus, quod scripsit Psalmographus Psalm. 33. *Custodit Dominus omnia ossa eorum: unum ex his non conteretur:* sed etiam ipsorum intuitu dicere possumus; *Nimis honorificati sunt amici tui DEUS,* Psal. 138.

Ejecerat iteratò iniquissimè in exilium Eudoxia Imperatrix cum quorundã Episcoporum conciliabulo, non tantùm Os aureum sed totum virum aureum, Joannem Chrysostomum. In itinere tantum incommodorum ipsi intulerunt feri milites: ut eum planè confecerint. Delato ad templum quoddam & pernoctanti in oratione DEI, apparuit S. Basiliscus Episcop9 & Martyr, monuitq; de morte in crastinum instante tum Joannem, tum loci illius Sacerdotem: ut omnia compararet maturè pro funere crastino Chrysostomi. Coëgerunt infirmũ barbari satellites ad reassumendum illucescente die iter: sed Divinæ Providentiæ placuit; etiam eo honore dignari servum suum; ut in templo moreretur. Progressi igitur ut videbatur, aliquot passuum millia ab æde illa sacra; rursus se ad limina ipsius repererunt. Invalescente mox ægritudine, eodem die spiritum DEO reddidit Magnum Ecclesiæ Lumen. Mors ipsius pretiosa non multò pòst traxit in tumulum morte pessima tum Eudoxiam, tum cæteros omnes adversarios ejus. Eudoxiæ funus eo præ cæteris horribilius fuit: quod per annos triginta, donec reduceretur Constantinopolim Corpus S. Joannis, quiescere non potuerit cadaver ipsius, sed unà cum tumba succutiebatur continuò, velut in terræ motu. Lapsis igitur annis triginta, urgente populo, expedivit Theodosius Junior Imp. quosdam Procerum suorum, ut ex Ponto Constantinopolim reducerent Corpus Sancti. Sed illud nulla vi moveri poterat; donec Imperator datis humillimis ad sanctum literis, quibus parentum suorum culpam deprecabatur, eum invitaret ad Sedem suam. Positâ super pectus mortui epistolâ, nullo negotio se transferri permisit. Cùm autem Chalcedone, quæ est opposita Constantinopoli, huc per mare transportanda essent S. Lipsana; & honoris gratia ingens vis navigiorum ardentibus cereis illustratorum confluxisset: repentina coorta tempestas disjecit omnia: navis verò Imperatoria, quâ S. Corpus vehebatur, laceratis velis, tam valido impulsu invecta est in vineam viduæ, cujus causam contra Eudoxiam defenderat Sanctus: ut ingens saxum fiderit. Nec ulla vi inde moveri poterat: donec Imperator polliticus est vineæ restitutionem. Tunc ultro se sustulit navis, tempestas posuit, disjecta navigia congregata sunt, & Corpus Sancti summa pompa principi Ecclesiæ Constantinopolitanæ illatum est. Ibi Theodosius positâ purpurâ suâ & diademate super tumbam, prostratus in terram, largis lacrymis supplicavit S. Joanni: ut datâ veniâ, tandem matris suæ sarcophago quiescere liceret. Quievitq; ab eo tempore, post annos 30. Sancti verò sacrum corpus è tumba eductum, in sua Patriarchali Sede tanquam vivum collocatum est, acclamante innumerabili populo: *Recipe Pater Sancte thronum tuum, de quo te dejecit iniquitas.* Defunctus autem, apertis labijs, distinctâ claraq; voce dicere auditus est: *Pax vobis.*

bis. Deinde cùm inter Missæ solemnia tempus esset Offertorij, & Cæsar cum omni populo ardentes faces gestante, procederet ad altare, singuli genibus flexis venerantes Præsulem suum dicebant: *Ave Sanctissime Pater.* Deniq; peracto Sacrificio, Sacrum Corpus argenteæ tumbæ ab Episcopis reverenter impositum est, & ad latus aræ principis depositum; compensante DEO cum fœnore ignominiam proscriptionis & acerbitatem exilij. *Baronius, Surius & alij.*

S. Stanislaum Cracoviensem Episcopum Sanctissimum ad aram lethali plagâ confecerat rex impius Boleslaus: satellites ejus Corpus Sancti, è templo extractum in partes septuaginta consciderunt, atq; canibus avibusq; devorandum projecerunt. Sed DEUS Martyris sui lipsana passus non est ingloria. Adfuit illico aquilarum custodia, quæ corporis disjecti, dum se clerus colligeret, curam habuerunt. Post biduum dum collecta membra componuntur; effecit Omnipotentia Divina: ut ita simul concrescerent, acsi nunquam divulsa fuissent. Digitus unus deerat: sed ne iste quidem diu latere potuit. Piscis, qui eum voraverat, facula cælesti proditus, & captus, reddidit quod debuit; digitus verò Sacræ Præsulis manui confestim accessit, ut membra reliqua. Sic restauratum corpus occulto loco ante fores templi sepelierunt Canonici ob metum regis: sed prodiderunt hunc thesaurum cælestia lumina per integrum decennium ibi radiare solita: donec in urbe loco decente eum reciperet Cathedralis Ecclesia. *Cromerus, Henschenius 7. Maij. &c.*

Quid opus est memorare: S. Clementi Ep. & M. ab Angelis in visceribus maris conditum tumulum; S. Paulum eremitam tumulatum à leonibus; Catharinam V. M. in montem Sinai deportatum ab Angelis &c. &c. deniq; Sanctorum Reliquias innumeris maximisq; miraculis honorata à DEO, glorioso in Sanctis suis. Illud cum S. Gregorio hom. 32. in Evang. notâsse sufficiat: *Quomodo ergo vivunt* (Sancti) *illic, ubi vivunt: si in tot miraculis vivunt hìc ubi mortui sunt!*

FERIA VI. post Dom. XXII. post Pent:

MEDITATIO: *De Gaudio quod ex DEO, J. & M. percipiunt Beati.*

I. ADora DEUM O. M. & considera magnitudinem Gaudij, quò perfundit Beatos. Magnitudo hæc æstimari potest ex magnitudine Boni, quod obtinent Beati, ex magnitudine amoris, quo amatur, & ex perfectione potentiæ qua percipitur. Omnia hæc summa sunt in Beatis. Bonum, quod obtinent, est infinitæ bonitatis, pulchritudinis & jucunditatis, complectens in se modo perfectissimo omnia, quæcunq; honestè nos delectare possunt. Amor, quo hoc Bonum amatur à Beatis, est summus, & ardentissimus. Potentia,

tentia, qua percipitur id gaudium, est cor divinitus dilatatum, & voluntas Beatornm supernaturaliter roborata; ne magnitudine gaudij, ut subinde factum, opprimatur homo. Hoc gaudium est *Fruitio* DEI: est enim fructus dulcissimus, quem Beati capiunt ex clarè cognito, & summè amato, summo Bono. Cùm autem à nobis inexpertis satis intelligi non possit: commendari solet in Scripturis divinis phrasi varia allegorica, ductâ à rebus nos suavissimè afficientibus, & satiantibus. Ut Psal. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ: & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Et Psal. 15. *Adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo: delectationes in dextera tua,* quibus perfusi affluant & diffluant amici tui DEUS. At numquid vel unica illarum guttula cadet super eos, quorum hìc prima cura est ducere in bonis dies suos?

2. ADora D. JESUM & considera: quantum gaudij ex ipso percipiunt Beati. Si memoria absentis est mel in ore, jubilum in corde; quid erit conspectus præsentis, idq; in plenitudine gloriæ suæ? Numquid parca manu in vita beata admetietur delectationes dilectis suis, qui etiam in hac tam largè ipsos perfundit, ut in medio tribulationum *superabundent gaudio*, & exclamare cogantur: *Satis est Domine, satis est!* Invitat Matt. 21. fideles servos suos: ut intrent in gaudium Domini sui: siquidem ipsum gaudium in illos intrare totum non potest. Quòcunq; enim oculos mentemq; vertant; nil nisi merissima gaudendi materia occurrit, tanta varietate & novitate: ut nihil ampliùs desiderari, & fastidium nullum obrepere possit. Gaudent salute sua in tuto collocata, sed magis Gratiosissimo Salvatore suo. Gaudent gloriâ sua supra merita: sed magis ipso Glorificatore JESU, fonte indefectibili omnis & indefectibilis gaudij, quod nemo vel ad momentum, tollet ab ipsis. Ubi ergo, nisi apud JESUM, & per JESUM, verum quæremus & merum gaudium? *Gaudium hypocritæ*, qualis est mundus, *ad instar puncti*. Job. 20.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ex ipsius quoq; claro conspectu ingens & inexplicabile gaudium redundare in Beatos: Meritò exultans omnis Ecclesia eam celebrat ut *Causam lætitiæ nostræ*; S: Methodius de Purif. B. V. ut *ineffabile Gaudium nostrum*. S. Bonaventura in Psalter: ut *Gaudium plenum, post DEUM, omnium Beatorum.* O & meum cor guttâ aliqua dignare aliquando ô Beatissima: interim da; ut nunc lugere placeat.

Propositum v. gr. *de mitigando præsenti mærore spe Gaudij futuri.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm dignum sit assiduo Pœnitentiæ luctu Gaudium Beatorum?

PArum & fere nihil dicunt Sanctæ Literæ, & Patrum Sententiæ, dum Beatorum gaudia exaggerare videntur. *Sicut enim oculus non vidit, nec auris*

auris audivit, nec in cor hominu aſcendit: quæ præparavit DEUS ijs, qui diligunt eum: 1. Cor. 2. ita nulla lingva explicare, nullus intellectus concipere poteſt; quanta ſint gaudia, quæ Beati percipiunt ex ijs quæ DEUS præparavit diligentibus ſe. Bene David paucis multa complectens Pſal. 16. *Satiabor*, ait, *cùm apparuerit gloria tua.* Gaudent nimirum Sancti uſq; ad ſatietatem: ut nullum ampliùs ex ulla re deſiderent gaudium. Sed & illo, quo ſatiantur gaudio, numquid ita ſatiantur; ut nulla prorſus fames maneat? Et ſatiantur, & eſuriunt: quia ſatietas illa faſtidium non generat. Impletur mens, impletur cor, implentur potentiæ & ſenſus omnes ineffabili voluptate & gaudio: non tamen ibi dicitur: Satis eſt Domine, ſatis eſt; ſed Ampliùs Domine, amplius! quia vaſa ibi ſunt capaciora & validiora.

S. Franciſcus Aſſiſias in mortali adhuc corpore degens, cùm aliquando graviſſimo premeretur mœrore: optavit adeſſe Fratrem quendam peritiſſimum canendi cithara, qui tetras illas nubes diſpelleret. Sed DEUS peritiorem dulcioremq; alium cælitus ei miſit citharœdum: qui vix unicam chordam attigerat; & jam Franciſcus tanto jubilo & lætitia ſe perfuſum ſenſit: ut eum, ne ſecundam tangeret chordam, impensè rogârit; timens, ne præ nimia ſuavitate & infinita dulcedine cor nimis dilatatū, diſſolveretur. Unde ad immodicum illud gaudium temperandum, Crucem quandam vicinam amplexatus, Paſſionem Redemptoris meditari cœpit. Nota eſt hiſtoria ex ſpeculo Exempl. de Fratre Religioſo, quem aviculæ unius cantus è monaſterio eductum, per annos trecentos detinuit ſine cibo, potu & ſomno, abſq; omni faſtidio, ſumma cum voluptate & gaudio; docuitq; experimentaliter veritatem illius ſententiæ: *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies heſterna, quæ præterijt.*

Si quis noſtrum cum S. Joanne Climaco inviſiſſet illud Pœnitentium monaſterium, quod *Carcer* appellabatur, & oppoſitum erat alteri monaſterio, quod Luminare Luminarium vocabatur: ſi, inquam, quis noſtrum inviſiſſet Carcerem illum horribilem, in quo nihil videre erat, niſi luctuoſiſſima admirandæ pœnitentiæ exempla: quid ſenſiſſet? quid animi habuiſſet? quomodo pœnitentibus illis compaſſus fuiſſet? Vidi, inquit Climacus *in Scala parad.* de pœnit: grad. quoſdam ex ſanctis illis reis, noctibus totis uſq; manè ſub dio ſtare pervigiles, pedeſq; tenere immobiles. Alios miſerabiliter in cælum intuentes, & inde adjutorium cum gemitu & ſuſpirijs evocantes. Alios in oratione exiſtentes, reorum in morem vinctis poſt terga manibus, nec audentes oculos levare in cælum. Alios miſericordiam & veniam continuò vociferantes; alios tacitis gemitibus & ſuſpirijs ardentibus DEUM placantes. Nonnullos in pavimento ſtrato cilicio & cinere, ſedentes, ac faciem genibus operientes, frontemq;

in terram collidentes. Alios jugiter pectora tundentes, & quod aridis oculis dolerent, ejulantes. Vidi ego illic nonnullos habitu & cogitatione, & actu, quasi à semetipsis excessissent, velut æneos summo mœrore effectos, totos tenebris obsitos, & ad omnia vitæ hujus velut insensibiles factos. Alios usq; in finem vitæ incurvatos, totisq; diebus mœstos incedentes, & ex putrefactis corporibus gravem fætorem exhalantes. Vidisses in illis æstuantes linguas instar canum ex ore procedentes. Ex his alij sub ardentissimo solis æstu se ipsos macerabant; alij contra acerrimo se frigore cruciabant. Quidam modicum aquæ degustantes, ne omnino siti exarescerent, ita quiescebant. - Sic Beati illi Pœnitentes faciebant. Genua illis ex perpetuo orationis usu occalluerant; oculi defecti atq; defatigati intus profundè recesserant, genæ ardentiũ fervore lacrymarũ adustæ videbantur, facies marcescentes atq; pallidæ squalebant, nihilq; à mortuis in comparatione differebant. Quænam verò qualisve erat loci facies & habitatio? Tota tenebrosa, informis, fœtida, sordida, squalida. Carcer enim & condemnatio rectissimè appellabatur.

Hæc agebant, hæc tolerabant illi viri pœnitentiæ & luctus: si fortè peccatorum veniam, obtinere, & ad æterna gaudia aliquando pervenire possent; existimabantq; nimis vili emi supplicijs talibus voluptatem tantam, attestante Apostolo Rom: 8. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriã, quæ revelabitur in nobis.* In simili pœnitentiæ rigore cùm vitam transegisset S. Petrus de Alcantara, apparens aliquando S. Theresiæ, dixit: *O felix pœnitentia, quæ tantam mihi promeruit gloriam!* Felix luctus: quem tanta sequuntur gaudia! Putamus; nos & hic & ibi posse saginari voluptatibus? Non putavit Hieronymus, & omnis Patrum atq; SS. senatus.

SABBATO post Dom. XXII. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Æternitate præmiorum, quibus à DEO, JESU & MARIA remunerantur Justi.*

I. ADora DEUM O. M. & considera: si in remunerationem omnium laborum & passionum pro ipso, solùm nos dignari voluisset unico, momentaneo intuitu Essentiæ suæ, ut est in se: nimis liberaliter nobiscum processisset. Felicitatis enim hujus, & admirandæ visionis memoria tam jucundè nos afficeret: ut nullas, quantumvis miserrimæ vitæ sentiremus ærumnas, sed perpetuis diffluеremus solatijs. At nunc liberalissimus Dominus, pro infinita benignitate sua, omnia Beatorum præmia, etiam pro minimis operibus, pro quovis pio suspirio, voluit esse æterna. Quæ remuneratio maximi esset facienda: etiamsi non constaret pluribus & altioribus bonis, quàm qualia, sub-

lia, sublatis incommodis percipiuntur in hac vita ab honestè & piè viventibus. Æternitas enim etiam exiguo præmio pretium addit infinitum ita: ut quibusdam obrepserit stulta cogitatio, non curandi bona cælestia; si perpetuò & sine incommodis liceret frui terrestribus. At nunc Optimus DEUS præmia nostra voluit esse & Maxima, qualia nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis descenderunt; & nihilominus voluit esse æterna. In æternũ nulla Beatos afficient incommoda, nullaq; deficient commoda: Possessio regni cælestis æterna, Visio DEI æterna, Amor æternus, Gaudium æternum, Gloria omnis Animæ & corporis æterna. O liberalissimum & æterno amore, æterna laude, æternis gratijs & obsequijs dignissimum Remuneratorem!

2. ADora D. JESUM, & considera: quidquid commodi, honoris delectationis & gloriæ ab ipso, & ex ipso habent Beati, esse æternum. Rex est infinitæ majestatis: ad ostendendam gloriam & divitias regni sui; non centum octoginta dierum, ut Assverus, sed æternum epulum dat amicis suis. *Lætitia sempiterna super caput eorum.* Isa: 35. Imperator est gloriosissimus: milites suos æterno honorat triumpho, perrenni coronat lauréa, talento infiniti pretij remuneratur. *Momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modũ in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Dignissimus sanè es Liberalissime JESU ut tam profuso remuneratori per totam æternitatem serviatur gratis. At quid est? quantum? & quàm diu; quod sibi servientibus dat mundus?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: etiam ipsam obsequia sibi exhibita remunerari præmio æterno: tum quia Beneficia Principum decet esse mansura; juxta reg. Jur. in 6. tum quia ut Mater felicitatem liberorũ vult esse plenam, sine metu eâ excidendi. Est igitur Beatorum vita, gloria, & gaudium omni ex parte solidum, perfectum & æternum; O qualis vita? quanta gloria? quantum gaudium; vivere, exultare, regnare in summa æternaq; felicitate, cum DEO, JESU & MARIA! Valeat mundus, facessat caro: soli DEO. J. & M. servire, operæ pretium est.

Propositum v. gr. *de sæpiùs in mentem revocanda, præsertim in adversis & tentationibus, felici æternitate.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm acer stimulus ad vitanda mala, & agenda bona sit Remunerationis copiosissimæ Æternitas.

PLurimum semper valuit apud priscos Anachoretas & Patres, valetq; etiamnum apud Ascetas, cogitatio de Æternitate Remunerationis. Hac utebantur & utimur, jam ut fræno ad coërcendam concupiscentiam, jam ut stimulo

mulo ad enitendum ad ardua virtutis. De priſcis teſtatur Damaſcenus in hiſtor. Barlaam & Joſaphat cap. 12. Lacrymas profuderunt, dieq; ac noctu in luctu verſati ſunt: ut perpetuam conſolationem adipiſcerentur: ſe ipſos ultro depreſſerunt, ut illic in altum attollerentur: carnes ſuas fame ac ſiti & vigilijs confecerunt, ut illic Paradiſi deliciæ & exultatio ipſos exciperent. Spiritus Sancti tabernaculum per cordis puritatem extiterunt, quemadmodum ſcriptum eſt; *Inhabitabo in ipſis, & inambulabo.* 1. Cor. 6. Se ipſos mundo crucifixerunt, ut ad Chriſti dexteram ſtarent. - Nam cùm mentis oculis prædicti eſſent; horrendum illum diem ſemper proſpiciebant: atq; tum futurorum bonorum tum futuri ſupplicij contemplationem ita in corpore defixam gerebant, ut ab ipſa nunquam divellerentur. *Ita Damaſcenus.*

Hac conſideratione excitabat S. Antonius Abbas diſcipulos ſuos ad tolerandum Religionis rigorem; demonſtrabatq;: quàm diverſum nobis ſit negotium cum DEO, & cum hominibus. Inter homines contractus ſunt utrinq; pares; & venditum, ſeu emptum, commenſuratur pretio: at apud DEUM id quod emimus, infinitè excedit pretium noſtrum: labor eſt momentaneus, Merces omnino æterna: terrena damus, & accipimus cæleſtia. Ponderat hoc ipſum S. Auguſtinus in Pſal. 93. *Venale eſt,* inquit, *quod habeo, dicit Dominus: tibi eme illud. Quid habet venale? Requiem, Regnum. Quantum valet? Pretium ejus labor eſt. Quantus labor? Æterna requies æterno labore emenda erat. Sed qualis Miſericordia DEI? Non dicit: Decies centena millia annorum labora; non dicit, vel mille annos labora; non dicit quingentos labora: ſed cùm vivis, labora, paucis annis: inde jam requies erit, & finem non habebit. Ecce quantum pretium damus! quodammodo unam ſiliquam ad accipiendos theſauros ſempiternos: ſiliquam laboris ad requiem ſempiternam.*

S. Franciſcum graviſſimus oculorum dolor & inſomnia torquebant. Petenti gratiam patientiæ vox allapſa eſt cælitus: Franciſce ſi tota terra eſſet aurum; & mare, flumina ac fontes merum eſſent balſamum; & omnes montes ac colles eſſent lapides pretioſi: tu autem invenires alium theſaurum, his omnibus tantò nobiliorem, quantò aurum nobilius eſt terrâ, & balſamum aquâ; & hunc theſaurum tibi quis pro infirmitate tua daret; an non gauderes? Cùmq; Sanctus indignũ ſe tali theſauro diceret: ulteriùs vox ad ipſum: Gaude nunc Franciſce: quia ille eſt theſaurus vitæ æternæ, quem tibi repoſui. Et ex nunc te inveſtio, & iſta infirmitas & afflictio tua eſt arrha illius beati theſauri. Quo audito Sanctus ſummo gaudio eſt perfuſus. *Spec. Exempl.*

Rectè Bernardus ſerm: 4. de Aſcenſ: *Quid illi grave poterit videri, qui ſemper mente tractat: quod non ſunt condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriã?*

Quid concupiscere poterit in sæculo nequam, cujus oculus semper videt bona Domini in terra viventium; semper videt æterna præmia? S. Gregorius Nazianz. ep. 57. ad Eudoxium: *Ad DEUM* ait, *contende, progredere, animo volita, vitam æternam arripe. Nusquam spes tuas siste, quousq; ad illud summè expetendum, & beatum bonum perveneris.* B. Mechtildis à Christo quondam visitata, hanc à Sanctis illum comitantibus vocem audivit: O beatos vos homines in terris, quibus tanta quotidie merendi occasio est. Si enim penetraretis gloriam vobis paratam: certè eo ipso momento, quo è lecto vos proripitis, præ immenso cordis gaudio exiliretis; quod ille illuxisset dies, in quo incrementa frugum justitiæ, & illic gloriæ, prope in immensum multiplicare potestis.

Remuneratio certè atq; gloria, quam pro minimis etiam operibus bonis pollicitus est DEUS, omni ex parte incomparabilis est, & summa: sed Æternitatis circulus est corona illius; utpote à qua etiam exiguum præmium valorem accipit quodammodo infinitum. Si enim alicui pro bono quopiam opere daretur agellus decem pedum, qui singulis annis ferret fructum unius aurei: si fructus hic infallibiliter per annos infinitos percipiendus esset: aureis utiq; infinitis remuneratum esset opus illud. Quocirca, ut opportunè monet S. Leo serm: 2. de Ascens. *Sursum vocatos animos terrena desideria non deprimant: ad ÆTERNA præelectos peritura non occupent, viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non tardent.*

DOMINICA XXIII. post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Justitia Vindicativa DEI, JESU & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quòd quamvis totus sit Bonitas, Misericordia & Amor; detur tamen in ipso, tanquam summo Principe rationalium creaturarum, etiam Justitia Vindicativa delictorum tam rigida, quàm æqua. *Misericordiam & Judicium cantabo tibi Domine.* Psal. 100. Et Psal. 24. *Universæ viæ Domini Misericordia & Veritas*; qua scilicet omnia & singula opera & cogitationes hominum observat diligentissimè, dijudicat sapientissimè, & pro merito præmia vel pœnas decernit æquissimè. Cùm enim *sensus & cogitatio humani cordis in malum prona sint ab adolescentia sua*: Gen: 8. & pleriq; magis moveantur metu pœnarum, quàm spe præmiorum; necesse est Prudentiam mundi gubernatricem, instructam esse & Misericordiâ ad amorem, & Justitiâ ad terrorem. Est igitur DEUS noster & bonitate infinitâ amabilis nimis, & Justitiâ infinitâ metuendus nimis. Si iniquitates observaveris Domine, & arripuerit manus tua judicium: Domine, quis sustinebit? Sustenta me obsecro, misericordiâ tuâ, ne desperem: coërce Justitiâ, ut non peccem Tibi.

2 ADora D. JESUM, & considera: ipsi, ut Homini, specialiter commissam esse à Patre æterno potestatem Judiciariam, tam quoad remunerationem bonorũ, quàm pœnã malorũ: ut ipse testatur Joan. 5. *Potestatem dedit ei judicium facere: quia Filius hominis est.* Data est autem ei hæc potestas 1. ut judicium ejus esset suavius hominibus, gravius dæmonibus; quibus gravissimum tormentum est, judicari ab homine: hominibus autem tantò facilius licet sperare veniam, & cum fiducia majore accedere ad thronum gratiæ. 2. Quia id exigebat dignitas Capitis Christo propter Unionem hypost: competens, super omnem Ecclesiam; & Excellentia supremæ dignitatis & gubernationis super omnem rationalem creaturam. 3. Quia id meruit Christus; præsertim, quod non refugerit subjici judicijs, contradictionibus, & iniquissimis tribunalibus hominum impijssimorum. Unde Job 36. dicitur: *Causa tua quasi impij judicata est; causam judiciumq; recipies.* 4. Cùm & boni & mali judicandi sint: mali autem in judicio universali Divinitatem Judicis videre non possint: convenit, ut secundùm formam hominis exerceatur judicium. Ergo multorum reus, maturè mihi D. JESUM conciliare studebo.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsi non tam Justitiam vindicativam, quàm munus universalis Patronæ & Advocatæ apud Filiũ Judicem, commissum esse; quod ipsa implet cumulatissimè. Non raro enim, etiam in propria causa (nimirum vel turpiter neglecta a Catholicis, vel blasphemâ lingvâ appetita à Judæis, Mauris & hæreticis) visa est supplex accedere Filio, & sepositâ vindictâ implorare misericordiam, imò reis impetrare conversionem. Sæpe tamen, ad aliorum cautelam, vel emendationem, sinit Filium, pro Matris & Patris honore zelantem, uti jure suo. Unde etiam ex hac parte non liberamur omni timore. Nec expedit: sed præstat inter spem & metum suspensos vivere, exemplo justi Job c. 31. *Suspendium elegit anima mea.*

Propo. *de spe Misericordiæ cum timore Iustitiæ divinæ constanter conjungenda.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur admirando Exemplo Justitia Vindicativa DEI, & Amor proximi.

S. Petrono Ord: Carthus: ut habet Vita ipsius *in Actu Sanctorum Papenbrochij*; manifestavit aliquando DEUS, quantas patiatur ab hominibus offensas; ostendit quoq; multos recentiùs defunctos, in inferno sepultos; aliorum verò adhuc viventium exhibuit tormentorum locum, nisi resipiscerent: inter quos erat unus ex singularibus Sancti amicis, quem gravissima manebant supplicia. Non destitit Petronus pro hujus salute multiplicare preces, & Divinam ei conciliare Misericordiã. Sed Christus eum docuit: *Conclusum omnino esse*

no esse in Tribunali Justitiæ Divinæ: ut debitas delictis suis daret pœnas. Petronus non ignarus, quàm diu spirat peccator, locum esse appellationi à tribunali Justitiæ ad thronum Misericordiæ Divinæ; auxit preces, addidit mortificationes. Post multa audijt Christum dicentem: *Non posse jam impunita transmitti tot delicta. Cæterum si tu ipse, Petrone, luere vis, quod deliquit amicus tuus; immunis transire poterit ille.* Quæsivit Petronus: *Quid, & quantum esset patiendum?* Cui Christus: *Oportet te, vel alium loco tui, spatio sexaginta horarum sustinere eas ipsas pœnas, quas in altero mundo sustinent animæ pro delictis suis; & sic dabitur illi gratia sinceræ Contritionis, & conversionis.* Exhorruit Petronus, totamq; rei gestæ seriem recensuit alteri cuidam, intimo suo, Joachimo, rogavitq;: an paratus esset pro communi amico periclitante dictam subire pœnam? Refugiente isto, ipse quoq; Petronus trepidabat; sed tandem *Ergo,* inquit, *amore proximi periclitantis, ac inprimis amore ejus, qui mea & omnium delicta in se suscepit expianda, offero me Justitiæ Divinæ ad luendas, quas ille debet, pœnas.* Tu verò Joachime, fac adsis; ut observes, quæ circa me agentur. Ubi intellexit, acceptatam esse substitutionem suam, & advenisse horam patiendi, procidit in genua, & manibus oculisq; in cælum sublatis ait: *En dilectissime JESU, amore tui, & animæ à te redemptæ, offero me paratum ad confligandum cum Inferno & tormentis ejus. Unum oro: ut sicut tibi in agone posito præstò fuit à Patre missus Angelus, qui te confortaret; ita mihi tantum largiaris gratiæ & roboris, quantum fragilitas naturæ meæ requirit ad tanta sustinenda supplicia. Et jam tecum dico: Pater, si non potest transire calix hic, nisi bibam illum: Fiat voluntas tua.* His dictis, confestim gravi casu allisus est terræ, jacuitq; in modum horribilis cadaveris protensus, & immobilis: oculi inversi terrebant, pectus & vultus fœdè livebant; vox audiebatur nulla, solus dentium stridor immanitatem doloris testabatur. Exterritus Joachimus ad Priorem advolavit, & quid Petrono ageretur, retulit, causâ tragœdiæ non detectâ. Accurrit ille cum fratribus, oritur ingens comploratio intuitu tam luctuosi spectaculi. Cùm suum hunc Jobum è terra in lectulum sublevarent; horrendum erat videre, quomodo totis concutiebatur artubus; tamq; insolitis gestibus, & horribili dentium attritu acerbitatem doloris testabatur, ut viderentur in pulverem comminui; humeros vero, & subinde totum corpus ita contorquebat; ut non paucis venerit in mentem, eum à diabolis ipsis gravissimè castigari. E corpore calidissimus fundebatur vapor; nec aliter, quàm vivus carbo æstuabat, eratq; tam sensibilis: ut vel extremo pedis digito lenissimè tactus, totus mira symptomata, membrorumq; omnium pateretur convulsionem: ex oculis lacrymarum fluebant ardentes rivi, nec rarò ex intimo corde gravissima ducebantur suspiria. Interea

rea rumor per civitatem (Senas, in Italia) sparsus, innumeram hominũ excivit multitudinem; inter quos adfuit & ille amicus, cujus causâ hæc agebantur & tolerabantur. Quàmvis verò nesciret, hæc suâ causâ agi; ex conspectu tamen tam dira patientis amici tam acutum de peccatis suis animo concepit dolorem, ut in corpus redundarit; ac domum reversus, per dies sex lecto jacuerit affixus, reputans identidem secum: Quantum deberet ipse Justitiæ Divinæ, si vir tam Sanctus tanta pateretur. Si hæc in viridi: quid fiet in arido?

Tandem post elapsas infernalis supplicij, in corpore & anima tolerati, horas sexaginta, ducto ex alto pectore suspirio, redijt ad pristinum statum Vir DEI; atq; oculis manibusq; in cælum levatis, *Benedictus es Domine*, ajebat, *in firmamento cæli, laudabilis, & gloriosus, & superexaltatus in sæcula. Benedicite Dominum: qui in doloribus meis induit me virtute ex alto.* Posthæc sensim cœperunt ei redire vires, & anima tantis affluere cæli delicijs; ut inter Angelorum choros versari sibi videretur: Joachimo verò & S. Columbino, intimis suis, narrabat: quomodo secum non aliter processerint dæmones, quàm cum animabus in Purgatorio luentibus. Post triduum diffluens gaudijs cælestibus, migravit ad Dominum pro præmio tam inauditæ Charitatis percipiendo. Amicus verò ille, à Joachimo edoctus, ipsius Salutis gratiâ hæc tanta tolerata esse; ubi animum à stupore collegit, dignos egit fructus pœnitentiæ; siquidem oculis suis spectaverat: quàm horribile sit, incidere in manus DEI viventis.

FERIA II. post Dom. XXIII. post Pent:

MEDITATIO: *De rigore Justitiæ Divinæ, præsertim in Christo & DEIpara V. exercito.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm horribilia olim dederit exempla vindicis Justitiæ suæ. 1. In Angelis rebellibus. 2. In protoparentibus nostris. 3. In diluvio Universali. 4. In eversione Sodomæ &c. 5. In vastatione plurimarũ aliarum Provinciarum varijs gravissimisq; cladibus. Proinde, *Ne dixeris: peccavi; & quid mihi triste accidit? Altissimus enim est patiens redditor.* Eccli. 5. sed quàm patiens, tam justus & rigidus, cùm ad executionem processerit.

2. ADora D. JESUM, & considera: nunquam alibi editum esse tam horribile exemplum divinæ Justitiæ, ac in ipso. Susceperat in se expianda peccata nostra, non per actum aliquem submissionis, & deprecationis, aut per sacrificium laudis vel aliarum victimarum: sed per passionem & mortem SS. Humanitatis suæ. O quantum pondus, quantus rigor divinæ Justitiæ incubuit innocentissimo Redemptori & Fidejussori! Quis crederet, nisi infalli-

bilis

bilis fides doceret, tanta eum pati voluisse, potuisse, & oportuisse? Recole, quæ passus est in Divinitate sua contempta, in Anima afflictissima, in Corpore excarnificato: & audi DEUM dicentem Isa: 53. *Propter scelus populi mei percussi eum.* Heu! Si sic animadversum est in Filium sanctissimum, dilectissimũ, unicum, propter peccata aliena: quid fiet ob propria peccatori?

3 VEnerare DEIparam V. & considera: iisdem ærumnis, calamitatibus & tormentis, quæ divina Justitia irrogavit Christo, ipsam quoq; involutam fuisse. Vidit vindex DEUS illam undequaq; innocentissimam: prævidit omnia incommoda, vulnera, dolores & mortem acerbissimã Filij redundatura in Matrem: non tamen ultorem Justitiæ suæ gladium cohibuit, sed per latera Filij eum adegit in cor Matris. *Et tuam ipsius animam pertransibit gladius.* Luc. 2. Videat scelestus mundus, ac potissimũm Spirituales vitæ liberioris, quam in caput suum provocent vindictam; si tam rigidam ob ipsorum peccata experti sunt IESUS & MARIA. O immanem stuporem nostrum, qui talia credimus, & tam liberè peccamus!

Propositum v. gr. *de studiosius vitandis peccatis, præsertim gravioribus* NN.

LECTIO PRACTICA.

De rigore Justitiæ Divinæ circa personas Spirituales.

QUàm rigidum Vindicem in Lege veteri egerit DEUS erga personas sibi sacras; patet ex duobus filijs Aaronis Nadab & Abiu, Levit: 10. cælesti igne consumptis, quòd profano igne incensum adoleverint Domino; deinde ex cæsis duobus filijs Heli 1. Reg. 6. totaq; ejus domo perpetuis plagis castigata; deniq; Oza Sacerdote minus reverenter Arcam vacillantem contrectante. 2. Reg. 6. Lex nova quo sanctior, eò gravior est Ministrorum ejus culpa, si non rite fungantur officio suo. Nec neglexit Divina Justitia rigoris sui in illos, tam sæculares quàm religiosos, tremenda dare exempla in cautelã aliorum. *Tempus est*, monet S. Petrus ep. 1. c. 4. *ut Judicium incipiat à Domo DEI.*

Petrus Abbas Cluniacen: lib. 1. Mirac: c. 25. refert: apud castrum Lizimacum in pago Pictaviensi situm, fuisse Presbyterum, qui creditum sibi populum, non solùm ut decet, non curabat: sed etiam fœdis moribus graviter scandalizabat. Oppressum gravi morbo invisit Prior vicini monasterij: & ecce horribiliter inclamat æger: irruere in se duos leones hiante rictu ad se devorandũ. Procumbente ad orationem Priore, diffugerunt leones; sed post horæ circiter spatium, terribilius inclamavit æger: En ignis de cælo, ut torrens inundans descendit, jam jam me consumpturus. Iterum orante Priore, evanuit Ignis: ægrotus autem inter colloquendum cum Priore, subitò obmutuit velut in extasim raptus. Post multum noctis spatium ad se rediens, & miserabiliter ingemiscens,

miscens, ait: Ad judicium æternum raptus sum, & heu! miser æterna morte damnatus, traditus sum horrendis tortoribus. Ecce ecce ignitam adferunt sartaginem ad me frixandum. Conatus est Prior hominem reducere ad spem veniæ, & dolorem de peccatis; sed ille: Cessa, inquit, cessa: frustra sumus. Ne putes, me insanum: scio, scio quod loquor; dumq; hæc loqueretur, gutta invisibilis ignis de sartagine illa exiliens, cecidit super manum ejus, totamq; usq; ad ossa, vidente Priore, consumpsit. Tunc ille acri cum gemitu: En, ait, indubia rei probatio. Ecce jam infernales ministri sartaginem propius adferunt, ut me in illam injiciant. His dictis obmutuit, & reflexa cervice extinctus est infelix; salutari nobis relicto terrore, ne incidamus in sartaginem, in qua, ut ait S. Hieronymus, *frixæ libidines in proprio adipe bulliunt.*

Agitata & antè, & Anno 1238. fuit in Universitate Parisiensi quæstio: An uni liceret plura Beneficia Ecclesiastica possidere? Conclusum semper communi Doctorum sapientiâ: Non licere: si unum annuas quindecim libras Parisiensis monetæ ferret. Cui decreto tam pertinaciter se opposuerunt Philippus, ejusdem Universitatis Cancellarius, & Arnoldus, qui postea fuit Episcopus Ambianensis: ut Philippus, licèt lethaliter ægrotus, adduci nullo modo potuerit ad dimittendum ex beneficijs duobus, quæ possidebat, unum; licèt Gvilielmus Episcopus ei de suo tantundem promitteret, quantum ferret alterum beneficium. Imò adjicere non dubitavit: Se, jam jam moriturum, experiri velle: An plurium beneficiorũ possessio possit esse causa damnationis. Ita moritur. Post paucos dies Matutino dicto, videt Episcopus nigram circa se umbram velut hominis: adjurata respondit: se esse animam Philippi Cancellarij, æternum damnati, tum ob modicum de reditibus beneficiorum erogatum in pauperes; tum ob pertinaciam in defendenda pluralitate beneficiorum; tum ob vitam lascivam. His dictis evanuit: Episcopus autem rem omnem Clero suo exposuit. *Stephanus Menoch. p. 1. cent: 2. c. 21.*

Alius æger Sacerdos Thomã Cantipratanum invitavit; ut sibi morienti esset solatio & auxilio. Thomas hortatur: ut unum è suis beneficijs dimittat; scire eum, utpote hominem doctum, id doctorum sententiâ nefas esse. Idem rogat eum lacrymis præsens ejus consobrinus; sed frustra. Moritur ergo, & damnatur ob hanc causam unam unicam; prout ipse apparens cuidam Religioso ex Ord. Præd. aperuit. *Lohner in Append. Biblioth. n. 101.*

Religiosos dissolutos non minor manet Justitiæ Divinæ rigor, si non major. Nam, ut ait S. Bernardus Serm: 2. in festo S. Michaëlis, *minus damnabile erat eis in sæculo magis perire, quàm in monasterio.* Speculum exemplorum funestum exhibet spectaculum, quod in quodam monasterio contigit Neapoli. Post absolutum

lutum in templo Completorium Frater quidam ingreſſus triclinium, vidit in eo menſis accumbentes complures religioſos, ſed non è domeſticis, indutos cappis, & quaſi collationem veſpertinam expectantes. Territus accurrit ad Priorem; qui de conſilio Patrum primariorum, aſſumptis veſtibus ſacris, & Sacrum Chriſti corpus præferens, toto Conventu comitante, ad triclinium ſe confert, & exadjuratis quærit: qui ſint, & cur advenerint? Illi cùm omnes aſſurrexiſſent, & profunda inclinatione Ven: Euchariſtiam venerati eſſent, reſpondit præcipuus: ſe fuiſſe ejuſdem Ordinis Religioſos, & quidem primarijs officijs Priorum, Lectorum &c. honoratos; juſto autem DEI judicio eſſe æternum damnatos propter ambitionem, ſuperbiam, & morum diſſolutionem: adveniſſe autem; ut ipſorum viſâ ruinâ alij viverent cautiùs. Quibus dictis, omnes aperuerunt cappas ſuas, & toti apparuerunt in igne: mox à primario dato in menſa manu ſigno, diſparuerunt. *Timete ergo Dominum omnes Sancti ejus.*

FERIA III post Dom. XXIII. poſt Pent:

MEDITATIO: *De rigore Juſtitiæ DEI, IESU & MARIÆ, adhuc in hac vita exerceri ſolitæ.*

1. ADora DEUM O. M. & conſidera: eum ex juſtiſſima peccatorũ ultione, præter corporalia, quæ immittit, mala, graviſſimis pœnis ſpiritualibus, adhuc in hac vita, plectere peccatores: quæ, licèt ab his parum apprehendantur, incomparabiliter graviores ſunt omni malo corporali. Nam 1. eodem momento ſubtrahitur peccanti gratia ſanctificans: ideoq; ex amico & filio DEI, fit mancipiũ diaboli. 2. Subtrahuntur ei multæ gratiæ congruæ & efficaces. 3. Permittitur crebris dæmonis tentationibus & infeſtationibus. 4. Permittitur in alia & alia peccata labi. 5. Deniq; ſequitur Excæcatio & obduratio in malo: poſt quam nihil reſtat, niſi interitus ſempiternus. Audimus hæc? Et non tinniunt aures noſtræ? Non veremur laceſſere DEUM? Immortales ipſi ſint gratiæ; quòd hactenus mitiùs proceſſerit nobiſcum.

2. ADora D. JESUM, & conſidera: quomodo adhuc in hac vita puniat animas culpæ mortalis reas. 1. Negat illis præſentiam ſuam familiarem, quàm diligentibus ſe promiſit Ioan. 14. *qui diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifeſtabo ei me ipſum. Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* 2. Permittit: ut in ea abominatione deſolationis, quam in ſe induxit anima, thronum ſibi erigat diabolus, & dominetur illi. 3. Donec redeat ad cor, negat ei uſum Sacramentorum ſuorum: ne detur Sanctum canibus. Matt. 7. & margaritæ mittantur ante porcos. 4. Orationes eorum ante ſeriam pœnitentiam non exaudit. *Scimus: quoniam DEUS*

pecca-

peccatores non audit. Joan. 9. Imò nec Sanctorum pro ipſis preces facile admittit: Unde monitus eſt Jeremias c. 7. *Tu noli orare pro populo: nec aſſumas pro eũ laudem & orationem, & non obſiſtas mihi: quia non exaudiam te.* En quam durum ſe præbet impijs Gratioſiſſimus JESUS.

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera: quod quàmvis Aſylum ſit & Refugium peccatorum; inquinatis tamen gravium culparum ſordibus, non ſolùm non exhibet ſe familiarem, ſed non rarò patitur eos graviſſimis premi malis animæ & corporis. Subinde etiam à dæmonibus exagitari ſinit: ut contigit inter alios non ſolventi votum peregrinationis ad ipſius Eccleſiam: de quo Bollandus 1. Martij. in Vita S. Rudeſindi Ep: O Domina, tu nos caſtiga manu tuâ, & emenda: quia Horrendum eſt, incidere in manus DEI viventis. Hebr. 10.

Propoſitum v. gr. *timendi offenſas DEI, J. & M. ne experiamur pœnas.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur idem rigor Exemplis patheticis.

MAuritius Imperator Conſtantinopolitanus, princeps aliàs pius, cùm quædam contra libertatem Eccleſiaſticam ſanxiſſet, ſpretis S. Gregorij PP. monitis: & milites ſuos ab hoſte captos magno numero, ſatis modico, quod requirebatur, lytro redimere noluiſſet: Divinam vindictam contra ſe, & domum ſuam, infelix provocavit. De illa jam jam imminente monitus per viſionem nocturnam, rogavit Dominum, & obtinuit: ut in hac potiùs vita expiaret delicta ſua. Ergo ſeditione militari contra eum concitatâ, Phocas quidam Centurio præfractæ audaciæ & crudelitatis, eligitur Imperator, & Conſtantinopolim invadit: Mauritium è fuga retractũ, ſine mora neci addicit cum conjuge & liberis quinq;. Cæduntur itaq; ante oculos ejus uxor & filij: ad quorum cædem ille altâ philoſophiâ dixiſſe fertur illud Davidicum: *Juſtus es Domine, & rectum judicium tuum.* Cùm verò nutrix ſubtraxiſſet parvulum unum neci, & proprium pro ipſo offerret filium: vetuit id fieri Mauritius, ſuumq; prodidit ipſe infantem, qui viſus eſt è vulnere lac dare cum ſangvine. Ultimus gladio carnificis cecidit Mauritius ipſe; cum ſe ſuperiorẽ caſu, Chriſtianæ philoſophiæ magiſterio, in omnibus demonſtraſſet. Baronius ad Ann. 602, & 63.

Funeſtiorem dedit ſcenam eadem Juſtitia Magdeburgi in Germania. Præerat Archiepiſcopatui Udo, quàm pius juvenis privatus, tam impius Prælatus. Projectus in omnia, præſertim lubrica, flagitia, & iteratò divina voce in ipſo æſtu ſcelerum monitus, *Udo Udo, ceſſa à ludo,* inſtar aſpidis ſurdæ obturavit aures mentis: ut ſolent impij, cùm in profundum veniunt. Nihil itaq; proficiente Miſericordiâ, conſedit pro tribunali Juſtitia Divina, ſeu Chriſtus Judex, cum

cum frequente Sanctorum Senatu (prout viro pio per visionem monstratum est) nocte quadam in templo principe. Adductus ad causam dicendam Udo, cùm nihil haberet, quo accusatores tum malignos, tum bonos Spiritus refutaret, addictus est peremptoriâ sententiâ morti tum temporali, tum æternæ: atq; in ipso templo, sine mora, capite mutilatus. Sangvis scelestus super templi pavimentum effusus, ita stratis lapidibus adhæsit, ut purgari nullatenus potuerit. Tegitur autem locus tapetibus: & quando super electos Episcopos *Te DEUM laudamus*, juxta morem canitur, tolluntur; atq; ibi ad orationem prosternuntur Electi: ut alieno periculo sapiant. Porro eadêm horâ, qua hæc in Ecclesia Magdeburgensi gerebantur, contigit; ut Capellanus infelicis Archiepiscopi, Magdeburgum rediens, oppressus nocte, in itinere, sub arbore opportuna, paulisper quiesceret, fræno equi, quo vehebatur ad brachium fortiter alligato. Et ecce in somno videt globum dæmonum cum tubis & tympanis ferri; & solium quoddam excitare. In quo ubi princeps eorum consedit, adfuit cuneus alter grandis cachinnans & tripudians, atq; animam Udonis catenis igneis onustam ad principem suum deducens. Assurrexit is, &, Bene, inquit, venisti, ô princeps, fautor & dilatator regni nostri. Tempus est, ut tibi reddamus vices. Et mox assistentibus: Fatigatus est ex itinere dilectus noster, reficite illum: qui confestim serpentes & bufones ori reluctantis ingesserunt, & ignitum sulphur propinarunt. Tum Satan: Ad balneum deducatur. Injecta ergo est anima miseri puteo ardenti, cujus fumus usq; ad cælum ascendit: paulò post extracta, præsentata est principi, tota instar ferri candentis ignita: qui subridens, Quàm suave ait balneum habuisti princeps? Tunc Udo horrendè maledicere cœpit: dæmon autem jussit eum in abyssum inferni præcipitari: & præcipitatus est horrendo cum fragore & tumultu. Ostendens deinde digito Capellanum: Videte, inquit, ne clericus ille effugiat; qui ut scelerum domini sui fuit complex, sit etiam supplicij. Quo dicto cùm dæmones eum comprehendere vellent, præ terrore evigilavit, & exiliens de terra, eqvum ita terrefecit, ut arreptâ fugâ diu miserum traxerit, & brachium fœdè luxaverit. Magdeburgum reversus, & conferens à se visa cum ibi gestis, facile agnovit: non vanum fuisse somnium, vitamq; solidè correxit. Cadavere Udonis in fluvium Albim projecto, pisces omnes inde fugerunt, nec nisi post multas supplicationes & jejunia, decennio post redierunt. *Ex Trithemio, Fulgoso, Lacki in summa Theol. Spir: sect.* 4. *& alij.* Recolendum sæpiùs illud Eccl. 1. 8. Unus est Altissimus, Creator omnium, Omnipotens, & METVENDUS NIMIS.

FERIA IV. post Dom. XXIII. post Pent.

MEDITATIO; *De pœnis Venialium offensarum DEI, JESU, & MARIÆ.*

1. ADora DEUM O. M. & considera rigorem Justitiæ ejus in puniendis peccatis levioribus, quæ Venialia dicuntur. 1. Iis, qui crebriùs & plena deliberatione ea admittunt, solet subtrahere specialia beneficia, & in tentationibus gravioribus non suppeditare auxilia efficacia. Unde fit: ut in gravia labantur peccata, juxta illud Eccli. 19. *Qui spernit modica paulatim decidet.* 2. Etiam Sanctos ob aliquod peccatum Veniale gravissime non raro punijt in hac vita. 3. Integris communitatibus, provincijs & regnis subinde immittit gravissimas calamitates. 4. Post mortem expiandis plenè culpis venialibus horrendas Purgatorij pœnas præparavit. Justus es Domine in omnibus judicijs tuis! Corrige judicia nostra: ut non æstimemus leve: quod tantæ Majestatis est offensa.

2. ADora D. JESUM, & considera: non solùm in rigidiore veteri Lege; sed etiam in Lege Gratiæ, ipso Judice, gravissimè puniri Veniales offensas: prout patebit ex adducendis in Lect: exemplis. Et meritò quidem. Cùm enim in hoc statu superabundet Gratia; faciliùs evitari possunt delicta, etiam minora. Magis igitur provocamus pœnam; si minùs diligentes sumus in evitandis noxis. Proinde, si ipso Domino teste, Matt. 12. de omni verbo *otioso* in judicio divino rationem reddere debent homines: utiq; & pœnam pro illo luent. Heu! quàm facile Purgatorij pœnas incurrimus: sed quàm difficulter inde emergimus!

3. VEnerare DEIparā V. & considera: ipsam quoq; non semper dissimulare negligentias, vel alias culpas clientum suorum. S. Joannes DEI, quòd semel solitas preces Virgini non persolverit, gravi excussione ex equo id luit. Joannem Durum adolescentem S. Xaverij in India comitem, à parvulo JESU accitum ad matrem, gravi vultu aversata est: humiliùs supplicantem monuit acriter de quibusdam vitijs. Thomæ à Kempis negavit ob quandam negligentiam amplexum, quo socios dignata fuit. Et quomodo amplectatur Regina servulos leprâ, vel scabie, etiam venialium noxarum, sordidos? Parce Domina. Etiam minimas eluere studebo maculas.

Propositum v. gr. *de cavendis & diligenter expiandis etiam minoribus peccatis.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur Exemplis rigor Justitiæ Divinæ in puniendis peccatis Venialibus.

PRimum idq; valde terrificum, præbet David rex sanctissimus, & planè Vir secundùm cor DEI. Jusserat ille 2. Reg. 24. populum suum, numerari, ut cognosceret numerum aptorum ad bellum. Quod factum regibus usitatum, adeò nihil videtur præferre mali; ut etiam videatur necessarium impetito ab hostibus plurimis, Philisthæis, Moabitis, Syris, Idumæis, Amalecitis, Ammonitis

monitis &c. reprehenditur tamen à Gad Propheta David, & reus agitur peccati. Inseruerat enim se vana quædam, atq; ut communiter Doctores putant, venialis tantùm gloriola. Vide autem, quàm gravem dederit Rex sanctus pœnam. Nam 1. quamvis ad exprobrationem peccati à Gad Propheta, contritus corde dixerit: *Peccavi valde in hoc facto: sed precor Domine, ut transferas iniquitatem servi tui; quia stultè egi nimis:* non tamen statim audivit, dimissum sibi esse peccatum; sicut quando dolens de adulterio & homicidio dixit: *Peccavi Domino.* 2. Immissa est pestilentia in populum, & mortui sunt ex populo 70. millia virorum. Si unus propter peccatum fulmine percutiatur, gravem arguimus vindictam: quanto gravior hìc ubi ceciderunt tot millia! 3. Non postquam doluit David, sed postquam tot ceciderunt millia *tunc primùm misertus*, & *placatus* dicitur Dominus. Illi, Viro secundùm cor DEI, propter quem DEUS sceleſtissimis nepotibus ejus vel distulit, vel minuit pœnam, imò maxima contulit bona, ut 3. Reg: 11. & 3. Reg. 15. & 4. Reg: 8. & 4. Reg. 19. & 4. Reg. 20. non nisi post tantam stragem datur venia, licèt humiliter deprecanti. Nimirum ut ait S. Isidorus lib. 2. de summo bono c. 19. *Tantò majus cognoscitur peccatum esse; quantò major, qui peccat habetur.* Et in amicis suis erudit DEUS inimicos: ut videant, quid mereantur.

Eandem severitatem probant, punita Curiositas uxoris Lot Gen. 19. Lapidari jussus colligens ligna pauca Sabbato Num: 15. Propheta modicum cibi sumens in via, occisus à leone 3. Reg. 13. Homo alter à leone jugulatus, quod Prophetam vulnerare noluerit 3. Reg. 20. Pueri illudentes Elisæo, ab ursis lacerati 4. Reg. 2. &c. quæ omnia à doctis putantur Venialia solùm fuisse.

In nova Lege S. Udalricus Episcopus Augustanus ob intempestivè promotum nepotem suum, per ignem Purgatorij transire debuit. Paschasius Diaconus Rom: miraculis clarus, ob pertinaciam in sensu suo eidem igni addictus fuit. Soror S. Catharinæ Senensis, quod eidem suaserit, ut paulò comptiùs se vestiret: Soror S. Petri Damiani ob vanitatem ex quadam cantilena perceptam: quidam apud Cæsarium lib. 12. c. 57. propter obolum fratri germano in pueritia ablatum; purgatorij tormentis subjecti fuerunt. Quæ omnia & plura prolixè recenset Lancicius tom. 2. Opus: 16. ubi etiam refert: Abbatem Moysen ob prolatum paulò duriùs sermonem in quadam disputatione contra Abbatem Macarium, confestim tam diro traditum esse dæmoni: ut humanas egestiones ori suo ingereret. *Timete* ergo *Dominum: & servite ei corde perfecto atq; verissimo*; monet Josve cap. 24.

FERIA V. post Dom. XXIII. post Pent:

MEDITATIO: *De Mensura offensarum DEI, JESU & MARIÆ provocantium vindictam.*

 1. Adora

1. ADora DEUM O. M. & considera: eum pro infinita benignitate sua plerumq; non punire homines extremo supplicio pro uno peccato gravi commisso (quamvis id aliquando faciat) sed patienter ferre, donec certus numerus, ipsi soli cognitus, peccatorum ponatur, & velut mensura malitiæ impleatur. Sic initio mundi non statim ac multiplicati sunt peccatores, diluvio vastavit terram: sed postquam *repleta est terra iniquitate.* Sic etiam Amorrhæorum, gentis pessimæ, terram non statim tradidit Israelitis, excisis Amorrhæis: sed *Generatione quarta revertentur huc* (dicit DEUS de semine Abrahæ) *necdum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum.* Idem facit cum particularibus hominibus. Recole jam: quot graves offensas pertulerit à te. Si unicam adhuc addideris, fortè ea ultima erit, & complementum mensuræ tibi assignatæ? Vide, & cave. Misericordissime DEUS, non ampliùs, non ampliùs! Da gratiam tuam.

2. ADora D. JESUM, & considera: eundem esse stylum vindicis Justitiæ ipsius. Unde Matt. 23. monuit Judæos: *Et vos implete mensuram Patrum vestrorum.* Terribilis est hæc impletio mensuræ communitatibus, provincijs & regnis: at terribilior longè personis particularibus præsertim fidelibus, religiosis, Ecclesiasticis, & in dignitate constitutis: quas non tolerat tam diu Vindicta divina, nec tam vastam illis mensuram assignare solet, ut integris provincijs. O quantum debeo Clementiæ tuæ, Benignissime JESU, quòd me ad hanc horam toleraveris! Cautior deinceps vivam.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quidem diu multùmq; laborare pro peccatoribus: sæpe tamen cedere Justitiæ divinæ, præsertim dum videt, patientiam DEI haberi pro licentia peccandi. Nec nescit: DEI suumq; honorem stare, & insolentiæ humanæ modum poni, non posse: nisi quandoq; funesta dentur vindicis Justitiæ exempla. Sinit ergo quasdam divinæ Justitiæ cadere victimas, earumq; casu monet cæteros: ut cum timore & tremore operentur salutem suam; & caveant implere mensuram delictorum suorum.

Propositum v. gr. *de eliciendo omni diligentiâ emendationis proposito, præsertim in Confessione Sacramentali.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur amplius constituta à DEO mensura delictorum nostrorum.

NOn pauci peccatorũ similes sunt temerarijs, seu insanis illis, qui se ex altissimo ponte vel prærupto monte dant præcipites; & quia prima vice cervices non eliserunt, vel submersi non sunt; audent secundò & ultra, donec intereant. Casus enim quos sæpe præterit, tandem invenit. Nec dissimiles sunt

furibus, quibus quia primum furtum succedit, resolvunt se ad secundum & tertium &c. donec incidant in manus carnificis. Imò non pauci illos imitantur fures, qui semel appensi furcæ, fortè fortunâ abrupto fune, salvi deciderunt: ideoq; rursus audent, fortunam sperantes similem: sed contrariam experiuntur. Vel, si honestiore uti volumus comparatione, genij sunt ejusdem cum Henrico II. Galliarum rege: qui cùm secundo die nuptiarum suarum, hastiludio non solùm nihil incommodi, sed plurimum plausum tulisset; suadenti novæ Nuptæ, ut finem faceret, & ultrà periculo se non exponeret, respondit: *Adhuc semel, & non ampliùs.* Dictum factum. Tentavit adhuc semel, & non ampliùs. Nã ex confracta æmuli hasta fragmentum, per oculum cerebro impactum, & oculo & vitâ infelicem privavit. Ita periculum grande subest illi: *Adhuc semel!* Quid si illud *semel* fatalis est terminus, prout plurimis fuit, mensuræ peccatorum tuorum? Æternùm perijsti miser! Sic unico commisso peccato, æternum perierunt Angeli, & hominum plurimi.

Oportet nos sapere alienis malis, & timere Judicem per Prophetam Amos c. 1. interminantem; *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci; & super quatuor non convertam eum:* Similiter minatus est civitatibus Gazæ & Tyro. Dat aliquid, imò multùm fragilitati, & malitiæ humanæ, benignissimus DEUS. Contentos ergo nos esse decet indulgentiâ ejus; quod sæpiùs, nec leviter, peccantes toleraverit: quid graviter offensum, magis magisq; irritare præsumimus? *Si acuero ut fulgur gladium meum, & arripuerit judicium manus mea: reddam ultionem hostibus meis, & his, qui oderunt me retribuam. Inebriabo sagittas meas sangvine, & gladius meus devorabit carnes* dicit per Moysen Deuter. 32. Fortè jam gladius, quem toties provocasti, acutus est; valde probabile est, quòd, si semel adhuc peccaveris, arripiet manus ejus judicium: quid animam cum corpore tanto exponis discrimini?

Si dicas: Etiam probabile est, quod adhuc dissimulabit DEUS; & quòd hoc peccatum non sit ultimum, quod impleat mensuram: quid ludis, & tibi illudis probabilitatibus in tam ancipiti, & tanti momenti negotio? Si ageretur de cane, bove aut equo amittendo, si adhuc semel peccaveris: abstineres; & non facile te resolveres ad peccatum: nunc autem agitur de amittenda animâ, imò tui totius æterna perditione; & credis te probabilitati satis inani, qua innumeri decepti perierunt æternùm? Quam enim, quæso, habes alicujus momenti rationem; quòd hoc, quod meditaris, peccatum tuum non sit tibi futurum ultimum ad implendam mensuram? Non alia suppetit, quàm Bonitas Divina. At hæc ipsa Bonitas, quia illâ sæpiùs abusus es, & iterum abuti cogitas, est DEO gravissimum motivum, ut non ampliùs dissimulet, sed puniat. Quod

ergo à pijſſimo Salvatore dictum eſt palalytico Joan. 5. *Ecce ſanus factus es: jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat*; ſibi quiſq; applicet, & peccatorum ſuorum menſuram implere caveat.

FERIA VI. poſt Dom. XXIII. poſt Pent:

MEDITATIO. *Quantam Conſvetudo offendendi DEUM, JESUM & MARIAM, provocet vindictam.*

1. ADora DEUM O. M. & conſidera: eum, ut ex ſe pronisſimus eſt ad parcendum, ita conſueviſſe punire mitiùs, dum procedit ad pœnam, quàm mereantur delicta, juxta illud Hab: 3. *Cùm iratus fueris, miſericordiæ recordaberis.* At homines ipſi ſibi aggravant pœnam, dum ultro cumulant peccata, & quidem eo ſtudio, quo avari ſolent ſibi coacervare pecunias, & conflare theſauros; in dies, imò in horas aliquid adjiciendo collectis. Quorum cæcitatem, imò inſaniam miſeratus Apoſtolus ad Rom. 2. *An divitias* inquit, *bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas DEI ad pœnitentiã te adducit? Secundùm autem duritiam tuam & impœnitens cor theſaurizas ibi iram in die iræ, & revelationis juſti judicij DEI.* O infelicem theſaurum! O inſanam theſaurizationem! Sic delectat, plus & plus carbonum, picis & ſulphuris congerere in rogum, quo æternùm uramur, & nunquam comburamur? Sic placet continuo aggravare pondus, quo deprimamur in profundum inferni? Neſcimus: Conſvetudinem peccandi enervare propoſitum reſipiſcendi, parere neceſſitatem quandam peccandi difficiliorem facere veniam, & celeriorem, aut certè graviorem provocare DEI vindictam? Audi Spiritum S. Eccli. 21. *Fili, peccaſti? Non adjicias iterum: ſed & de priſtinis deprecare, ut tibi dimittantur:* ſive gravia ſint, ſive levia. Nam & hæc tandem acervum faciunt & molam Aſinariam, qua primùm in peccata gravia, tandem in abyſſũ infelicis æternitatis deprimaris.

2. ADora D. JESUM, & conſidera: quàm injurioſa ipſi ſit peccandi conſuetudo, ob majorem ingratitudinem, audaciam, impudentiam, obſtinationem animi in malo, abuſum patientiæ divinæ, & multiplicatas injurias Chriſti. Qui ſemel crucifixerunt Chriſtum Judæi, quantum cum omnibus poſteris ſuis meruerunt ſupplicium? Quid merebitur, qui iterum iterumq; ſimile nefas committit in eundem, & quidem agnitum ut DEUM & Redemptorem ſuum? O Gratioſiſſime Salvator, ſat ſuperq; eſt injuriarum à Judæis & me ipſo tibi irrogatum. Malo jam mori, quàm ampliùs peccare.

3. VEnerare DEIparam V. & conſidera: quàm malè & ipſam afficiant, per conſuetudinem cumulatæ, præſertim graves offenſæ. Quod vas nectaris

ctaris est tam dulce: ut per iterum iterumq; largè affusum fel & absynthium tandem non amarescat? Cui matri tam charus est filius, præsertim non unicus: ut post graves contumelias sæpiùs toleratas, tandem incorrigibilem domo non expellat, vel à patre expelli sinat? Henricus quidam Prælatus coram imagine DEIparæ salutationes Angelicas recitans, audivit vocem redarguentis: Quid me salutas? homo perditus es; & nisi vitam emendaveris, citiùs peribis. Audijt, & maturè resipuit.

Propos. v. g. *de abrogandis sine mora pravis consuetudinibus, præsertim N.*

LECTIO PRACTICA.

Remedia quædam proponuntur contra Consvetudinem peccandi.

SIcut inveteratos corporis morbos curare perquam difficile est: ita inveteratas pravas consuetudines tollere, arduum. Nam ut ait S. Chrysostomus in c. 4. ep. 2. ad Corinth. *Magna est consuetudinis tyrannis*, præsertim pravæ; *adeòq; magna: ut perinde cogat, ac natura.* Et Augustinus in Psal. 30. *Vincere consuetudinem dura pugna.* Nihilominus desperandum non est, sed audentiùs eundum contrà. Quod enim Apostolus dixit de se, licet cuivis applicare sibi: *Omnia possum in eo, qui me confortat.* Philip. 4. Potuerunt alij: poterimus & nos, modò seriò velimus adhibere congrua remedia.

Primùm igitur, & ordine & virtute, Remedium contra pravas Consuetudines est Oratio fervens & frequens ad impetrandam efficacem gratiam, qua roborati invalescamus contra pravam consuetudinem. Cùm enim plurimum roboris habeat consuetudo; necesse est, ut cælitus petamus auxilium contra illam. Sic S. Augustinus Serm. de Sanct: testatur se vicisse consuetudinem jurandi. *Quis nos*, inquit, *audivit aliquando jurantes? Numquid non consueverã quotidie jurare! At ubi legi, timui; luctatus sum contra consuetudinem meam: in ipsa luctatione invocavi Dominum Adjutorem. Præstitit mihi Dominus adjutoriũ non jurandi. Nihil mihi facilius, quàm non jurare. Hoc ideo admonui charitatẽ vestrãm; ne dicatis: Quis potest?* Similiter dicit lib. 8. Confess. c. 5. se superasse habitus libidinosos, postquam ardentes lacrymas ad DEUM fudit.

Secundùm Remed. sunt Actus contrarij frequenter & cum vigore animi exerciti: ut quasi cuneus cuneo pellatur. Suadet hoc Kempensis lib. 3. de Imit: c. 5. *Obsistit inolita consuetudo? sed meliori consuetudine devincetur. Remurmurabit caro? sed fervore spiritûs frænabitur. Instigabit, & exacerbabit te serpens antiquus? sed oratione fugabitur.* Suasit idem Abbas Chæremon apud Cassian: Collat: 12. c. 5. dicens: Non possunt desideria præsentium rerum reprimi, vel avelli: nisi pro istis affectibus noxijs, quos cupimus amputari, alij salutares fuerint intromissi. Nullatenus enim valet vivacitas mentis absq; alicujus desiderij,

desiderij, vel timoris, vel gaudij, vel mœroris affectione subsistere, nisi hæc eadem in partem bonam fuerint immutata. Idcirco si carnales cupimus concupiscentias de cordibus nostris extrudere; spirituales protinus earum loco plantemus voluptates (*v. g. crebro cogitando de voluptatibus cælestibus, earumq; desiderium excitando*) ut his semper animus noster innexus, habeat quibus jugiter immoretur, ac illecebras præsentium ac temporalium respuat gaudiorum. *Ita ille.* Porro tam ad excitandos actus oppositos, quàm omittendos vitiosos, plurimum momenti conferet *Motivum Amoris Divini:* si v. g. Amore DEI velis talem vel talem elicere virtutis actum, vel omittere vitiosum. Item *Motivum Pœnitentiæ.* v. g. ut satisfacias per tales actus aut omissiones, licet arduas, pro offensis DEO illatis per actus pravos frequentatos.

Tertium Remed: est Usus serius & constans Examinis Particularis, secundùm methodum traditam à S. P. N. Ignatio in Libello Exercit: Spir: Nimirum 1. Statim ac à somno surgis, propone seriò amore DEI hoc die vitare vitium N. & sæpiùs per diem hoc propositum renova. 2. Circa prandium examina te: quomodo propositũ illud executus sis, numerum lapsuum annota in pugillaribus, vel alio ad id parato libello; & propone per residuum diei diligentius abstinere. 3. Vespertino tempore, antequam cubitum concedas, iterum simile institue examen, & defectus annota. Quoties autem advertimus, nos deliquisse; manu pectori admotâ, doleamus de lapsu (quod leniter fieri potest etiam in præsentia aliorum) vel aliam nobis pœnitentiam assignemus. Deniq; conferamus pomeridianum tempus cum matutino, diem unum cum altero, hebdomadam cum hebdomada: ut videamus; an profecerimus, vel defecerimus. Sic facile & brevi tempore extirpantur vitia.

Quartum Remed: est; dum cernitur nimiùm invaluisse vitium aliquod: proponatur initio abstinentia ab illo per aliquot solùm dies v. g. biduum vel triduum: quo peracto, iterum statuatur aliud triduum, donec usu facilitetur negotium. Sic tradit Discipulus Prompt: Serm. 131. S. Bernardum à fœdo vitio liberasse personã magnæ authoritatis. Cùm enim non posset ei persuadere: ut per seriam pœnitentiam resipisceret, & cum DEO perpetuam pacem faceret: suasit; ut saltem treugam, & quasi armistitium cum eo faceret ad aliquot dies. v. g. Triduo solùm, *amore DEI*, abstinendo ab opere illicito. Admisit ille hanc treugam: & fideliter abstinuit. Iterũ petijt Bernardus: ut amore DEIparæ V. abstineret alio triduo. Præstitit ille & hoc. Rursus: ut triduum daret SS. Apostolis, deinde Martyribus &c. Interea advertit vir bonus, semper sibi magis facile reddi, quod videbatur impossibile; & ad Bernardum: *jam*, inquit, *non treugam tantùm, sed pacem faciamus stabilem cum DEO.* Vixitq; deinceps dignam statu suo vitam.

SABBATO

MEDITATIO: *De impiorum in morte derelictione à DEO, JESU & MARIA.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm justo, sed terribili judicio, derelinquit in morte impios reprobos. Justo: quia prior ipse fuit ab illis relictus, per inordinatam, & DEO admodum injuriosam, conversionem ad creaturas, in quibus beatitudinem & finem suum posuerunt. *Me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Jerem. 2. Terribili: quia inde infallibiliter sequitur mors infelicissima, mors æterna, mors, quam rectè Psalmista *Pessimam* dixit: *Mors impiorum pessima.* Psal. 33. Mala nimirum est; quia separat ab omnibus charis, quæ perversè amârunt in vita. Pejor: quia anima separata cedit dæmonibus in prædam, Pessima: quia æternùm separantur à DEO & omni bono, & involvuntur omni malo. Recole: quàm gravis fuerit morienti Christo derelictio à Patre; quàmvis ea fuerit valde brevis, & solùm quoad subtractionem solatij soliti: at reprobi à DEO derelinquuntur pro tota æternitate; ut nihil unquam auxilij & solatij ab ipso sperare possint, & imminens judicium atq; supplicium sine misericordia timere debeant. *Scito* igitur, anima mea, *& vide: quia malum & amarum est, reliquisse te Dominum DEum tuum.* Jerem. 2. Vide: ne vicissim derelinquaris ab ipso in ultima & periculosissima hora. Tolle, si placet, omnia: sed ipse ne derelinquas nos, Domine, DEUS noster.

2. ADora D. IESUM, & considera: quàm tristi & funestâ derelictione puniat in morte impios, converti nolentes. Monet nunc non solùm per tacitas inspirationes & literas divinas; sed clamore valido, per ministros suos, per immissa adversa, per casus tragicos; ne derelinquamus ipsum, qui nos labore summo, & divini sanguinis glutino sibi univit, imò incorporavit ut membra uni corpori, ut palmites viti. Dum igitur nos ultrò ab ipso avellimus, & hostibus ejus jungimur, insuper solicitantem ad reditum contemnimus pertinaciter: quid mirum, si tandem, ab omnibus derelicti, à Christo etiam audiamus: *Curavimus Babylonem, & non est sanata; derelinquamus eam.* Ierem. 51. *Quia vocavi, & renuistis: extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret: despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoq; in interitu vestro ridebo, & subsannabo.* Prov. 1. Et quò tunc ibimus, à IESU relicti, & rejecti?

3. VEnerare DEIparam V. & considera: in ipsa manifestè impleri, quod Isa. 66 fidelibus promissum: *Ad ubera portabimini, & super genua blandientur vobis.* Ipsa enim non solùm ut gerula quædam & extranea nutrix, sed ut vera Mater nos portat & fovet inter ubera misericordiæ suæ,

Nihilominùs fuit, qui in mortis articulo inclamavit trepidus: *Monstra te Matrem*; sed non aliud audivit infelix, quàm *Non monstrâsti te filium*. Monstrabo, ô Gratiosissima. Nec dubito: dignaberis te monstrare Matrem in illa hora.

Proposit. v. g. *de maturè deserendis, quæ nos separare possunt à DEO, J. & M.*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur Exemplis derelictio impiorum in morte.

TOleti in Hispania nobilis adolescens Statum religiosum, ad quem se vocari sentiebat non obscuris indicijs, commutavit cum pingui beneficio Ecclesiastico. Ad quod attulit quidem mores probos, sed non diu conservavit. Brevi à Vita scandalosa factus infamis, ab ipso DEO meruit non diu tolerari. Repentino morbo ad extrema deductum visitat Ecclesiastes Toletanus, & periculi officijq; sui humaniter admonet. At ille negat tantam esse necessitatem; facturum se in tempore, quod salus sua requireret. Medicus instat; paucasq; vitæ horas superesse denunciat. Urget igitur magis Ecclesiastes: sed idem, ut antè, repotrat responsum. Jam medicus vix unam superesse horam declarat: sed frustra. Ergo Ecclesiastes cum alijs præsentibus in genua procumbunt; ut DEO supplices, saniorem ægro mentem impetrent: in quem finem Ecclesiastes, arreptâ Christi è cruce pendentis effigie, Psalmum *De Profundis* orditur; jamque ad illa verba venerat: *Fiant aures tuæ intendentes in vocem deprecationis meæ*; cùm ecce tibi lignea Imago, totâ præsentium coronâ inspectante, brachia ad crucem fixa resolvit, & utrâq; manu aures obserans, formidabilem hanc vocem emisit: *Quia vocavi te, & renuisti: ego quoq; in interitu tuo ridebo.* Fulmen hoc fuit: quod ubi ab imagine jactum est, animam infelici elisit. *Zhentner. in Promont. lib.* 4 §. 2.

Minister Calvinianæ Sectæ in Aquitania cùm ad portas mortis pervenisset, atq; pro meritis suis in summis se deprehenderet angustijs, in sacrilegas hasce voces erupit. Non ita equidem insanio: ut DEUM esse nesciam; sed quia ille me deseruit: ego vicissim eum desero. Bruta vox! Quasi verò DEUS non desertus ab homine deserat illum? Nonne ipsius sunt querelæ illæ per Isaiam c. 1. & interminationes: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filijs sceleratis! Dereliquerunt Dominum, blasphemaverunt Sanctum Israël, abalienati sunt retrorsum!* Et quid est quodvis peccatum lethale, nisi Conversio ad creaturam & Aversio à DEO? Quòd ergo deseruntur impij à DEO in extremis, pœna est præcedentis ipsorum desertionis, quâ contumaces deseruerunt Dominum. Unde & blasphemus ille

mus ille confestim dignam impietate suâ percepit mercedem. Vix enim vocem blasphemam effuderat: cùm ecce inter ingentes totius ædis concussiones irrupit in cubiculum monstrum horrendum, quod scelestum nato & linguâ truncatum, elisis faucibus, strangulavit. *Lohn. in Biblioth. tit. 37. n. 7.*

Idem tit. 119. n. 111. refert de quodam Mammonæ mancipio, indignam Catholico vitam agente; quòd sæpiùs à Sacerdote solicitatus, ut de pœnitentia cogitaret, eamque non procrastinaret; promittebat semper: faciebat nunquam. Extremo oppressum morbo cùm urgeret Sacerdos; raptus est extra se, jacuitq; quasi mortuus. Reversus ad se, cùm iterum moneretur à Sacerdote, exclamavit: *O pœnitentia, ubi es? Jam pœnitere non possum, ita disponente justo Judice: quia, dum pœnitentiam agere potui, nolui.* Sic impœnitentem animam efflavit. Æternæ Veritatis Oraculum est: *Cor durum habebit malè in novissimo.* Eccli. c. 3. Evenit subinde: ut nonnulli in extremis præferant quidem speciem pœnitentiæ, sed infructuosæ: juxta illud Proverb. 1. *Cùm irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit; quando venerit super eos tribulatio & angustia. Tunc invocabunt me: & non exaudiam. Manè consurgent, & non invenient me; eò quòd exosam habuerint disciplinam, & timorem Domini non susceperint, nec acquieverint consilio meo.* Infelix sanè conditio non illorum tantùm, qui desperatione acti, veniam petere nolunt: sed etiam, qui edunt quidem in morte aliqua doloris signa; requisitam tamen ad salutem pœnitentiam, seu dignos fructus pœnitentiæ, non faciunt; quemadmodum de Antiocho testatur Scriptura 2. Mach. 9. dicens: *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.* Constituti enim in mortis angustijs impij, cùm non assueverint serio de peccatis dolori eliciendo, qualem requirit vera & salutaris pœnitentia atq; hominis justificatio: non tam soliciti sunt de DEO offenso & justificatione animæ, quàm de præsentibus malis, quibus premuntur; quomodo scilicet ex ipsis evadant. Et est in eo articulo, ex conscientia scelerum & imminente morte atq; æterna damnatione, consternatio animi tam gravis; ut non adsit sufficiens deliberatio ac in voluntate libertas, qualis requiritur ad tam præstantem actum, quo justificetur homo & plenè reconcilietur DEO. Deinde per suam insolentiam, obstinationem, & gravissimum per vitam suam contemptum DEI atq; gratiæ ipsius, maximè indignos se reddiderunt tum finali gratiâ, quæ est donorum divinorum maximum, & corona reliquorum ejus beneficiorum; tum efficacibus supernaturalibus gratijs auxiliantibus. Unde dolor & proposita bona, quæ tunc ab illis eliciuntur, merè sunt naturalia: adeoq; nihil operantur ad salutem æternam. Nunc ergo, nunc

decet nos adhærere DEO fideliter: ut non derelinquat nos in tempore tribulationis extremæ. Derelicti ab illo, quò ibimus?

N. B. *Si ad Ultimam à Pent. Dominicam plures adhuc intercesserint hebdomadæ: Meditationes totidem hebdomadarum sumendæ sunt ex ijs, quæ positæ sunt in Februario usq; ad Dominicam Quinquagesimæ.*

DOM. ULTIMA post Pentecosten.

MEDITATIO: *De Justitia DEI, JESU & MARIÆ in Judicio particulari.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: indispensabili decreto esse ab ipso *statutum hominibus, semel mori: post hoc autem Judicium.* Hebr. 9. idq; Particulare unum, in quo singulæ seorsim judicantur animæ statim ac solutæ sunt à corpore: Universale aliud in fine mundi, Angelorum & hominum. Illud, quàmvis non fiat publico & tam solemni apparatu, metuendum tamen est magis: quia illius sententia est præjudicata authoritas pro futuro. Timendum meritò etiam probis. 1. Cùm enim nemo sciat absq; speciali revelatione, quæ rarissima est; *utrùm amore vel odio sit dignus:* nec scire potest, qualem ibi referet sententiam. 2. Propter accusatores acerrimos, dæmones; quorum quivis est accuratissimus operum nostrorum observator, & malitiosissimus *fratrum accusator, accusans illos ante conspectum DEI nostri die ac nocte.* Apoc. 12. Testis aderit unus pro mille, Conscientia propria: nec aberit Angelus Custos. 3. Ob Examen tam rigidum omnium operum, verborum, & cogitationum: ut Apostolus ipse quodammodo trepidet. 1 Cor. 4. *Nihil mihi conscius sum: non tamen in hoc justificatus sum. Qui enim judicat me, Dominus est*, omniscius, & non solùm iniquitates, sed etiam *justitias judicans.* Psal. 74. & *scrutans Hierusalem*, non tantùm Babylonem, *in lucernis.* Sophon. 1. Deniq; omnia eo rigore aguntur: ut vix justus salvetur. *Et si justus vix salvabitur: impius & peccator ubi parebunt?* 1. Pet. 4. Quid faciet ergo miser homo, cùm venerit ad judicandum DEUS?

2. ADora D. JESUM, & considera: ipsum in eo judicio agere Judicem indeclinabilem, supremum, sapientissimum, incorruptum, æquissimum, & qui non est acceptor personarum, sed æstimator operum. Judex ergo noster est, cujus clementiâ & beneficentiâ tam turpiter abutimur; quem tam liberè, tam frequenter, tam graviter offendimus; qui pro nobis justificandis, ornandis, glorificandis tanta egit, & passus est. Quomodo trepidant rei, dum vident: se habituros Judicem, quem à se non leviter offensum memine-

meminerunt, cujus bona dissipârunt, imò ipsummet non uno vulnere conciderunt? Quo animo tribunal talis Judicis subibis anima mea? Nunc, nunc illum placare, & tibi conciliare stude. Juste Judex ultionis, donum fac remissionis, ante diem rationis.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quidem in eo tribunali sæpe Patronam agere clientum suorum Gratiosissimam & Potentissimam: visam tamen esse subinde, sustinere personam Instigatoris; quemadmodum contra blasphemum quendam Anatolium Antiochenum, (de quo Evagrius & Nicephorus l. 10. c. 4.) concitavit populum, ut meritas pœnas daret, nec liberaretur ab Imperatore. Ad Udonem quoq;, Archiepiscopum Magdeburgensem, sibi olim charum, condemnandum, visa est cum Filio & Apostolis in templum descendisse, & executioni, quæ gladio facta, interfuisse. Ita ubiq;, quod timeamus, reperimus miseri.

Proposit. v. gr. *de combinandis tempestivè rationibus nostris, & placando Judice.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm solicitè nos parare debemus ad Judicium Divinum.

O Curas hominum! Quàm sunt inordinatæ & præposteræ! Quàm soliciti, quàm anxij sumus: dum ad tribunal humanum evocamur! Quid non attentamus: ut faventem habeamus Judicem, & causâ non cadamus? De lana caprina agitur, de palmo terræ, de puncto honoris: & insomnes ducimus noctes, nulli labori, nulli sumptui parcimus: ubi verò non de pelle tantùm, sed animâ, imò toto homine, & omni ejus fortunâ ac infortunio agitur; & coram Divino Tribunali, quàm æquo tam rigido, comparendum est: quàm sumus securi, & rerum nostrarum salutisq; incurij? Imò passim, quæ est summa perversitatis nostræ, tantò quisque sui est securior, & causæ suæ negligentior; quantò periclitatur magis. Non sic insolentes & incauti filij Adæ, non sic. Aliud nos docent Divina Oracula, & Sanctorum Exempla. Illa jubent: ut cum timore & tremore operemur salutem nostram: & solicitissimè nobis conciliare studeamus Judicem; in cujus tribunali *si vix justus salvabitur; impius & peccator ubi parebunt?* 1. Pet. 4. Ista monent: ut trepidæ sese inclinent arundines, dum Ecclesiæ columnæ metu concutiuntur.

Qualis, quantusq; vir Hieronymus? Et tamen ep. 5. de se scribit: *Ego peccatorum sordibus inquinatus, diebus ac noctibus operior cum timore, reddere novissimum quadrantem; & quòd mihi dicatur: Hieronyme, veni foràs.* Quàm innocens Bernardus? Et tamen Serm. 10. in Cant: de se scribit: *Paveo gehennam, paveo Judicis vultum, ipsis etiam tremendum Angelicis potestatibus. Quis*

dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, ut præveniam fletibus fletum? Et Serm. 56. in Cant: *Ego, quoniam peccator sum, dissolvi non cupio; sed formido, sciens: quia mors peccatorum pessima.*

S Hubertus, Episcopus Leodiensis, quàmvis Divinâ revelatione certior factus de æterna sua salute, instante tamen morte vehementer trepidavit. Non leves, dicebat ad circumstantes, me apprehendunt angustiæ, quando cogito: quantam perfectionem à me requirat impositum mihi munus; cujus rationem recepturus jam jam adest rigidus judex. Non invenio in manibus meis ardentes lampades charitatis, cum quibus ipsi occurram. Non reperio, quod ipsi præsentem de creditis mihi talentis lucrum. Horresco recolens; non solùm de anima mea, sed etiam de tam numeroso grege reddendam mihi esse rigidam rationem. Inter quietem nocturnam irruit in eum agmen dæmonum diductis rictibus, quasi in prædam ipsis datus esset. At ille excitato famulo præcepit aquâ benedictâ totam lustrari domum ad spectra depellenda. Cùm autem famulus reponeret: Nihil ipsi timendum esse, qui DEO tam fideliter serviverit, & dæmonibus è corporibus energumenorum ejectis, tam terribilis fuerit; respondit: Aliter loquereris, si plus saperes. Non distinguis inter vitam & mortem. Deinde circumstantes impensè rogavit: ut causam suam apud judicem jam imminentem agerent, atq; varijs delictis offensum placarent. Non enim est judicium DEI, ut hominis.

Quid de Sanctis illis Eremicolis dicemus? quo animo fuerunt in hora extrema? S. Agathon Abbas, cùm sub finem vitæ per triduum oculis apertis cœlum aspiceret, & ab adstantibus quæretur, ubi esset? Respondit: in conspectu DEI sto. Cumq; illi rursum interrogarent: Numquid & tu times, Pater? Respondit: *Quantum potui, mandata DEI servare studui: sed unde scio, opera mea placuisse DEO? Alia sunt hominum, alia DEI judicia.* S. Arsenius annorum 120 senex, post vitam sanctissimè actam, cùm in fatali hora flere cœpisset, & ab instantibus interrogaretur: num & ipse sibi à judice timeret? Respondit; *In veritate timeo: & iste timor, qui nunc mecum est, semper in me fuit, ex quo factus monachus* DEUM bonum! Sic trepidant fidelissimi Servi DEI? Quo jam animo esse debent servi mundi & carnis?

P. Antonius Padillius S. J. non minùs illustris sanctitate in Religione, quàm fuerat nobilitate in mundo, morti vicinus insolitæ trepidationis signa dedit. Cumq; ex circumstantibus quidam interrogaret: an alicujus gravioris culpæ remorsum sentiret? Cohorruit æger, & exclamavit: *JESU bone! quantum monstrum hoc esset; Religiosus & peccatum lethale?* Et tamen metum non

metum non deposuit: imò cùm illustris quædam sæcularis persona miraretur, ipsum sic timere Divinum Judicium; Et quid, reponebat, timerem, si hoc non timeam? Sed erexit paulò pòst, salutari timore concussum Dominus, quando ei revelavit: quòd eâdem nocte esset Matutinum cantaturus in cœlo. Tum demum serenior subjunxit: Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi; in domum Domini ibimus. *Ludov. de Ponte in Vita P. Alvarez. c. 20.*

FER. II. post Domin. XXIII. post Pentec.

MEDITAT. *De apparatu remoto DEI, JESU & MARIÆ ad Iudicium Universale.*

1. ADora DEUM O. M. & considera terrificum apparatum ejus ad Universale Judicium. Quædam sunt, quæ proximè, alia, quæ remotiùs præcedent supremum illum diem: utraq; terroris plenissima. Inprimìs terret incertitudo quoad tempus. *De die enim illa & hora nemo scit, neq; Angeli cælorum, nisi solus Pater. Ideò & vos estote parati: quia quâ, nescitis, horâ Filius hominis venturus est.* Matt. 24. Deinde solito plura & ferociora erunt bella, & omnium elementorum confusio. *Surget gens contra gentem, & regnum adversùs regnum. Et terræ motus magni erunt per loca, & pestilentiæ, & fames, terroresq; de cælo, & signa magna erunt: Sed nondum statim finis.* Luc. 21. Nimirum, ut notavit S. Gregorius, ultima tribulatio multis tribulationibus prævenitur: & per crebra mala, quæ præveniunt, indicantur mala perpetua, quæ subsequentur. Posthæc revelabitur homo peccati, Antichristus, tantâque crudelitate grassabitur in fideles: ut futura tunc sit tribulatio magna, *qualis non fuit ab initio mundi usq; modò, neq; fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi.* Ecce fructum peccatorum in DEUM commissorum. Ecce amorem DEI erga electos suos. O Domine, da pacem in diebus nostris: & in diebus illis succurre placatus.

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo pugnabit contra æmulum suum, Antichristum, qui immani fastu extollet se *supra omne, quod dicitur DEUS, aut quod colitur, ita; ut in templo DEI sedeat, ostendens se, tanquam sit DEUS.* 2. Thessal. 2. Huic, inter alios, præcipuè opponet Christus Eliam & Henoch Prophetas: qui ubi post gloriosas pugnas & palmas ciciderint pro veritate: impium illum *Dominus Jesus spiritu oris sui:* id est, fulgore quodam vehementi velut fulmine prostratum, dehiscente terrâ, deturbabit ad infernum. Tunc residui fideles confluent, & induti virtute

ex alto

ex alto delebunt asseclas Antichristi, reddetur magna tranquillitas ecclesiæ, reliquiæ Israëlis salvabuntur, & fiet unum ovile & unus Pastor, regnante gloriosissimo JESU à Solis ortu usq; ad occasum, & usq; ad extremum terræ. O quantocyùs adorent te, & serviant tibi, Dignissime JESU, omnes gentes; atq; ego præ cæteris!

3. VEnerare DEIparam V. & considera: quid aget ipsa luctuosis illis Ecclesiæ temporibus. Utiq; sicut *Fida Propugnatrix fidelium*, quo elogio honoratur à S. Joanne Damasc. in Paracl. B. V. trepidos animabit, pugnantes confortabit, victores coronabit. Gentis suæ, reliquiarum Israël, tunc specialem curam habebit: ut tandem in sinum Ecclesiæ colligantur, Salvatorem suum agnoscant, & adorent. O Victoriosissima Propugnatrix, etiamnum adsis Ecclesiæ in multis Christiani Orbis partibus oppressæ ab hæresi. Coërce rebelles, confirma fideles.

Proposit. v. g. *de orando crebriùs & ferventiùs pro regionibus hæresi infectis & barbaris.*

LECTIO PRACTICA.

Remotus apparatus ad mortem, & Judicium Divinum est optimus.

SErum est, & nimis periculosum; usque ad instantem jam mortem differre præparationem ad eandem, & ad subsequens Judicium Divinum. Ut Phryges, ita multi Christiani serò sapiunt: dum præparationem adornant, quando jam supremus actus est dandus. Maturè igitur tantum opus, quantum est Bene mori, & Bene coram Tribunali Divino subsistere, aggrediendum est, ut feliciter absolvatur. Non latuit hoc gentilem Philosophum (Senecam), unde monuit: *Vivere totâ vitâ discendum est: & quod magis fortasse miraberis; totâ vitâ discendum est mori:* ut scilicet rite compositis cum DEO rationibus, moriamur, & in ejus judicio subsistamus.

Prima igitur remota ad bonam mortem & Divinum Judicium præparatio sit *Vita bona.* Nam, ut sapienter monuit S. Augustinus: *Ultimus dies tanti est ponderis; ut illius ratione reliqui dies omnes debeant observari.* Et Seneca ep. 31. *Nemo scit nostrûm, quàm propè versetur DEUS. Sic itaq; formemus animum, tanquam ad extrema ventum sit. Venientem nemo hilaris mortem excipit, nisi qui ad illam diu sese composuerit.* Rectè Mors vocatur Echo vitæ. Nisi Cuno ille, de quo 17. Febr. sæcularis vitæ licentiam maturè mutâsset in Religiosam; vix evasisset ungues quindecim millium dæmonum, qui ad ejus mortem convolârant.

II. De morte cogitandum, non ut longè dissita, sed ut præ foribus excubante, & avidè expectante momentum horæ, quo lethale telum cordi infigat: aut

stat: aut ut currentium vestigijs jam proximè insistente. Hæc est juxta sapientem Idiotam lib. 1. de Contempl. mort. præcipua causa, cur tam parum nos moveat memoria mortis, quæ nobis in horas & ferè momenta, opportunè importunè ingeritur: quia illam ut longè à nobis agentem, & velut in extrema quadam Thule commorantem apprehendimus; non audientes monentem bene Poëtam: *Omnem, crede diem, tibi diluxisse supremum.*

III. Examina Conscientiæ quotidiana, & ante Confessiones Sacramentales, accuratè absolvenda. Nam, ut ait S. Leo: *Non manet judicio condemnandum, quod fuerit humili Confessione purgatum.* Et Apostolus 1. Cor. 11. *Quodsi nosmetipsos judicaremus; non utiq; judicaremur*: scilicet in condemnationem. Est & ille fructus horum Examinum: quòd morbo periculoso infestati, facilè nos recolligamus; & jam rationes quasi combinatas habeamus pro Universali Examine Divino, & pro ultima Confessione Sacramentali, præsertìm si generalem instituere placuerit, facienda. Deinde cùm in hujusmodi Examinibus non solùm fiat commissorum delictorum revocatio in mentem; sed etiam eliciatur dolor serius de ijsdem, cùm proposito eadem vitandi: ac insuper satisfactionem aliquam nobis imponamus: hoc ipso, etiam extra Sacramentum pœnitentiæ multas delemus culpas, seu debita: adeoq; minùs obærati subimus Tribunal Divinum.

IV. Conciliandus maturè nobis est Judex Christus D. præsertìm per opera Misericordiæ exhibita proximo; quæ ipse sibi imputat. Deinde per devotum & constantem Cultum Passionis ejus, ac specialiter acerbissimæ Agoniæ in cruce. Ut enim derelictio illa in extrema hora, & concurrentium dolorum acerbitas fuit ei gravissima, & summè afflictiva: ita devota sic agonizantis memoria, compassio, & veneratio non potest non esse gratissima. Efficaciam hujus medij expertus est Religiosus quidam Conversus, de quo Cæsarius lib. 12 c. 11. scribit. Is cùm in villa quadam defunctus esset; statim dormitanti Priori apparuit, dicens: Domine, cum licentia vestra vado. Et ille: quò vadis? Ad DEUM vado, respondit Conversus: quia mortuus sum in hac hora. Et Prior: Cùm multi viri perfecti transeant per Purgatorium; quid est, quia tu tam absolutè dicis: te ire ad DEUM sine mora? Cui defunctus: Habebam consuetudinem; ut, quoties transirem coram Crucifixo, hanc dicerem orationem: *Domine, per illam amaritudinem, quam sustinuisti propter me in cruce, maximè quando Anima tua egressa est de Corpore tuo, miserere Animæ meæ in egressu suo.* Et exaudivit Dominus Orationem meam, meiq; misertus est.

V. Comparandi tempestivè Tutelares Divi, præsertim DEIpara V. & S. Angelus Custos pro suprema hora, & judicio particulari. P. Ioannes à Campis cultui DEIparæ addictissimus, de qua singulis sabbatis historiam aliquam narrabat, sub mortem conversus ad quendam: O si nosses, inquit, mi Pater; quantum in morte adferat solatium, DEIparam singulari studio coluisse! S. Carolus Borromæus per ipsam petere solebat tria à Christo. 1. Lacrymosum aspectum ipsius Christi morientis, & dolorosum inde suspirium. 2. Unum ex dolorosis suspirijs, & lacrymosis aspectibus ac gemitibus cordis MARIÆ sub cruce Filio adstantis. 3. Ut sibi succurrat Virgo in egressu animæ è corpore. Quæ omnia liberaliter impetravit. *Guissarus in Vita.*

FERIA III. post Dom. Vltim. post Pentec.

MEDITATIO: *De apparatu proximo DEI, IESV & MARIÆ ad Iudicium Vniversale.*

1. Adora DEUM O. M. & considera: quomodo post superatum cum satellitibus suis Antichristum, redditamq; Ecclesiæ pacem, dum homines su securi vivent, imò non pauci deposito DEI metu voluptatibus indulgebunt; repente horribilia signa dabit proximè imminentis Iudicij universalis. *Cùm dixerint: Pax & Securitas; tunc repentinus eis superveniet interitus, & non effugient.* 1. Thess. 5. Inprimis igitur *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum, & stellæ cadent de cœlo, & virtutes cœlorum commovebuntur.* Matt. 24. Ingens consternatio tunc opprimet improbos: probos autem animat, & monet Christus Luc. 21. *His autem fieri incipientibus, respicite, & levate capita vestra: quoniam appropinquat redemptio vestra.* 2. Igne cœlitus misso incendetur totus orbis terrarum. Psal. 96. *Ignis ante ipsum* (Iudicem Christum) *præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos ejus*: quos inter horrendos cruciatus consumet, justis autem putatur non nociturus. *Montes sicut cera fluxerunt.* Additur 2. Pet. 3. *Cæli magno impetu transient, elementa verò calore solventur, terra autem, &, quæ in ipsa sunt, opera, exurentur.* Expiabitur nimirum eo igne orbis terrarum enormibus peccatis inquinatus, præsertim meis. Heu quantum malorum invehunt in mundum peccata; & tamen amantur!

2. Adora D. IESUM, & considera: quomodo jam jam descensurus ad judicium, præmittet *Angelos suos cum tuba & voce magna*: Surgite, mortui, venite ad judicium. O tubam, etiam Hieronymis terrificam! Quo animo ego te excipiam? Et mox, *in momento, in ictu oculi mortui resurgent.* 1. Cor. 15. Resurgent autem in ijsdem quoad substantiam corpori-

corporibus, in quibus vixerunt olim: *ut referat unusquisq; propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.* 2. Cor. 2. Resurgent omnes: *sed non omnes immutabuntur,* 1. Cor. 15. scilicet in melius. O cæca & demens Caro, cur nunc refugis momentaneam pro DEO & peccatis tuis mortificationem, quæ æternam tibi compararet gloriam & voluptatem! Post hæc *exibunt Angeli, & separabunt malos de medio justorum.* Matt. 13. Hi in sublime tollentur nubibus candidis: illi relinquentur in valle Iosaphat, quæ est juxta montem Oliveti prope Ierusalem. Ah! qualibus oculis aspicient tunc glorificatos justos, serò damnantes insaniam suam! *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum, & in similitudinem improperij. Nos insensati vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios DEI!* Sap. 5. Ergo nunc non mundo, vel carni, sed Christo serviendum.

8. VEnerare DEIparam V. & considera: quàm avidè justi, præsertim qui teneriùs eum amârunt, expectabunt adventum ejus: ut quantocyus amœnissimo ejus vultu recreentur. Et vicissim quomodo gestiet replere gaudio Patrona clientes devotos, Domina servos fideles, Mater filios charissimos. O si & super me cadat sors hæc felicissima! Nunc impetra gratiam, ô Gratiosissima: ut mereamur securi & læti videre te cum Judice Filio.

Proposit. v. g. *de revocando sæpiùs, & non obiter, in mentem futuro Judicio.*

LECTIO PRACTICA.

De dispositione proxima ad felicem Mortem & Judicium Particulare.

IN Vita S. Francisci Salesij traditur lib. 4. quòd, cùm coram Clemente VIII. Pontifice subiturus esset Romæ Examen pro Episcopatu Genevensi; adfuerit etiam Hispanus quidam, vir doctus, similiter examinandus. Qui ubi vidit majestatem Pontificiam, & gravissimum tot Cardinalium, Episcoporum, Generalium Ordinum, ac Doctorum consessum; ita extimuit: ut deliquium passus debuerit efferri. Solari eum voluit Pontifex, significando, expeditas jam ei esse literas pro Episcopatu: sed nunquam se collegit, & paulò pòst in hospitio suo mortuus est metu Examinis illius. Quid nos, ubi jam jam comparendum fuerit coram tribunali Christi, pro Examine non ex aliqua scientia, sed ex omni Conscientia, & tota vita? Videndum ergo: quomodo comparati accedere debemus ad articulum illum, periculosæ plenum aleæ.

I. Conscientia Confessione Sacramentali, quantum fieri potest, generali ex tota vita, purganda quàm accuratissimè, idq; motu proprio & tempestivè: non expectando, donec medicus significet, adesse terminum pe-

remptorium; aut cedendo amicis vel Confessarijs angariantibus. Turpe est, Christianum, eumq; Catholicum, tergiversari in hoc puncto: turpissimum & scandalosum, si Spirituales, præsertim Religiosi, ad exonerandam conscientiam angariari debeant. In eo tunc constituti sumus puncto: ut, si necesse esset, prompti simus ad faciendam coram toto mundo Confessionem Augustinianam. S. Franciscus Borgia singulis diebus bis, manè & vespere, expiabat animam: ut semper paratus esset ad ultimam horam.

II. Ven: Eucharistia in Viaticum maturè accipienda, & summa cum reverentia. Multum in ea habemus solatij, plurimum præsidij. S. Cyprianus ep. 54. *Quos excitamus*, ait, *& hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus: sed protectione Corporis & Sanguinis Christi muniamus.* Si autem alios hoc Viatico simul & clypeo instruere debemus: quantò magis nos ipsos? Videri possunt tradita sup. in Lect. Sabb. post Dom. 2. à Pent.

III. Sacramentum Extremæ Unctionis ultrò petendum, & tempestivè: ne, deficientibus sensibus, sicut statuæ ungamur; sed ipsi advertamus ad id, quod agitur nobiscum, & Sacerdotis orationibus jungamus nostras. In Granatensi nosocomio, cujus curam habebat S. Ioannes DEI, ægrotus quidam, valde mortem timens, tergiversabatur Extremam suscipere Unctionem. Ioannes, ne afflicto adderet afflictionem, annuit dilationi. Interim in ejus absentia moritur homo: dumq; publico ritu terræ mandaretur, levavit se, & dixit clarè: Propter neglectam Extremam Unctionem, ad annos omnino viginti se piacularibus flammis addictum esse. *In Vita S. Ioannis DEI.* Meliùs sibi consuluit P. Wolffgangus Gravenegus S. I. solitus quotidie, dum cubitum concederet, eo situ in lectulo se componere, prout illi, qui Sacramentum Extremæ Unctionis percipiunt. Deinde crucem fronti, oculis, alijsq;, de more illius Sacramenti, sensibus imprimebat, additis accommodatis ad singulos sensus verbis. Frontem quoq; cruce muniens, externos sensus expiabat in hæc verba: Per istam S. Crucem, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat mihi Dominus, quidquid memoriâ, intellectu, voluntate, cogitatione, deliqui.

IV. Tempore morbi, & maximè ingravescente periculo, utendum crebris & ferventibus suspirijs, seu orationibus jaculatorijs ad DEUM, I. & M. nunc Desiderij videndi ipsos: *Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam?* Nunc Conformitatis cum Voluntate Divina: *Fiat, Domine, Voluntas tua à me, de me, in me, & circa me.* Nunc Contritionis de peccatis commissis; *Miserere mei, DEUS!* vel, *DEUS, propitius esto mihi peccatori:* nunc Charitatis, *Diligo te, Fortitudo mea, Pulchritudo mea, Misericordia mea,* &c.

DEUS.

DEUS. Diligo ex toto corde &c. nunc Spei & Fiduciæ erga DEUM, I. & M. *In te, Domine, speravi: non confundar in æternum*: nunc Fidei, *Credo, ô Infallibilis Veritas, quidquid credendum revelâsti* &c. &c. Quibus affectibus subinde liberiùs indulgendum semotis arbitris, & Christi Crucifixi Imagine in manus sumptâ; vel oculis in eam fixis.

V. Non committendum: ut vitâ excedamus, non petita à circumstantibus fervente oratione ante & post mortem: Imò curandum, ut quàm plurimi adsint Commendationi Animæ in extremis. Nam per orationes præsentium Fratrum Religiosorum impediti sunt dæmones etiam prope accedere ad tentandum agonizantem Cunonem (de quo fer. 2. sup:) quàmvis 15 millia convenerint, & tectum monasterij insederint. *Lohn. in Bibl.* Deinde offerenda inimicis venia, si qui essent. Primaria autem occupatio debet esse Dolor de peccatis, cum plena fiducia in Misericordia DEI & Vulneribus Salvatoris. Card. Bellarminus reprehendit quendam, quòd morti vicinus ageret securior, non intentus frequentandis actibus pœnitentiæ. Ad vulnera illa recurrendum in omnibus angustijs; his includenda anima in omnibus malignorum spirituum insultibus: non alia quærenda voluptas, quàm in basiandis Divinis illis stigmatibus. Sic occupato P. Ioanni Cardim è Socie. nostra Crucifixus brachijs à cruce revulsis, immotis clavis, mutuum amplexum dedit. *Nadasi in Pretios. Occup.*

VI. Deniq; collectis viribus omnibus, exemplo morientis IESU, in manus Patris æterni commendandus spiritus: & quàm fieri potest affectuosissimè pronuncianda SS. IESU & MARIÆ Nomina, tum ad repellendos hostes Tartareos, tum ad lucrandas Indulgentias, tum in perpetuam tesseram nostræ in illos fiduciæ & subjectionis. Cum tali dispositione egressam animam haud dubiè Iudex excipiet gratiosus.

FER. IV. post Dom. Ultim. post Pent.

MEDITAT. *Quàm terribiles erunt impijs in Iudicio Universali DEUS, IESUS & MARIA.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm terribilem se exhibebit impijs in Iudicio Universali. 1. Per speciale lumen imprimet illis altissimum de Majestate Divina sensum: ut cognoscant & erubescant, & se ipsos æterna damnatione dignissimos judicent; quòd talem ac tantum Creatorem suum ac Dominum, tam graviter & frequenter offendere præsumpserint. Improperabit illis, ut olim per Moysen Deuter. 31. Hæccine reddidisti Domino, popule stulte & insipiens? Numquid non ego sum

Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creavit te? *Deum, qui te genuit, dereliquisti: & oblitus es Domini, Creatoris tui!* 2. Aperiet oculos eorum, ut olim Adamo & Evæ: ut videant propriam vilitatem, proterviam & malitiam, atq; peccatorum, quibus oppleti sunt, fœditatem. *Arguam te, & statuam contra faciem tuam.* Psal. 49. id est: te ipsum tibi ostendam, quàm horrendum sis monstrum. 3. Aperiet illis Libros Conscientiarum. *Iudicium sedit, & libri aperti sunt.* Daniel. 7. Ibi uno intuitu videbit quisq; omnia & singula peccata sua; illuminante Domino *abscondita tenebrarum.* 1. Cor. 4. *Nihil opertum, quod non revelabitur; & occultum, quod non scietur.* Matt. 10. Omnia patebunt omnibus. Quanta tunc confusio coram universo mundo! Ne mihi contingat: nunc Confitebor tibi, Domine, coram Sacerdotibus tuis, in toto corde meo.

2. ADora D. IESUM, & considera: quàm terribilis veniet Iudex, qui nunc tam amabilem se exhibet Salvatorem. Paulò antè, quàm compareat ipse, parebit *Signum Filij hominis in cælo*, Crux miro splendore illustris. *Tunc plangent omnes tribus terræ:* nempe inimici Crucis Christi, Judæi & gentiles, imò maximè impij Christiani, charactere Christi insigniti; quòd æternam salutem per mortem crucis sibi paratam tam turpiter & nequiter dilapidârint. *Et videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & majestate.* Matt. 24. Quàm lætus probis, tam luctuosus improbis erit hic adventus. Apparebit ille Christus, qualis Apocal. 1. & 19. describitur: Oculi ejus tanquam flamma ignis, & de ore ejus gladius utrâq; parte acutus, & facies ejus sicut Sol lucet in virtute sua. Talis ergo cùm sederit in sede Majestatis suæ: flectetur illi omne genu cœlestium, terrestrium, & infernorum: & omnes inimici ejus ponentur scabellum pedum ejus. *Videbunt, in quem transfixerunt.* Joan. 19. O visionem horrificam! Confige nunc, Domine, timore tuo carnes meas: à judicijs enim tuis, & irato vultu, timui.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam quoq; tunc comparituram augustissimâ specie, tam ad amorem justorum, quàm ad terrorem impiorum composita. Videbunt eam isti terribilem, ut ordinatam castrorum aciem. Videbunt ex misericordibus illis oculis micare fulmina, vultum illum gratiosissimum, conversum in clibanum ignis. Videbunt, Matrem misericordiæ transiisse in Matrem & Assistricem rigidissimæ Justitiæ. Omnia ergo erunt plena horroris, consternationis & desperationis. Amabo te nunc toto corde, ô Gratiosissima: ne experiar olim vindicem severissimam.

Proposi-

Propos. v. gr. *de conciliando nobis favore DEI, I. & M. per varia pietatis exercitia,*

LECTIO PRACTICA.

Declaratur ampliùs: quàm terribilis impijs erit Christus Judex in judicio universali.

QUalis & quanta sit peccati malignitas, vel inde liquidissimè constat: quòd Benignissimum, Suavissimum, Gratiosissimum, Amabilissimum Dominum, & Salvatorem nostrum IESUM mutabit impijs in tam terribilem: ut in toto illo horrifico funestissimæ diei apparatu, nihil tam horribile futurum sit, ac Judex ipse. Supra modum sanè horrendum erit; videre immenso incendio ardentem mundum universum, obscurari solem non tali, quali nunc, eclipsi, sed fieri nigrum tanquam saccum cilicinum; & lunam induere faciem cruentam instar sanguinis, ut habetur Apoc. 6. Videre miserrimam illam damnandorum turbam, horribilia supra omnem captum spectra dæmonum &c. sed incomparabiliter terribilius erit, videre Judicem pro tribunali tam splendido, quàm terrifico sedentem. Ipsi enim militabit omnis ille funestissimus apparatus, ad majorem inimicis ejus incutiendum timorem.

Prævidit terribilissimum hoc spectaculum Job, vir justus & DEO gratissimus: nihilominùs cap. 31. *Quid faciam*, inquit, *cùm surrexerit ad judicandum DEUS? Et cùm quæsierit, quid respondebo illi? Semper quasi tumentes super me fluctus timui DEUM, & pondus ejus ferre non potui.* Esther regina, conspecto in solio gloriæ suæ marito Assuero, Daniel & Joannes viso Angelo, conservo suo, corruerunt ferè exanimes in terram: & quomodo stabit coram DEO offenso, judice suo, homo peccator? Balthasar rex ubi vidit manum paucas, easq; ignotas literas scribentem in pariete; *commutata est facies ejus, & cogitationes ejus conturbabant eum, & compages renum ejus solvebantur, & genua ejus ad se invicem collidebantur.* Dan. 5. Quomodo igitur subsistet reus homo, videns DEUM judicem suum, cujus *furor ardens, & gravis ad portandum, labia ejus repleta sunt indignatione, & lingua ejus, quasi ignis devorans: spiritus ejus velut torrens inundans ad medium colli, ad perdendas gentes in nihilum?* Isa. 30. Heu miser peccator, in hujus conspectum adductus, quid ages? quò fugies? *Latere erit impossibile; apparere intolerabile:* inquit S. Anselmus lib. de Similitud.

Bernardus, ille Angelus Clarevallensis, objecerat sibi aliquando speciem Christi judicis, & *Paveo*, exclamavit Serm. 16. in Cant. *Iudicis vultum, ipsis quoq; tremendum Angelicis Potestatibus: contremisco ab ira Potentis, et facie furoris ejus* B. Ioanna, princeps Lusitaniæ innocentissima, post exactam in monasterio sanctissimè vitam, cùm in extrema hora trepidaret, Mo-

nialis

Monialis ei familiarissima, Ergone, ait, ô Domina, tuam de DEO confidentiam amittis, & quasi desperata loqueris? Cui illa: Carissima soror, non despero de DEO, neq; de illius infinita misericordia. Bene tamen dico tibi: quòd hoc non est ad domum regis Patris ire, sed ante tribunal DEI tremendum. *Engelgr. in festo Assumpt:* Hinc non immeritò optavit S. Iob c. 14. *Quis mihi hoc tribuat: ut in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus?* Tolerabilius omnino esset damnatis, delitescere in inferno, etsi aggravaretur illis tormentum ignis; quàm in conspectum talis Iudicis prodire. *Majus tormentum malis erit, furorem vultûs divini tolerare, quàm cruciatus infernales perpeti:* inquit August. Serm. 120. de temp. De juvene quodam refert S. Vincentius Fererius Serm. de Corona, fœdis amoribus nimiùm inquinato: quòd nocte quâdam se coram tribunali divino ad reddendas vitæ suæ rationes, præsentandum mox esse, somniaverit, adeoque exhorruerit: ut sequenti diluculo omnes capilli capitis ejus omnino incanuisse, sint deprehensi. Quæ jam symptomata causabit in reprobis aspectus manifestus terribilis illius Iudicis?

Videbunt enim speciosum illum præ filijs hominum vultum, tanquam horrendam nubem fulminibus fœtam in capita sua elidendis; videbunt oculos sideribus gratiosiores, coram quibus non erubuerunt tam indigna patrare, fulgura terrifica in se jaculantes; videbunt ex ore non jam favos mellis, sed gladium ancipitem prodeuntem, qui ipsos secet medios; insuper, quod longè magis miseros afficiet, videbunt vulnerum stigmata in manibus, pedibus & latere Iudicis, atq; in illis cernent infinitam erga ipsos Charitatem Salvatoris, suam verò plùs quàm brutam ingratitudinem. Videbunt, quomodo pro nihilo suo salvari potuerunt, tanto pro ipsis fuso redemptionis pretio: Videbunt & irascentur, dentibus suis frement in se & tabescent, Bene Emissenus hom. 2. de Symb. *Quâ fiduciâ stabit desertor ante regem suum? vulneratus ante medicum suum*, cujus nimirum emplastra rejicit? *perditus ante pretium suum*, tam copiosè pro ipso numeratum? *Vnde misericordiam petiturus est, primùm de Misericordiæ contemptu judicandus?* Opportunè concludit Bernardus Serm. de primord. medijs & novissimis. *Time, ô homo; quòd in terribili judicio ei præsentandus es, in cujus manus horrendum est incidere: & ab eo examinandus, quem nihil latet.*

FER. V. post Domin. Vltim. post Pentec.

MEDITATIO; *De Sententia Decretòria DEI, JESV & MARIÆ contra impios in Judicio Vniversali.*

1. Ade-

1. ADora DEUM O. M. & considera: quàm justo vindictæ zelo, decretum æternæ damnationis reproborum, quod ab æterno post prævisa eorum gravia peccata, conceperat: post eadem consummata, solemniter promulgabit per Christum. *Auditam faciet Dominus*, inqvit Isaias c. 30. *gloriam vocis suæ, & terrorem brachij sui ostendet in comminatione furoris, & flamma ignis devorantis.* Quanta consternatio invasit turpes illos Susannitas Dan. 13. quando à *puero juniore* audierunt: *Ecce Angelus DEI, acceptâ ab eo sententiâ, scindet te medium?* Quid fiet infelicibus illis: quando sentient implacabiliter iratum DEUM, toto pondere furoris sui sibi incumbentem? O Domine, ne in furore tuo arguas me: neq; in ira illa implacabili corripias me. Hic argue & castiga: modò ibi parcas.

2. ADora D. JESUM, & considera: quomodo, qui olim posuit ori suo custodiam, cùm consisteret peccator adversùs eum, in die illa tremenda tonabit in voce sua mirabiliter. *Tunc loquetur ad eos in ira sua, & in furore suo conturbabit eos.* Psal. 2. *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus.* Matt. 25. Quot verba, tot fulmina. *Discedite*, sine mora, nunquam reversuri, in æternum proscripti. *A me*, Creatore, Redemptore, Domino, & DEO vestro, à quo habuistis, & deinceps habere poteratis, bona omnia. *Maledicti*, in corpore & anima, in potentijs & sensibus omnibus, in omni loco & tempore. Noluistis benedictionem, & elongabitur à vobis per omnem æternitatem. *In ignem*, incomparabiliter acriorem & edaciorem, quàm sit elementaris. Exarsistis in concupiscentijs vestris: ardete. *Æternum*, cui nunquam deerit pabulum, quem nulla maria extinguent; qui vos semper cruciabit, nunquam consumet; sine intermissione torquebit, ne stilla roris in refrigerium unquam concessa. *Qui paratus est*, à Sapientia & Justitia mea infinita; non vobis quidem ex prima intentione, sed *diabolo & angelis ejus:* cujus suggestionibus parere maluistis, quàm mandatis meis; cui adhærere, me turpiter contempto, elegistis. Sit ergo portio vestra cum ipso in æternum. Discedite! O misericordissime Salvator, averte horrificum hoc fulmen à capite meo. Nihil ampliùs me separabit à charitate tua.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ipsam, sepositâ jam misericordiâ & Advocatæ munere, cum Sanctis omnibus laudaturam Filij sententiam: *Justus es, Domine, & rectum judicium tuum!* Discedant maledicti in ignem æternum, qui tam parum facere noluerunt pro gloria æterna, quibus tam vilis fuit DEUS. Nunc ergo, nune solicitos nos esse oportet ante omnia: ne olim horrendâ illâ Judicis sententiâ involvamur.

Proposit. v. gr. *de exercendis diligentiùs operibus Misericordiæ: quibus appromissa est à Judice Christo misericordia*, Matt. 5.

LECTIO PRACTICA.

Declaratur ampliùs sententia decretoria Christi.

VEtus parœmia est: Opposita juxta se posita magis elucescunt. Ut ergo magis elucescat, & nos afficiat sententia decretoria, quâ Christus in die Judicij Universalis fulminabit impios: juvat eam conferre cum Sententia, quâ absolvet & remunerabitur Justos. *Inprimis* notandum: quòd priùs feretur Sententia pro Justis; deinde in reprobos. 1. Ut ostendat Christus Judex, proniorem se esse ad benefaciendum, quàm ad nocendum: promptiorem ad salvandum, quàm condemnandum; imò invitum se descendere ad hanc sententiam, juxta illud Ezech. 18. *Numquid voluntatis meæ est mors impij?* 2. Ut tantò citiùs consoletur Electos, honoretque magis in præsentia adversariorum suorum, à quibus in terra spernebantur & affligebantur: adeoque pateat universo mundo, quod dictum Matt. 19 *Erunt primi novissimi, & novissimi primi.* 3. Ut eò magis crucientur reprobi, & invidiâ rumpantur, videntes æmulos suos sic honorari, & remunerari. *Peccator videbit, & irascetur: dentibus suis fremet & tabescet* Psal. 111.

Secundò Justis dicetur: *Venite*, scilicet *ad me*; Impijs, *discedite à me.* Si bene perpendantur termini horum motuum, A quo, & Ad quem: liquidò apparet, quàm terrifica sit reprobis sententia. *Venite* Electi, à labore ad requiem, à luctu ad gaudia, è mundo maligno, odio perpetuo vos persequente, *Ad me*, ad regnum cœleste. E contrà *discedite* impij: Unde? *A me.* O vocem millenis fœtam fulminibus! Quò? *In ignem æternum.* O terminum, in quo dolor sine termino! Compensabit ergo Christus impijs duplicem malitiam, quæ continetur in quovis peccato lethali: in quantum est Aversio à DEO, & Conversio inordinata ad creaturam. Quasi diceret: Creavi vos propter me, & ordinavi ad me, tanquam Finem ultimum & beatissimum; Vocavi, ut veniretis post me, relinqueretis mundum & concupiscentias ejus: vos autem ultrò, liberè, deliberatè, insolentissimè, cum maximo & intolerabili contemptu meo, recessistis à me, vertistis mihi terga, imò projecistis me post tergum vestrum, præferendo mihi vanissimas creaturas: *Discedite* ergo *à me*, Creatore, Redemptore, Domino & DEO vestro. Sequi maluistis diabolum, quàm me: habete igitur partem cum eo, in regno ipsius. Propter insanam Aversionem à me luetis æternam pœnam damni infiniti, bonis infinitis, & omnino omnibus prorsus privati. Propter mihi ignominiosissimam Conversionem ad creaturas, in quibus voluptatem vostram quæ-

stram quærere maluistis, quàm in me: luetis æternam pœnam sensûs; omnis creatura militabit contra vos, & conjurabit in tormenta omnium sensuum & potentiarum vestrarum.

Quartò Electis dicetur: *Possidete Regnum*, non solùm quale meruit virtus vestra, sed quale vobis largiri decuit Liberalitatem meam, & Patris mei; regnum opulentissimum, splendidissimum, amplissimum, cœleste, æternum, omnium bonorum aggregatione perfectissimum ac beatissimum. Impijs autem: Discedite *in ignem æternum*. Solius ignis tormentum exprimitur: sed latet in eo universitas omnium sensibilium pœnarum, tum quia maximè activus & sensibilissimus est; tum quia reliqua pœnalia instrumenta ignea erunt: Carcer ipse infernalis igneus; *Mittet* eos in caminum ignis. Matt. 13. gladij, aliaq; tela erunt ignea, serpentes ignei, bufones ignei, &c. ipse halitus, quem ex ore suo spirabunt damnati, igneus erit: *Spiritus vester ut ignis vorabit vos*. Isa. 33. Sola pœna damni, expressa per illud *discedite à me*: minùs apprehendi posset à nobis, minùs æstimantibus spiritualia: sed ita privari Bono summo atq; æterno, ut simul coniiciamur *in Ignem*, & quidem *æternum*, hoc planè intolerabile videtur omni ex parte. Infallibile tamen est. *Et convertentur torrentes ejus in picem, & humus ejus in sulphur, & erit terra ejus* (carceris infernalis) *in picem ardentem: nocte & die non extinguetur, in sempiternum ascendet fumus ejus*. Isa. 34.

Tertiò Justi vocantur *Benedicti Patris Cælestis*, Impij, *Maledicti*. Execrabitur enim ipsos in æternum non tantùm DEUS & tota natio Justorum, sed omnis creatura. Advertendum autem; quòd non dicantur à Christo *Maledicti Patris mei*, sicut Justi dicuntur *Benedicti Patris mei*. Non enim sicut Benedictionis, ita Maledictionis author est DEUS. Illam habemus ex gratia divina: hanc ex pravitate nostra, & abusu libertatis. Unde dicitur Psal. 118 *Dilexit maledictionem, & veniet ei: noluit Benedictionem, & elongabitur ab eo*. Insani! qui diligimus potiùs Maledictionem, quàm benedictionem! Sic excæcamur peccantes.

Quintò Justi vocabuntur ad *Paratum ipsis regnum à constitutione mundi*: Impij amandabuntur in Ignem, non ipsis, sed diabolo paratum & angelis ejus; scilicet ex prima & primaria intentione DEI. Quanta hìc iterum confusio, quantus dolor: Privari regno tali tantoq;, parato sibi ab Optimo Patre, & conjici à Judice in ignem paratum non sibi! Undiq; calamitas, opprobrium, dolor, & æternum Væ! *Intelligite hæc, qui obliviscimini DEUM: ne quando rapiat*, & tam funestâ sententiâ vos involvat; *& non sit, qui eripiat!* Psal. 49.

MEDITATIO: *De Executione Sententiæ, & Separatione reproborum à DEO, JESU & MARIA.*

1. ADora DEUM O. M. & considera: quomodo post latam sententiam, absq; ulla mora & contradictione, sequetur executio. Subitò enim immani hiatu dehiscet terra, & ignis erumpens *inflammabit in circuitu inimicos ejus.* Psal. 96. Ruent pondere suo; insuper rudentibus inferni trahentur à dæmonibus, & tempestas quædam furoris divini præcipitabit infelices in barathrum. *Ecce turbo Domini, furor egrediens, procella ruens, in capite impiorum conquiescet.* Jerem. 30. Conquiescet: quia nunquam ab illis recedet, sed semper miseros exagitabit. Deturbati ergo in abyssum calamitatum omnium, separabuntur æternùm à justorum, olim sibi charorum, consortio, excludentur à gloria cœlesti, &, quod infelicitatis omnis caput est, privabuntur æternùm beatificâ DEI visione, vultum ejus gloriosum videbunt nunquam, manum autem ejus super se aggravatam nimis, sentient semper. Damnum hoc apprehendent incomparabiliter graviùs, quàm Absolon semotus à conspectu patris. Erit enim duplici ratione infinitum: tum quia est amissio boni infiniti, tum quia durabit in infinitum. Percipient ergo ex consideratione tanti damni tristitiam quandam infinitam & inexplicabilem. O misericordiarum Pater gratiosissime, ne perdas cum impijs animam meam. Vultum tuum, Domine, requiram.

2. ADora D. JESUM, & considera: alterum principale caput infelicitatis damnatorum fore separationem æternam ab ipso. Separari enim à JESU, est separari à salute, à vita, à Summo & omni Bono: est, æternùm perditum esse, est incidere in mortem æternam, in tyrannidem diaboli æternam, in statum omnium malorum aggregatione calamitosissimum. Vide autem excessum quendam calamitatis luctuosissimæ. Exardescent impij insano furore in JESUM ita: ut perpetuis horrendis blasphemijs eum sint proscissuri; qui tam justè eos damnavit, tam facilem ad salutem & gloriam æternam viam paravit, qui non solùm omnia necessaria auxilia illis suppeditavit, sed sanguinem divinum & vitam ipsorum bono profudit. O amabilissime Salvator, per omnia vulnera, sanguinem & mortem tuam, ne finas me incidere in malitiosissimam hanc & perpetuam insaniam, omnibus reliquis tormentis inferni deteriorem. Carebo facilè cœlo, & omni gloria, & delicijs ejus: modò te semper amare & laudare possim.

3. VEnerare DEIparam V. & considera: ad cumulum infinitum calamitatis damnatorum grande auctarium accessurum; quòd ipsius conspectu, auxilio, favore, & jucundissimo consortio sint privandi æternùm. Mois na-

Mors naturalis quàm amara est, quòd separet à charis? *Siccine separat amara mors?* lamentabatur Agag rex 1. Reg. 15. At mors secunda & æterna quantò amarior, dum separat æternùm à DEO, I. & M? Illis igitur ne indigni simus, curandum studiosissimè.

Proposit. v. gr. *de conjunctione cum DEO, JESV & M. per diligentem considerationem, & ardentem charitatem.*

LECTIO PRACTICA.

Tardâ nunc plerumque Executione Decretorum Divinorum non abutendum.

MIsericors & Miserator Dominus non solùm diu *dissimulat peccata hominum propter pœnitentiam*, Sap. 11. sed multò antè, quàm ad peremptorium terminum perveniatur; admonere solet homines periculi sui, & rationum componendarum cum ipso: idque signis jam naturalibus, jam prodigiosis. Per naturalia signa admonuit juvenem illum, de quo Sanctus Antoninus p. 2. Summæ tit. 9. Is, eximiè pius, de hora extrema solicitus, assiduò DEUM solicitabat: ut de ipsa appropinquante fieret certior. Spectabilis ei factus Angelus Tutelaris, appromisit, se clientem moniturum plus triduo ante mortem. Hoc nuncio lætus juvenis, cœpit securiùs agere, moribus dissolvi; & in fœdissima flagitia præceps ire, nequidquam obstantibus parentibus & magistratibus. Vides? quàm consultum sit, nescire diem supremum? Evenit: ut in vicinum oppidum profectus incideret in latrones: è quorum manibus, equo calcaribus adacto, plagis tamen cruentis acceptis, ægrè evasit. Vix vulnera in cicatricem coaluerunt: cùm placuit animi gratiâ navigio excurrere, & ludentibus undis se se distrahere cum socijs. At modicùm provectos sæva tempestas involvit, ac fere ad ima depressit. Alij clamare, manus ad cœlum tollere, vota formare, mutationem vitæ spondere: solus hic noster sui securus, agebat nihil. Perfunctus hoc periculo, gravi morbo corripitur. Medici, parentes, propinqui, Confessarius admonent miserum periculi, sibi consulat, orant non sine lacrymis. Securus ille ridet trepidos: siquidem ab Angelo monitore nihil adhuc habet. Adfuit tandem Angelus, cùm pauca superessent vitæ momenta, monens de morte jam cervici imminente. Consternatus juvenis, expostulat de fide data, sed non servata. At Angelus, quàm fidelis steterit promissis, docuit. Monuisse se, multò ante triduum, per periculum latronum, deinde per periculum naufragij, denique per morbum præsentem, per medicos, amicos, & viros spirituales: sed frustrà. Proinde ipse sibi jam consulat. Ubi Angelus disparuit: narravit omnia infelix juvenis, & sine pœnitentiæ signis illico extinctus est, Executione divinâ nihil dilatâ.

Prodigiosis signis de morte instante præmonentur alij, beneficio valde æstimando: prout de non paucis familijs in Bohemia refert Albertus Konobscki c. 7. Notat. In familia Prichoroskiorum si quis venationi magis addictus, sit moriturus: canes, tibiæ, & voces venantium audiuntur; si quis equorum amantior, hinnitus: si quis musicâ delectetur, cantus personat. Quæ omnia aguntur in castro Skoczicz. In familia Klenoroskiorum in templo Parochiali arcis eorum Polina, ad Missæ Sacrificium lumen extinguitur. In familia Sternbergiorum in templo Parochiali lumina visuntur: quæ si sint in dextera parte, masculus morietur; si in sinistra, fœmina. In familia Kolowrat in monasterio Razow lapis sepulchralis largiùs sudat. Quo signo ad heros delato à P. Priore Ord. Augustin. tota familia convenit; & expiatis per Confessionem conscientijs expectant, super quem sors cadet fatalis. Bene isti: sed minùs feliciter nobilis ille prædives in Alsatia, de quo Stengelius in Ovis Paschal. embl. 74. qui cùm de more quietem meridianam capere vellet, jussit in mensa crystallinum calicem cum vino collocari, quo postea somnum dilueret. Decumbenti quâdam die, valenti ac sano, incidit cogitatio de Æternitate; videtq; & audit, vitrum in mensa, suâ sponte & cum fragore dissilijt. Restitutum secundum & tertium, post intervalla horæ dimidiæ similiter dissilierit. Territus ille uxorem & famulos convocat, & Bruntruto unum è nostris Sacerdotem acciri jubet. Interim incipit pallere, ac in momenta deficere. Uxor moras nectens, vix sub occasum expedivit famulos pro Confessario: qui totâ fere nocte in parva sylvula oberrantes, dum inde evolvuntur cum Confessario, æger obijt ante adventum Sacerdotis. Fortis est Executio divina, Tardat & præcipitat, Quis resistet ei?

Iterum ingemino: *Intelligite hæc, qui obliviscimini DEUM: ne quando rapiat, & non sit, qui eripiat.* Psal. 49.

SABBATO post Domin. Vltim post Pentecosten.

MED. *De pœnis damnatorum æternis absq; ulla Misericordia DEI, JESU & M.*

1. ADora DEUM O. M. & considera æquissimum rigorem Iustitiæ ejus, quâ statuit, ut pœnæ damnatorum essent æternæ. *Ibunt hi in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam.* Matt. 3. Et Apoc. 14. *Fumus tormentorum eorum ascendet in secula seculorum: nec habent requiem die ac nocte.* Erit ergo pœna damni æterna. Privabuntur enim gloriâ cœlesti, imò & quibusvis bonis terrestribus in æternum. Pœna quoq; sensuum, & omnium animæ potentiarum æterna. *Intellectus* cruciabitur cognitione infelicitatis

felicitatis suæ æternæ : *Memoria* recordatione æternâ peccatorum præteritorum, & mediorum à Deo exhibitorum ad facile obtinendam salutem æternam : *Voluntas* privatione æternâ libertatis, obstinatione, obduratione, & defectu omnium delectabilium : *Phantasia* tætris, horrendis & perpetuis imaginationibus : *Oculi* visu perpetuo horribilium spectrorum, & ejusdem damnationis fœdissimorum sociorum : *Aures* perpetuo ejulatu, diris & blasphemijs maledictæ illius turbæ : *Nares* perpetuo pœdore corporum ustulatorum, & halitu ignis sulphurei : *Lingua* perpetuâ siti & amaritudine : *Tactus* corpore toto diffusus igne inextinguibili : *Conscientia* verme immortali. Deniq; damnatorum quilibet appellari merebitur, ut olim filia Oseæ ex fornicatione nata : *Absq; misericordia.* O vox horrenda : *Æternitas absq; misericordia !*

2. ADora D. IESUM, & considera : quomodo post latam æternæ damnationis sententiam viscera misericordiæ ejus quodammodo in adamantem durescent. Videbit miserrimos tanquam carbones ignitos in immensum acervum congestos, & non miserebitur in æternum : audiet fletum, stridorem dentium, ejulatum horrendum, & non flectetur in æternum. Recordabitur sanguinis etiam pro infelicibus illis fusi, & non parcet : quin potiùs in vindictam æternam exardescet ardentiùs. Experientur, dulcissimam ejus suavitatem sibi versam in amaritudinem æternam, misericordiam in vindictam æternam, clementiam in furorem æternum. *Pœnas dabunt in interitu æternas à facie Domini, & à gloria virtutis ejus, cùm venerit glorificari in Sanctis suis, & admirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt.* 2. Thessalon. 1. fide scilicet vivâ, seu charitate formatâ. At non minus mihi admirabilis es, Misericordissime IESU, in omnibus, qui pœnitentiam non egerunt : quòd misericordiam non consequentur in æternum. Non putarem, nisi crederem. O vox horrenda : *JESUS absq; Misericordia !*

3. VEnerare DEIparam V. & considera : infelices illos in hoc Mari gratiarum nullam unquam inventuros gratiam ; ex hac Abysso misericordiæ nullam percepturos misericordiam in æternum. Ut Sol Christus æternum illis obscurabitur : ita Luna MARIA in æternum illis non dabit lumen suum. Heu! Quàm immisericordem æternitatem meretur vel unicum lethale peccatum! Et tamen placet! O ignea Æternitas illumina cæcitatem nostram!

Propos. v. gr. *de fugiendis seriò peccatis.*

LECTIO PRACTICA.

Quàm metuenda sit infelix Æternitas.

Anima

ANima Philippi, Cancellarij Universitatis Parisiensis, de quo sup. pag. 174. cùm comparuisset Episcopo Parisiensi, dixissetq; se æternùm damnatam; quæsivit: *An jam adesset finis mundi?* Miratus quæstionem Episcopus, cùm pauci tantùm transiissent dies à funere illius, reposuit: Valde mirum sibi esse, quòd hæc tantus Doctor rogaret. An non videret: se adhuc in vivis esse; omnes autem homines ante finem mundi mori debere? *Noli mirari*, respondit anima, *hanc quæstionem: quia nec scientia, nec opus, nec ratio est apud inferos.* Et sic evanuit. *Stephanus Menoch: p. 1. cent. 2. c. 21.* Nimirum ita pœnarum atrocitas ac potissimùm æternitas, occupat & opprimit infelicibus illis potentias omnes: ut veluti absorpti infinitâ abysso Æternitatis pœnarum suarum, de rebus alijs, & temporibus cogitare non possint. Tanta enim est pœnalis Æternitatis gravitas: ut singulis, quantumvis aliàs levissimis, incommodis infinitam conferat acerbitatem. Egregiè describit illam fluidissimis Rythmis P. Joannes Nadasi S. I. è quibus accipe excerptos sequentes.

1. DAmnate dic tu: quãdiu
Ardebis igne? *Semper.*
Dic ipse, dic tu: quamdiu
Cogêre flere? *Semper.*
2. Damnate dic: Vos quamdiu
Torquebit ignis ille?
Torquebit, eheu! tam diu,
Dum vivet UNUS ille.
3. Ibunt dies cum mensibus,
Annisq; sæculisq;
Ardebimus nos mensibus,
Annisq; sæculisq;.
4. Ardebit ita Numinis
Per lustra sæculorum:
Nec spes erit levaminis,
Nec terminus dolorum.
5. Non sunt polis tot stellulæ,
Nec orbe tot arenæ:
Non sunt maris tot guttulæ,
Quot hoc in igne pœnæ.
6. Æternitas sed maximus
Est hic dolor dolorum:
Quòd non sit ullus terminus
Tam grandium malorum!
7. Nunquam Deum videbimus,
Amabimusq; nunquam.
Ah semper hìc ardebimus,
Amabimusq; nunquam,
8. Eheu! quid est pulcherrimum
DEUM videre *nunquam?*
Illum DEUM dulcissimum,
Quid est, amare *nunquam!*
9 Cum flammeis draconibus
Vinctum jacere *semper?*
Vivisq; sub carbonibus
Ardere, flere *semper?*
10. O ira væ! Libido væ!
Impura lingua, væ! væ! væ!
Væ! væ manus! theatra væ!
Obscœna corda, væ! væ! væ!
11. Væ! væ gulosa prandia
Cœnæq; delicatæ!
Tormenta vobis grandia,
Pœnæq; sunt paratæ!
12. Caro, caro, quàm decipis!
Cave tuos amores.
In re perenni desipis,
Et seminas dolores.
13. Si quispiam de carcere
Illo domum rediret:
Possetne carni parcere,
Heu! quanta non subiret!
14. Ab inferis si surgerem,
A morte si redirem:
Quid dicerem? quî viverem,
Ne denuò perirem?
15. Ardent in antro flammeo
Heu mille! mille! mille!
Cur sic ego non ardeo,
Ut ardet hic & ille?
16. Tu, mi DEUS, me maximo
Amore sic amâsti:
Et Tartari dirissimo
Ab igne liberâsti,
17. O Amor Deus dignatus es
Amare non amantem?
Fac, ut velim (nam dignus es)
Amare sic amantem.
18. Inferne, quantis ignibus
Alis tuos dolores:
Inferne, tantis ignibus
Alas meos amores.
19 Timendus est, amandus est,
Qui nos ad hoc creavit.
Amandus est, timendus est,
Qui tot modis amavit.
20 Valete, mundi somnia,
Dulcesq; fœditates:
Nihil, nihil sunt Omnia,
Meræq; vanitates,

MED: de SS.

MEDITATIONES
Pro FESTIS SANCTORUM

Lectiones habentur suprà in Ferijs in quas incidunt.

De S. ANDREA Apostolo. 30 *Novemb.*

VEnerare S. Andream Apostolum, & considera *Primo*: quibus potissimum virtutibus placuerit DEO, JESU, & MARIÆ. 1. Prompta obedientiâ, qua vocantem Christum sine mora secutus est, retibus relictis cum omni spe & desiderio lucri terreni. 2. Ferventi studio Religionis, quo Agnum immaculatum quotidiano sacrificio immolabat DEO, 3 Zelo Apostolico Scythiam Europæam, Epirum & Thraciam peragravit, innumeros ad Christum convertens. 4 Singulari amore Crucis: â qua nullis hominum piorum conatibus se liberari passus est; quam suavissimè salutavit & amplexus est: *Salve ô bona Crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata. Accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo: ut per te me recipiat, qui per te me redemit.* Idem decor & pretium est nostris crucibus: sed quam graves nobis sunt & invisæ? *Secundo* considera: quomodo Apostolum suum honoraverit & glorificaverit DEUS. Ex discipulo Joannis Bapt: fecit discipulum Christi, ex piscatore piscium piscatorem hominum. Gloria miraculorum prædicantem. & cælesti luce docentem biduo è cathedra crucis illustravit: pretiosum mortui Caput in capite Christiani orbis Româ venerationi omnium exposuit. Animam beatam throno Apostolico donavit in gloria Sanctorum. Est igitur grande operæ pretium, relictis omnibus sequi Christum, & amare ipsius & suam crucem Quid ergo sequi tergiversamur, & cruces aversamur?

De S. FRANCISCO XAVERIO S. J. 3. *Decemb.*

VEnerare Magnum Indiarum, imò totius Orientis, Apostolum, & considera: eum vel maximè placuisse DEO, JESU & MARIÆ 1. Studio Virginitatis in florentissima ætate & fortuna integerrimè servatæ, atque in somno etiam usq; ad sangvinem propugnatæ. 2. Mortificatione corporis, licèt innocentis, acerrimâ: quod assiduis laboribus, fame, siti, castigatione, continuis itineribus, vigilijs, atterrebat, ac tandem pro aliqua quiete in nuda humo, vel anchorarijs funibus reclinabat. 3. Inexplebili aviditate laborum, adversitatum, & dolorum. qua incitatus, inter plurimas nec leves cælitus oblatas sibi cruces, exclamabat: *Ampliùs Domine, Amplius!* 4 Zelo *Apostolico* ardentissimo, & Magnitudine animi infinita. quem nec Europa, nec vastissima totius Orientis regna capiebant: cui nulla sufficiebat animarum conversio. quamvis vicies centena millia excederet, nulla terribilia erant pericula, nulla satis dissita regna. Illo se rapiebat per terras & maria; ex Gallia in Italiam, ex *Italia* in Lusitaniam, ex Lusitania & *Europa* in Indiam, ex India in Japonem, ex Japone in Sinas Illo non animarum solùm, sed corporum etiam infirmorum curam complexus, impendebat, & super impendebat se omnibus, *Omnibus omnia factus*: donec in deserta Sinarum insula ab omnibus desertus, magnam Animam exhalaret. Vide jam; quomodo DEUS magnum hunc Operarium suum glorificârit, Corpus ejus Virgineum ab edacitate vivæ calcis incorruptum servavit, ac per illud sævam pestem Malacæ fugavit. Animam viventis solatijs cælestibus usq; ad *Satis est Domine, satis est*, implevit: ipsum Xaverium gloriosè *Indiarum Apostoli* titulo honoravit, innumeris barbarorum lingvis instruxit, integris exercitibus terribilem exhibuit, simul in diversis locis collocavit, Spiritu prophetico passim aflavit; 25, & amplius, mortuorum suscitatorem effecit, labores ejus graviores & mortem in Crucifixi imagine

A copiose

copioso sudore repræsentavit, tam potentem & mirabilem Thaumaturgum toti orbi proposuit; ut miraculum fit, Xaverium invocatum miracula non operari. O magne Apostole, gloriose Thaumaturge, innumeris alijs unum illud, sed grande, adjice miraculum: me, hominem inutilem, fac magnum DEI Servum.

De S. NICOLAO Ep. Conf. 6. *Decemb.*

VEnerare innumeris decoratum miraculis Myrensem Episcopum S. Nicolaum, DEO, J. & M. eximiè charum 1. Ob rigidum & constans Jejunium ferijs, 4tâ & sextâ, servari solitum, etiam in infantia. 2. Ob profusam & ingeniosam liberalitatem in pauperes, eam potissimum, qua nocturno tempore (ne vanitas aliqua ipsummet deprædaretur) suppeditatâ necessaria dote, trium puellarum, vindicavit periclitantem pudicitiam. 3 Ob singulare studium Orationis, cujus gratiâ, intempesta nocte Ecclesiam adibat: meruitq; in Episcopum divinitus promoveri eo indicio: quod primus ingressus sit Ecclesiam. 4, Ob fortem fidei confessionem; cujus causâ â Diocletiano Imp. usq; ad Constantinum M. incommoda carceris & exilij toleravit. Glorificavit DEUS Servum suum horribilis tempestatis sedatione, mortui suscitatione, prodigiosa coram Imp. Constantino comparitione, Angelorum ad gaudia cælestia invitatione, salutiferi contra morbos liquoris ex sacris mortui ossibus, etiam hodie, profusione. O Præsul beatissime, imple; obsecro lampadem meam largo charitatis oleo, ne unquam extingvatur.

De Immac: CONCEPTIONE B. V. 8. *Decemb.*

VEnerare DEIparam V. semper Immaculatam, & considera illius in optatissima Conceptione sua Puritatem, Perfectionem, Felicitatem. *Puritas* ea fuit, qua post DEUM major non invenitur. Nulla enim Originalis labes Animam ejus unquam inquinavit, *Decuit* enim, ut loquitur S. Anselmus lib. de Conceptu Virginali, c. 18. *Virginem,* DEUM parituram *ea puritate nitere, qua major sub DEO intelligi nequit.* Nam *Gloria filiorum parentes eorum*, Prov. 17. *Perfectio,* tam corporis quam animæ, tanta jam tunc erat, quanta in nullo adulto, quantumvis Sancto, homine: aut in ipsis Angelis, si dona gratiæ spectentur. Nam ut arguit S. Thomas 3, p. q, 27. a. 5. in c. *Quanto aliquid magis appropinquat principio in quolibet genere, tantò magis participat effectum illius principij. Beata autem Virgo MARIA propinquissima Christo fuit secundum humanitatem: quia ex ea accepit humanam naturam. Et ideo præ cæteris majorem debuit à Christo gratiæ plenitudinem obtinere.* Quod argumentum militat pro DEIpara V. pro omni statu & momento, extenditq; se proportione accommoda, etiam ad dotes corporis. *Felicitas* ejus ea fuit: quâ major pro statu viæ optari non potest. Patet tum ex summa puritate, sanctitate & perfectione omnigena, tum quod *Sola,* & quidem à primo vitæ momento ad ultimum donata fuerit prærogativis tantis. *Una est columba mea, perfecta mea. Viderunt eam filiæ,* Angelicæ mentes *& Beatissimam prædicaverunt.* Cant. 8. At nos quam immundi, imperfecti, infelices, non solum in Conceptione, sed nativitate, & pleriq; totâ vitâ, sumus? Vir secundum cor DEI lugubre ingemiscit Psal. 50 *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in peccato concepit me mater mea.* Amplius ergo ô Domine, & tu ô Domina, lava me & perfice me: ut saltem in fine vitæ in conspectu vestro appream mundus & gratiosus.

De S. THOMA Apostolo. 21. *Decemb.*

VEnerare Magnum Apostolum S. Thomam, qui quàm charus Christo fuerit? demonstravit benignissima invitatione & suavissima admonitione; *Infer digitum tuum huc, & vide manus meas: & affer manum tuam, & mitte in latus meum; & noli esse incredulus, sed fidelis,* Joan. 20, Labem incredulitatis non solum Apostolico sudore, sed sang-

guine proprio Calaminæ in India fuso funditus eluit. Nullus Apostolus in tam ampla vinea laboravit; nullius tuba ad tot, tamq; remotas gentes se se extendit. Armenis, Mesopotamis, Persis, Bactris & Indis Evangelium prædicavit; imo usq; in Sinas, & in ipsam Americam fuisse progressum, non obscura hoc & præterito sæculo ostenderunt vestigia Christianæ fidei in terris illis. Honoravit illum JESUS præ cæteris tactu sacratissimorum vulnerum suorum, tamq; largo lumine perfudit, ut illico, (quis explicet, quanto affectu) exclamarit *Dominus meus & Deus meus!* Glorificavit eum magnitudine miraculorum, & Constantia, seu diuturna propagatione fidelium ab ipso conversorum; siquidem in regno *Meliaporis* superiori sæculo adhuc repererunt Christianos Lusitani, quando illuc delati sunt. O Magne, & laboriosissime Apostole, fac, ut & ego defectus atq; negligentias meas in fide & charitate, atq; propaganda gloria divina, majore compensem fervore.

De Festo Purificationis B. V. Vide. 2. Febr.

De S. MATHIA Apostolo. 24 *vel* 25 *Februarij.*

VEnerare magnum Christi Apostolum, S. Mathiam, & considera mirabilia DEI judicia circa, ipsum & antecessorem ejus in Apostolatu Judam, tum etiam in electione æmulum, sine æmulatione tamen, Barsabam. Judam elegerat ipse Christus non solum in 72 discipulorum sortem, sed in Apostolum; eâdem qua reliquos doctrina erudierat, mensâ sustentârat: passus tamen est tam beata sorte excidere, & in furem atq; proditorem degenerare, ad nostram cautelam: ut *qui stat, videat, ne cadat.* In Judæ locum qui subrogaretur, præstò erat Josephus seu Barsabas, cognomento, quod solida virtute sibi pepererat, *Justus*; frater trium Apostolorum, & cognatus Christi. At Petrus cum alijs collectis discipulis prudentiùs maluerunt electionem committere divino judicio, adjungentes *Barsabæ* alterum candidatum, Mathiam: & *cecidit* felix *sors super Mathiam.* Non sunt judicia DEI ut hominum. *Homo videt ea, quæ parent; Dominus autem intuetur cor.* 1. *Reg.* 16. Electioni suæ cumulatè respondit S. Mathias, prædicatione Evangelij ad Pontum Euxinum; atq; in Æthiopiam usq; progressus. Honoravit illum Dominus gloriâ miraculorum & Martyrij, atq; insigni apud Trevirenses Ecclesia, quæ ipso Apostolo per visum jubente condita est à pijs & dedicata ab Eugenio III. Pontifice Max: O non cadat super me sors Judæ, sed Mathiæ! Ne cadat illa; amabo te DEUS super omnia, laborabo tibi, glorificabo te, quàm diu halitus erit in me.

De S. CASIMIRO Conf: 4. *Martij.*

VEnerare Virgineum Poloniæ & Litvaniæ Principem S. Casimirum, delicias amoris apud DEUM, J. & M. meritum 1. *Virginitate* inter regalis aulæ delicias & illecebras integerrimâ servatâ, *mori* potius quàm *fœdari eligens.* 2. *Mortificationis studio*; quo castitatis arcem munierat, aspero cilicio & assiduis jejunijs Corpusculum atterens, spreta regali culcitrâ, durâ humo cubans, & intempesta nocte præ foribus templi orationem protrahere solitus, 3. *Pietate* singulari erga Passionem Christi, Missæ sacrificium, & Virginem DEIparam, quam celebratissimo & dulcissimo illo Hymno suo, *Omni die dic MARIÆ mea laudes anima,* quotidie colebat. 4. *Catholicæ Religionis zelo* constanti quo impellente legem à Patre impetravit, ne Schismaticis Rutenis liceret templa nova erigere, vel collapsa restaurare. Glorificavit DEUS eximium servum suum, Virginei corporis per annos fere ducentos integritate (super cujus pectus & Hymnus ille Marianus repertus est illibatus anno 1604) plurimorum miraculorum gloria, & gloriosis victorijs ejus præsidio à milite Litvano relatis. Indue & nos, Magnanime Princeps, ea virtute: ut mori malimus, quam peccato fœdari. Præstat enim non esse, quam DEO invisum esse.

De S. JOSEPHO B. V. SPONSO. 19 *Martij.*

VEnerare lectissimum è millibus, Virginis DEiparæ Sponsum Virginem S. Josephum, & considera eum post sponsam suam primos apud DEUM & Christum obtinuisse amores & gratias. 1. *Virginitatis illibatæ flore,* tam pretioso, quàm raro in veteri Lege. 2. *Humilitate profundissima,* qua non habita ratione stirpis suæ regiæ, fabrili sorte contentus vivebat; Sponsamq; suam, & Filium ejus summa animi demissione venerabatur, 3. *Titulo Nutritij:* quod DEI Filium & Matrem ejus labore manuum & sudore vultus sui annis non paucis aluerit. 4. *Ardentissima charitate.* Quomodo enim potuit familiariter vivere cum JESU & MARIA, probè edoctus, de earum personarum qualitate & excellentiâ, & non ardere, vivi carbonis instar, ipsarum amore; præsertim cùm quotidianis experimentis disceret earum propensissimum in se affectum, & observantiam, tanquam erga caput familiæ? Glorificavit eum DEUS honore nemini alteri concesso aut concedendo: quòd talem ei desponderit Virginem; talis Filij voluerit haberi Patrem, esse Nutritium: quòd solum, ante omnes alios, voluerit mysterij Incarnationis esse conscium, & magni consilij Coadjutorem fidissimum: quòd subditum sibi, tanquam proprium Filium, habuerit JESUM, Dominum ac DEUM suum; quòd inter amplexus talis filij & sponsæ magis vi amoris, quam vehementia morbi, ei datum sit emori. O si! O si & nobis liceret esse tam felices! Licebit si tu volueris, charissime JESU & MARIÆ, JOSEPH. Nostrum erit; non reddere nos ea felicitate indignos.

In Festo ANNUNCIATIONIS B. V. 25. *Martij.*

VEnerare, quàm potes profundissimè, humilem Ancillam Domini, & Magnam Matrem DEI, Virginem MARIAM, in qua hodie VERBUM caro factum est: & considera; Solam meruisse eam felicitatem, & dignitatem omne fastigium creatum supergressam *Puritate* corporis & animæ (qualis nec in Angelis reperitur) & *Humilitate,* cui æqualis in solo ejus filio cernitur, His, veluti duobus brachijs, Unigenitum DEI cælo detraxit; & e sinu Patris illectum, intra Virginalis uteri sui thalamum conclusit; sibiq, tam arcta unione adstrinxit: ut major inter DEUM & puram creaturam dari nequeat. Vide: quanta sit vis puræ & humilis animæ; atq? considera: quantæ ex hac in Matrem DEI electione redundaverint in Virginem prærogativæ, gratiæ & omnigenæ, quas cælestis thesaurus habet, dotes, Hinc illa Immunitas ab Originali labe, & omnibus, quæ eam sequuntur, incommodis; illa copia & excellentia gratiarum in ipsa ejus Conceptione, ut eodem momento eliceret actus, quales nemo Sanctorum in omni vita sua; illa magnificentissima Legatio SS. Trinitatis; illa dependentia salutis nostræ à Virginis assensu; illa subjectio incarnati DEI, illa meritorum & gloriæ magnitudo, illud Dominium in omnem creaturam &c. &c. Verbo: Venerunt illi pariter omnia bona cum hac Maternitate. Substernatur ergo plantis Virginis, Matris DEI quidquid sublime est in cœlo & in terra, & in tota massa creaturarum possibilium. Tu autem, ô Augustissima, ne despice prostratos tibi in scabellum clientes. Memento: quod Soror nostra sis, electa ut cooperareris in afferenda salute nostra. Profer tuum illud potentissimum Fiat & salva fiet ancilla tua, anima mea.

De S. ADALBERTO Ep. M. 23. *April.*

VEnerare inclytum Præsulem, & gloriosum Martyrem S. Adalbertum, & considera: eum ad hos honores promotum esse 1. *Innocentiâ morum,* & *eximia pietate,* qua Psalterium totum Psalterium memoria complexus erat. Vir ita excelluit: ut totius populi Pragensis consensu, Principis voluntate, Ottonis Imperatoris approbatione, ipso solo renitente: Episcopus sit inauguratus. 2. *Profunda Humilitate,* cujus studio Pragam venit simplici & vili equo, freno canabeo usus. Cùm populum protervum domare non posset, assentiente Pontifice

tifice in monasterium Romæ se se abdidit; ubi nullum erat tam vile & servile munus, quod non libenter ac sponte obiret. 3. *Mortificatione corporis assiduæ.* Meridies prandentem (præter dies festos) media nox dormientem nunquam vidit. Lectus honestè stratus; somni tamen locus humus erat, & subjectus capiti lapis. Mensa frugalis: duodecim tamen pauperes alebat semper. 4. *Zelo Apostolico:* cujus impulsu, cùm apud Pragenses nihil proficeret, Hungariam adijt, ac Poloniam, atq; utramq; in fide non pridem susceptа confirmavit. Inde in Prussiam contendit, veri DEI notitiam ei genti illaturus; sed non aliud quàm Martyrij palmam retulit. Glorificavit DEUS Martyrem suum: quando Ottonem Imperatorem ad eum honorandum in Poloniam usq. evocavit: Boleslaum autem Ducem Polonorum incitavit ad sacrum ejus corpus redimendum; in cujus redemptionem Prussi tantum argenti, vel auri, ut alij volunt, pacti erant; quantum ponderaret corpus. Sed divina virture delusa est avaritia; quandoquidem valde exiguum Sacrorum lipsanorum pondus fuit. Fac, Inclyte Martyr; ut nobis ipsis proprium corpus vilescat, anima verò meritis sit gravis, & pretiosa.

De SS. PHILIPPO & JACOBO Apostolis. 1. *Maji.*

VEnerare par nobile Apostolorum SS. Philippum & Jacobum Minorem & considera 1. Utriusq; zelum Apostolicum quo Philippus Scythiam & Phrygiam, prædicando peragravit; Iacobus autem Hierosolymam jam conversam in Synagogam Satanæ, operosè erudivit. 2. Quàm familiariter Philippo utebatur Christus, siquidem illius sententiam in defectu anonæ requisivit: *Vnde ememus panes?* Et gentiles Salvatorem videre cupientes, Philippi operam adhibuerunt: *Domine volumus IESVM videre:* Philippus ipse confidenter petij: *Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis.* At tu nobis Magne Apostole ostende IESUM & sufficit nobis. In ipso enim & Patrem videbimus & Spiritum S. 3. Eximiam S. Iacobi Sanctitatem, & ejus famam: ob quam *Iusti*, cognomento honoratus fuit; soliq; Sancta Sanctorũ ingredi licebat, accurrentibus certatim hominibus ad fimbriam vestimenti ejus tangendam. Honoravit utrumq; Dominus miraculorum gloriâ, Martyrij palmâ, & glorioso Romæ in Basilica 12. Apostolorum sepulchro. Agite Magni Apostoli: ut etiam omnes viri Apostolici conspirent, ad propagandam sine æmulatione & invidia gloriam divinam; unumq; sit omnium studium, ut familiares sint D. IESU per orationem.

De Inventione S. CRUCIS. 3. *Maji.*

VEnerare solicitè quæsitam, & a S. Helena feliciter inventam Salvatoris tui Crucem & considera: Si S. Andreas Apostolus suam crucem tam tenerè salutavit, tam amanter amplexus & veneratus est; incomparabiliter majore veneratione & laude dignam esse Christi Crucem, divino ejus sangvine largè perfusam & consecratam, in qua grande opus Redemptionis nostræ consummavit; siquidem æterno SS. Trinitatis decreto definitum fuit: ut non aliter redimeretur genus humanum, quam per mortem crucis. Audi igitur (& perpende) exultantem in primis hujus festi Vesperis Ecclesiam: *O Crux splendidior cunctis astris!* nam per illam à Luce Mundi Christo plus luminis, seu altius lumen, accepimus, quam à cunctis astris: & in fine mundi prælata Iudici, fulgore vincet omnia sidera, *Mundo celebris:* quocumq; enim extenditur Ecclesia Catholica, ibi celebratur Crucis Christi gloria. *Hominibus multum amabilis,* tanquam Arbor vitæ, cujus fructus vitam affert immortalem: *Sanctior universis,* templorum vasis & instrumentis, cultui divino dicatis; quia sangvine divino consecrata ab ipso summo Sacerdote Christo. *Quæ sola fuisti digna portare talentum mundi,* in ejus redemptionem impendendum. *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera!* Fremant & tabescant inimici ejus: *Nobis autem absit gloriari nisi in Cruce Domini nostri IESV Christi,* Gal. 6. a quo procedit, & in quem redundat omnis gloria Crucis. Ipsi laus, honor, amor in sæ-

culorum sæcula ab omnibus, & super omnia: nobis autem tribulatio, crux, & patientia.

De S. STANISLAO Ep. & Mart: 7. Maji.

VEnerate invictum Præsulem, & gloriosum Martyrem S. Stanislaum, Episcopum Cracoviensem, & considera: quàm probum, vigilem, & fortem egerit Dominici gregis Pastorem. Probitas ejus â puero usq; ad insignem sanctimoniam crevit ita: ut in omnibus se ipsum præberet exemplum bonorum operum: ut ij, qui ex adverso essent, vererentur, nihil habentes dicere malum de illo. Sanctimoniæ suffragio ad Episcopalem cathedram evectus, in specula se constitutum arbitrabatur: ut omni vigilantiâ observaret perdius & pernox; ne vel ipsemet in spiritualibus, vel Ecclesia sibi credita, vel grex fidelium, aliquid detrimenti acciperet. Ubi advertit ex indomita Regis libidine grande malum imminere, se verò monitis privatis & publicis nihil proficere: non est veritus pastoralem vibrare virgam, & malè olentem hœdum ab ovibus & agnis separare; quàmvis adverteret pro virga gladium, in se stringendum. Ad aram obtruncatum ipsius regis manu, satellites in frusta 70. conciderunt Sed glorificavit DEUS fortissimum Pastorem: quando disjecta ejus membra à bestiarum laniena, custodibus aquilis, servavit: & collecta ita coalescere fecit, acsi divulsa nunquam fuissent. Et sicut olim virtute omnipotentiæ suæ adfuit Stanislao, quando triennem mortuum è tumulo evocavit ad regium tribunal pro testimonio dicendo. ita pòst ad asserendam eidem Martyrij gloriam, & Sanctorum honores, adolescentem jam jam tumulandum, coram omni populo restituit vitæ. Agamus strenuè pro DEO: non deerit saluti & honori nostro DEUS.

De B. ALOYSIO GONZAGA Conf. S. J. 21. Junij.

VEnerare terrestrem Angelum, B. Aloysium Gonzagam, charissimum IESU Socium, Virginis Matris delicium: à qua disertis vocibus sibi dictum audivit, quando de statu vitæ constituendo deliberavit: *Societatem IESV ingredere.* Merebatur eos amores 1. Innocentiâ vitæ, ab omni gravi labe immunis, omnigenis autem virtutibus in gradu valde excellenti excultæ, etiam dum in aulis paternâ, Toscana, & Hispana versaretur adolescens. 2. Mortificatione perpetua innocentis corpusculi: quod tenuissima refectione sustentabat, crebris jejunijs exhauriebat, cilicio, cruentis flagris, calcaribus & aculeatis catenulis affligebat. 3. Fervente cultu SSmæ Eucharistiæ, & DEIparæ V. ad cujus, & divini Amoris, nomen, toto vultu exardescere, oculis & totâ animâ liquescere, solitus erat. 4. Arctissima conjunctione cum DEO per contemplationem & charitatem. Vnde cùm illum in gloria cælesti vidisset B. Maria Magd. de Pazzis, exclamavit: *O quantam gloriam habet Aloysius, filius Ignatij! Nunquam id credidissem; nisi ostendisset id IESVS meus. Habet gloriam tantam ob actus internos: & quia obediens erat inspirationibus divinis, O quantum amavit in terris!* Cùm nuncium imminentis mortis accepisset, exultans respondit: *Lætantes imus! Lætantes imus!* O si nobis lætantibus sequi liceret! Licebit æmulantibus vitam Aloysij. Si pati non sumus Innocentiâ: defectum hujus compenset seria pœnitentia.

In Nativitate S. JOANNIS Bapt: 24. Junij.

VEnerare natum in terris Angelum, reducem inter Homines Eliam, Ioannem Bapt. Præcursorem Salvatoris, Vocem VERBI æterni; & considera: quantopere DEUS nascentem glorificaverit 1. prævijs oraculis 2. editis miraculis 3. singularibus gratiarum muneribus. Nasciturum prædixerunt Prophetæ sub vario, eoq; illustri schemate, nunc vocis clamantis in deserto, *Parate viam Domini,* Isa: 40 nunc Angeli, præparantis viam ante faciem incarnati DEI- Malach. 3. Archangelus Gabriel Luc. 1. prædixit præcessurum ante IESVM in spiritu & virtute Eliæ. Mater ipsa Elisabeth exultantem in utero infantem præsensit Præcursorem. Nascentem glorificârunt miracula: partus matris sterilis, lingva soluta patris muti

infideli

insoliti sed gratiosi Nominis ex divina ordinatione impositio, Zachariæ Canticum & Prophetia, vicinorum insveta lætitia, admiratio, & simul timor, dicentium: *Quis putas Puer iste erit? Etenim manus Domini*, potens liberalis & mirabilis, *erat cum illo* Luc. 2. Nondum natum vindicavit hæc manus â peccato originali, rationis usu donavit, & replevit gratiâ sanctificante, sentire fecit adventum Matris Domini sui, totumq; insolito perfudit gaudio; donis supernaturalibus tam largè ditavit, ut Sanctorum multi parem in morte non habuèrint. Iam enim tunc manus Domini jaciebat in animam ejus velut semina virtutum, quibus deinde futurus esset *Magnus coram Domino*, & magnis Sanctis major. Si tantus fuit parvulus Ioannes: quantum putamus fuisse, quando Christus asseruit, non surrexisse inter natos mulierum Majorem; quando eum prætulit prophetis & æquavit Angelis! Nos post tot annos exactos, quantuli pumiliones sumus coram Domino? Da liberalius incrementum Magne Ioannes, ijs præsertim, qui gratioso & magno Nomine tuo sunt insigniti.

De SS. PETRO & PAULO Apostolis. 29. *Junij*.

VEnerare primos Orbis Christiani Principes, Maximos Apostolos, SS. Petrum & Paulum atq; considera 1. Quomodo DEUS mirabili judicio suo, permiserit utrumq; primùm labi in peccata non levia: deinde quasi de stercore erexerit, ut sederent cum principibus populi sui, imò inter illos essent primi. Qui aliquando gratiâ exciderunt; non dejiciant sed attollant animos ad magna pro DEO agenda: siquidem multis innocentibus potiores esse possunt apud DEUM. 2. Quam fervens spiritu fuerit uterq;. Patet ex apertis ipsorummet contestationibus coram Domino, ex susceptis & exantlatis pro ipso laboribus, ex toleratis persecutionibus, carceribus, vinculis, opprobrijs, infamia, & morte ipsa. 3. Quâm utilibus Epistolis uterq; instruxerit Ecclesiam. Quam svavis & sublimis Petrus in suis? quâm fortis & zelosus in suis Paulus, quâm plenus mysterijs! 4. Quomodo uterq; Romam, caput orbis & omnis superstititionis, suscepit excolendam; & post gloriosos labores atq; dolores, eodem die, inter mutuos amplexus, sunt coronati. Gloriosi Principes cæli & terræ, quomodo in vita dilexerunt se, & similibus studijs sunt conformati: ita & in morte non sunt seperati. Ut & nos conjungamur illis in gloria cælesti: conformemur ipsis oportet, virtutum studio, laboribus & passionibus pro gloria Christi.

In Festo VISITATIONIS B. V. 2 *Julij*.

VEnerare cum S. Elisabeth Matrem Domini tui, & considera eam itinerantem, salutantem atq; psallentem. 1. Accepto nuncio de Incarnatone filij DEI, eoq; & Spiritu S. jam plena, *Exurgens*, magis animo ad summa virtutum, quàm corpore ad eundum: *In diebus illis*, quibus ei fecit magna qui potens est; non tamen dedignabatur excurrere ad inferiorem. *Abijt in Montana*: non territa difficultate itineris, modò expleret officium humanitatis. *Cum festinatione*. Quod faciendum pro DEO & proximo; fiat citò. *Et intravit in domum Zachariæ*: non vaga per domos, nec curiosa in plateis, *Intravit*, non ut ministraretur, sed ministraret cognatæ. Pulchra itinerantium forma! 2. *Salutavit Elisabeth*: non obviam quámvis, ex garrulitate; nec expectavit, ut præveniretur ab Elisabeth tanquam dignior: sed prævenit ut humilior: *Et factum est: ut audivit salutationem* MARIÆ *Elisabeth*, dulcem super mel & favum, parcam verborum, sed plenam gratiarum: *Exultavit infans in utero ejus*. Prior Ioannes virtute Salutationis Marianæ afficitur; quia magis indigus ob labem originalem: qua eodem momento depulsa, exultavit infans tum ob liberationem tam maturam, tum ob præsentiam Salvatoris. *Et repleta est spiritu S. Elisabeht*. Nulla intercedit mora, inter propensum erga aliquem affectum MARIÆ, & operationem Spiritus S. 3. Vide jam & audi concertantes, MARIAM & Elisabeth. Ista profundissime veneratur & prædicat MARIAM

RIAM: *Benedicta tu inter mulieres* &c. Illa omnem gratiam & felicitatem suam refundit in DEUM: *Magnificat Anima mea Dominum &c!* Loquere & nobis verbum, ô Gratiosissima: sonet vox tua in corde nostro: ut toto corde, & viribus magnificemus DEUM super omnia; & in ipso solo exultet spiritus noster. Visita nos in Salutari tuo.

De S. MARIA MAGDALENA, 22 *Julij.*

VEnerare peccatricem Sanctissimam D. MARIAM Magd. & considera eam, peccatis, dolore, & amore plenam. 1. Peccatrix erat in civitate sancta, Hierosolymis; in civitate populosissima, erat peccatrix famosa præ cæteris, è qua Luc. 8 dicuntur exiisse septem Dæmonia. Peccatorum incitamenta & fomenta fuerunt divitiæ, & deliciæ: quarum partus sunt vitia & dæmonia. 2. Ex tali tantaq; peccatrice, intuitu gratioso, & verbo omnipotente Christi facta est pœnitentium maxima. Dolorem suum de vita anteacta testata est potissimùm in domo Simonis Pharisæi: in qua ut cognovit accubuisse Christum, oblita respectuum humanorum, irruit importuna convivio, opportuna beneficio, &*stans retro* præ reverentia, *secus pedes ejus*, ex profundissima humilitate; *lachrymis cœpit rigare pedes ejus*, & copiosis & pretiosis: *& capillis capitis sui tergebat*, aureos illos animarum laqueos convertens in funiculos divinæ charitatis: *& ungvento ungebat* pedes JESV, quo antè ungere solebat illecebram juvenum, faciem suam. Vide quomodo instrumenta peccandi convertit in artes pœnitendi. Deniq; tota versa est in dolorem, quæ tota facta fuerat peccatum. 3. Dolori summo junxit amorem ardentissimum: vel potiùs dolorem inflammavit amore summo. *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Luc. 7. Peccaverat ut homo; amavit ut Seraphinus. Amoris vehementiam prodidit potissimum, quando mortuum Christi corpus quæsivit in sepulchro, Joan. 20. & tenuit ab Angelis consolari; quia non inveniebat, quem diligebat anima ejus. O Sancta, & felicissima peccatrix, fac: ut qui te secuti sumus peccantem, sequamur & pœnitentem: nec antè nobis finis sit pœnitendi, quàm vivendi.

De S. JACOBO Apostolo. 25 *Julij.*

VEnerare Fratrem dilecti Christo discipuli S. JACOBUM Apostolum, & considera eum, Christo gratiosum, in Evangelio prædicando laboriosum, in fructu laborum gloriosum. 1. Fuit unus ex tribus, quos Christus specialium quorundam operum suorum & mysteriorum divinorum voluit esse testes. Vt quando in monte Thabor transfiguratus est, Archisynagogi filiam suscitavit à mortuis, ante passionem suam secessit in montem Oliveti, Patrem oraturus. Magna est gratia; si cui datum est participem esse mysteriorum divinorum: at major multó, si cui datum sit, plurima agere & pati pro DEO: prout datum fuit S. Jacobo. 2. S. Jacobo in divisione Apostolica orbis terrarum contigit Hispania excolenda. Laboravit, & seminavit multum, intulit parum, pauculis ad Christum conversis. Reversus ergo Hierosolymam, & prædicationi Evangelij insistens strenuum laborem profusione sangvinis pro Christo, dedicavit primus Apostolorum. Nimirum nostrum est laborare pro DEI gloria: DEI est labori nostro fructum dare. Si inter homines parum profecerimus: apud DEVM merces nostra nobis in tuto est. 3. Quo in vita mortali gaudere non potuit laborum suorum fructu S. Jacobus, post mortem gavisus est uberrimo, & etiamnum gaudet: dum videt Hispaniam suam ita Catholicam; ut nulli hæreticorum, seu à fide Christi alienorum, in ea sit locus: ac insuper eam innumeris gentibus Barbaris per Indias, Orientalem & Occidentalem, factam esse fidei Magistram. Habet DEVS sua tempora, quibus operarios suos soletur: nos decet intentos esse orationi & labori.

De S. ANNA Matre DEIparæ V. 26 *Julij.*

VEnerare Sanctissimam Aviam Christi, charissimam DEIparæ V. Matrem, S. ANNAM, & con

& considera eam moribus probissimam, Filia tali felicissimam, Nepote gloriosissimam ac potentissimam. Nam 1 quid potuit in illa desiderari gratiæ & virtutis, quæ ex omnibus filiabus Sion lecta fuit, ut Mater esset Matris DEI? Facile proles transit in mores parentum. Cùm igitur MARIA ita esset formanda: ut absolutissimum præberet summarum virtutum exemplar; decuit, illi in Anna matre hujusmodi virtutum proponi ideam. Adhæc si *gloria filiorum sunt patres eorum*: Prov. 17. pertinebat ad gloriam MARIÆ, gloriari posse Matre virtuosissima. 2. Annæ S. æquissimo jure applicari potest illud Cant. 6. *Viderunt eam filiæ Sion, & beatissimam prædicaverunt; & Reginæ laudaverunt eam.* Nulli enim Reginarum ab orbe condito ea contigit felicitas: ut pareret cœli terræq; Reginam, & conciperet prolem originali labe non inquinatam: sed DEO semper charam semper divinarum gratiarum monilibus ornatam. Nulla matrum potuit unquam offerre DEO prolem tam gratiosam, ac Anna MARIAM præsentavit, & obtulit solemniter in templo. Unde ipsa DEIpara V. quendam suorum clientum docuit: ut sæpius ingeminaret: *Benedicta sit S. Anna Mater tua, ex qua sine macula caro tua processit virginea:* 3. Apex autem felicitatis & gloriæ S. Annæ est, Nepos talis, scilicet Filius DEI vivi, DEVS verus de DEO vero. *Si corona senum sunt filij filiorum*, seu nepotes: Prov. 17. quam splendida & pretiosa S. Annæ corona est Christus? Egredimini jam filiæ Sion, & videte Annam S. in corona, qua coronavit eam Nepos ejus JESVS. Non est tale opus in universa terra. O gloriosissima Mater Reginæ cælorum, Avia Regis Regum, Scio quantum possis apud Filiam & Nepotem tuum; memini quod ipsa cuidam clientum tuorum dixisti: *Nescis quod in manu mea sint omnes thesauri Paradisi?* ex his thesauris unum peto carbunculum, verum, purum, & ardentem JESU & MARIÆ amorem: & dives sum satis.

De S. IGNATIO Fundatore S. J. 31 *Julij.*

VEnerare Magnum Patriarcham & Ducem Soc. JESV, S. Ignatium de Lojola & considera eum, in laboribus pro DEO strenuissimum; in cura animarum zelosissimum ob utrumq; DEO charissimum. Nam 1. nascentibus inter fideles novis ijsq tetterrimis hæresibus & detectis sub idem tempus amplissimis Indiarum regionibus, insuper invalescentibus ultra solitum inter Catholicos vitijs cum crassa ruditate: hunc Virum secundum cor suum invenit, & elegit sibi DEVS, qui unà cum filijs suis & hæreses debellaret, & barbaras Indiarum gentes luce fidei illustraret, & inter Catholicos DEI timorem, virtutis amorem, atque divinarum scientiarum studia restauraret. Quantus in tam varium, tamq; arduum opus incubuerit Ignatius, recole: & DEO tam strenuum operarium gratulare. 2. Zelum ejus pro animarū salute prædicantliterarum studia in ætate virili suscepta; per totā Italiam sparsi ad prædicandum. Socij: *Ite, omnia incendite: atq; inflammate:* Romæ erectū Collegiū Germanorum adolescentum, in fide vera, pietate & literis instruendorum, excitatæ Malenuptarum, & periclitantium puellarum cœnobia, constructæ domus Catechumenorum, & orphanorum utriusq; sexûs, conflata Societas virorum doctrinâ & virtute illustrium, quæ perpetuò *pari curâ* & labore intenta esset alienæ ac propriæ saluti perfectioniq; procurandæ, expeditus in Indias Xaverius cum Socijs, indictum in Europa hæresi bellum internecinum, repetitæ sæpiùs voces illæ: Si optio daretur, ut vel statim rectâ in cœlum evolaret, vel incertus de propria salute, conversioni animarum insisteret: malle se beatitudinis incertum vivere; & interim inter pericula & cruces, DEO & proximorum saluti inservire. O Virum ineffabilem, qui nec vivere timuit, nec beatè mori properavit! 3. Quàm Charum DEO fecerit Ignatium ardens ille animarum Zelus, & labor indefessus; inter complura alia argumenta eximij amoris, manifestatum est S. Mariæ Magd. de Pazzis, quando vidit: DEVM pari affectu sibi complacere in anima S. Ignatij, & S. Joannis

annis Evang: discipuli, quem præ cæteris diligebat IESVS; *Quia spiritus Ignatij & Ioannis fuit unus spiritus*; spiritus scilicet ardentissimæ dilectionis DEI & proximi, cujus perpetua tessera fuit solemne illud, *Ad majorem DEI gloriam.* O Pater Sancte, diffunde hunc tuum & Ioannis spiritum in cordibus nostris: ut in procuranda animarum salute nulli parcamus labori, Ad *M.* D. G.

De S. LAVRENTIO M. 10 *Aug.*

VEnerare religiosissimum Levitam, & inclytum Martyrem S. Laurentium, atq; consider a cælestem ejus prudentiam, ardens Martyrij desiderium, & in igne invictam fortitudinem. Prudentiam non terrenam sed cælestem ostendit in servandis suæ curæ creditis, thesauris Ecclesiæ; quos, ne fur deprædaretur, aut invaderet tyrannus: non defodit in terram, nec in alio quopiam abstrusο loco abscondit: sed, probante summo Pontifice Xysto, pauperibus distribuit, cum fœnore olim recipiendos à Domino. Utinam hanc prudentiam discerent filij hujus sæculi, imò Ecclesiæ Ministri! Quanto arderet Martyrij desiderio, satis prodidit: quando avulsum à se S. Pontificem sic allocutus est: *Quo progrederis sine filio Pater? Quo Sacerdos sancte sine diacono properas? Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras. Quid ergo in me displicuit Paternitati tuæ &c.* Quo studio nos fugimus levissima incommoda, eodem appetijt ille tormenta. Nec poterat S. Pontifex piæ Laurentij querelæ satisfacere aliter, quàm promittendo pro fide Christi post triduum majora certamina. *Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus: te autem quasi juvenem manet gloriosior de tyranno triumphus.* Pugnavit ergo: & non tantùm tyranno non cessit, sed nec igni. In ò salso joco provocavit tyrannum: *Assatum est; jam versa, & manduca.* Nos solus metus imminentis alicujus incommodi fere exanimat. Sed recolendum illud: *Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit.* 2. Tim. 2.

In Festo ASSUMPTIONIS B. V. 15. *Aug.*

VEnerare, quàm potes humillimè Augustissimam Cælorum terrarumq; Reginam in throno ineffabilis gloriæ suæ residentem, & considera 1. Quanta sit, quam hodie obtinuit gloria? *MARIA Virgo*, canit Ecclesia, *assumpta est ad æthereum thalamum, in quo Rex regum stellato sedet solio.* Bernardus accinit serm. 1. de Ass: *Nec in terris locus dignior uteri Virginalis templo, in quo MARIA Christum suscepit; nec in cælis regali solio, in quo MARIAM hodie MARIÆ Filius sublimavit.* Quidquid DEUS non est, infra MARIAM est. Exultant Cherubini & Seraphini, quod throno gloriæ ejus assistere, & jussa facere possint. Quid mirum si potentissimi reges & reginæ se mancipia ejus profiterentur? *Nimis honorati sunt amici tui DEUS* at incomparabiliter magis honorata Mater! 2. Tantam gloriam non solo Maternitatis titulo sibi comparavit MARIA: sed multis magnisq; meritis per annos 63. collectis, agendo & patiendo plura & graviora, quàm ullus Martyrum. *Multæ filiæ congregaverunt divitias: tu supergressa es universas.* Prov. 31. Si JESUS & MARIA cælestem gloriam non obtinuerunt gratis: quomodo sperabunt eam manus dissolutæ, ventres pigri? 3. Considera: quid Domina & Regina tua in solio gloriæ suæ residens à te servo suo requirat: quid imperet? Si diligenter attendamus; advertemus: primum & maximum ejus esse mandatum, imò etiam vehementem petitionem: ut JESUM, Filium ejus, omni gloria, ipso corde & animâ sibi chariorem, non offendamus. Æquumne videtur? Exaudiemus petentem? Parebimus imperanti?

De S. BARTHOLOMÆO Apostolo 24. *Aug.*

VEnerare Magnum Christi Apostolum S. Bartholomæum, & considera eum, in prædicatione Evangelij strenuum, in relinquendis omnibus pro Christo singularem, in cælo & in terra gloriosum. 1. In sortitione orbis terrarum contigit illi excolenda India, provincia tam

cia remotissima & valde inculta: quàm tamen magno animo suscepit, peragravit, doctrina & miraculis illustravit, atq; Christo feliciter subjecit. Pro DEO maximè ardua promptè sunt suscipienda: non soli enim laboramus, sed DEUS nobiscum. Omnia autem possumus in eo, qui nos confortat. 2. Ex India in Armeniam progressus S. Bartholomæus, cùm Polymium Regem, & civitates 12. Christo lucratus esset: ab Astyage Regis fratre vivus excoriatus, postea capite imminutus est. Cæteri Apostoli propter Christum reliquerunt retia, naviculas, domos & fortunas suas: S. Bartholomæus etiam pellem propiam. Hoc donum Christo gratissimum & pretiosissimum est, quod nobis charissimum; seu quod nobis maximè adhæret. 3. Pellem Apostolo detraxit tyrannus, & caput abstulit: sed DEUS gloriâ & cœlesti lumine vestivit eum, & posuit in capite ejus coronam de lapide pretioso, qualis non invenitur in terris. Sacra illius ossa, unà cum pelle primùm in insulam Liparam cum arcula quadam, divina Providentiâ per mare delata sunt, inde Beneventum, ac tandem ab Ottone II Imperatore Romam translata sunt. Ubi in Insula Tiberina honorificè quiescunt. Detrimenta pro Christo tolerata, magnorum lucrorum sunt semina.

In Festo NATIVITATIS B. V. 8 *Septemb.*

VEnerate natam hodie ex Joachimo & Anna, parentibus Sanctissimis, Infantem: quæ, qualis & quanta sit, docet Nomen, ex divina designatione ei impositum. MARIA enim significat Dominam, Illuminatricem, & stellam maris. Considera igitur eam. 1. ut *Dominam*, non unius domûs seu familiæ, vel regni aut imperij, sed mundi totius hominum & Angelorum: cui ipse Dominus Dominantium tanquam Matri subditus esse dignatus est. Domina est quæ nunquam in servitute fuit: Domina est, imperio maxima, opibus affluentissima, ingenio liberalissima & clementissima: cui data est cum Filio omnis potestas in cælo & in terra. Vide quam illi debeas reverentiam. 2. Ut *Illuminatricem*. Ex ipsa enim ortus est, qui de se dixit: *Ego sum Lux mundi*. Ipsa tenebrosam noctem hujus sæculi illustrat ut Luna; beatæ æternitatis diem promittit ut Aurora: serenat & lætificat universam terræ faciem ut sol. Ipsa illuminat humanas & Angelicas mentes, detegit pericula, illuminat obscura, & ambulantes in luce gratiarum & virtutum suarum deducit ad Patrem luminum. Vide, quæ tu sequeris lumina, quò te ducent. 3. Ut *Stellam maris: Ipsa enim*, teste Bernardo super Missus est, *est præclara & eximia stella, super hoc mare magnum & spatiosum necessario sublevata, micans meritis & illustrans exemplis, ipsam sequens non devias: ipsâ propitiâ ad portum pervenis.* Circumspice, quot in dies contingunt naufragia animarum: & cave ne involvaris.

De S. MATTHÆO Apost: 21. *Septemb.*

VEnerate Magnum Apostolum & Evangelistam S. Matthæum, & considera eum, promptum in obediendo, humilem in scribendo, fortem in prædicando. 1. Ad unam vocem Domini vocantis, *Sequere me*, & lucra & lucrorum iniquorum officinam telonium illico reliquit: nec inquisivit; quò sequendum esset, aut quæ merces responsura sequenti? *Hodie si vocem Domini audieritis, nolite obdurare corda vestra.* Psal. 94. Si primam vocem non audieris: an secundam adjiciet, nescis: & tibi relictus, peris. 2. Cæteri Evangelistæ, dum vocationem & conversionem ejus describunt; propter verecundiam & honorem tanti Apostoli non apellant eum proprio & usitatiore nomine *Matthæum*, sed minus usitato, *Levi*. At ipse disertè se Matthæum vocat, idq; telonarium, infami nomine: ut notavit S. Hieronymus. Nimirum *Iustus, prior est accusator sui.* Prov. 18. Non dissimulemus errata nostra: *Quoniam excelsus Dominus & humilia respicit; & alta à longe cognoscit.* Psal. 137. 3. Evangelium prædicando, usq. in Æthiopiam penetravit, nec veritus barbarorum immanitatem, nec desperans de Æthiopum dealbatione. Et respondit optatus labori fructus, Regis cum universa

provincia conversio, Iphigeniæ filiæ ejus in Virginem perpetuam consecratio, ipsius Apostoli per Martyrium coronatio. Laborandum: DEO fructus laboris relinquendus.

De S. MICHAELE Archangelo. 29. *Septemb.*

VEnerare Angelorum omnium Principem S. MICHAELEM Archangelum, & considera eum, ut supremum Ducem in cælesti exercitu, fortem in prælio, gloriosum in triumpho. 1. Cùm seditionem moveret Lucifer, & ascensionem pararet usq; thronum divinum, similis futurus, opinione sua insana, Altissimo: Michael primus pro DEO vocem & tesseram belli extulit: *Quis ut DEUS*: traxitq; in partes suas feliciter partem majorem militiæ cælestis. Divinus honor & nobis pro corde esse debet: pro quo propugnando & vindicando nec facultatibus nec sangvini parcendum. Erit operæ pretium. 2. Non cessit statim antagonistæ Lucifer: sed *factum est prælium magnum in cælo, Michael & Angeli ejus præliabantur cum dracone: & draco pugnabat, & Angeli ejus; & non prævaluerunt.* Apoc. 12. Non est satis, non accessisse turbæ impiorum, aut improbasse conatus eorum: sed, ubi opus fuerit, conferendæ manus fortiter, & DEI causa propugnanda constanter: ut vincas, vel pugnæ immoriaris. 3. Quàm acre prælium, & illustris victoria, tam gloriosus contigit S. Michaeli triumphus. *Et audivi vocem magnam* in cælo dicentem: *Nunc facta est salus, & virtus, & regnum DEO nostro, & potestas Christi ejus,* Apoc. 12. Celebrabatur ab universo cælesti exercitu Michael, ut fortissimus & felicissimus divini honoris & regni assertor & vindex. Constitutus est in perpetuum triumphantis Ecclesiæ primus Princeps, militantis propugnator præcipuus, & data est ei potestas super omnes animas defunctorum suscipiendas. Ergo gloriosissime Michael Archangele defende nos in prælio, ut non pereamus in tremendo judicio.

De S. ANGELO Custode. 2. *Octob.*

Vide fer. 5. Dom: 20. post Pent:

De S. FRANCISCO BORGIA S. J. 10. *Octob.*

VEnerare Magnum DEI Servum S. Franciscum Borgiam Tertium S. J. Præpositum Generalem, & considera: eum omnis statûs hominibus à DEO propositum esse, ut absolutum Exemplar eximiæ Sanctitatis. *Principibus*: tanquam natus Princeps, Gandiæ Dux, Marchio Lombayæ, Prorex Cataloniæ, ob virtutum splendorem *Miraculum Principum* dictus. *Conjugibus* illustria præbuit exempla continentiæ conjugalis, solicitæ educationis liberorum, probæ institutionis familiæ domesticæ, constantis & moderati amoris erga conjugem Æleonoram, pietatis erga DEUM tam ferventis & ordinatæ, ut in conjugio & turbis negotiorum ageret pijssimum Ascetam. *Viduis* præluxit Conformatione exacta voluntatis suæ cum divina; prudentissima dispositione de domo sua & liberis, contemptu secundarum nuptiarum, & corporis sui mortificatione assidua. *Adolescentibus*; insigni morum integritate inter delicias & aulæ illecebras, è quibus impollutus pervenit ad thorum conjugalem. *Religiosis*, glorioso mundi contemptu, honorum fugâ constanti, mortificationis studio fere nimio, orationis usu continuo, paupertatis amore singulari, obedientiæ summa promptitudine. *Sacerdotibus*, conscientiæ puritate per quotidianas confessiones procurata, Sacrificij divini inter quasvis quantumvis urgentes occupationes, aut viarum impedimenta oblatione quotidiana, Ven: Eucharistiæ frequenti visitatione & cultu singulari. *Superioribus*, humilitate profundissima gubernatione suavi atq; forti, & ardente zelo promovendæ divinæ gloriæ atq; salutis animarum. Inter tanta virtutum & eximiæ Sanctitatis decora, nihilominus Franciscus se *Peccatorem* maximum dictitabat, & credebat, atq; infra Judam proditorem se abjiciebat. Vide, quid imiteris: & cave; ne sæcularis vita Francisci te personam Ecclesiasticam vel etiam Religiosam, confundat.

De SS. SIMONE & JUDA Apostolis. 28. Octob.

VEnerare Magnos Apostolos SS. Simonem & Judam Thaddæum, atq; considera eos Evangelij prædicatione, mundi odio, & Martyrij palmâ gloriosos. 1. Simon, aliàs Zelotes etiam dictus, zelo divinæ gloriæ & animarum salutis accensus, in Ægypto primùm, deinde in Perside prædicavit Evangelium. Judas post Mesopotamiam excultam, adijt Persiam: nec voce solùm, verùm & Epistolâ Catholica, zeli ipsius teste, fidem & probitatem Christianam promovit. Per ipsum fertur Christus Abagaro Regi Edessæ, misisse prodigiosam divini vultus sui Imaginem, & corporis animiq; sanitatem eidem contulisse, Felix quem Christus adhibet in idoneum propagandæ gloriæ suæ instrumentum! 2. Vt super alios, sic super hos Apostolos cecidit sors illa: ut pro bene factis reciperent odium mundi: prout eis prædixerat Christus Joan. 15, atq; ad illud facilius tolerandum, se ipsum proposuerat in exemplum, *Si mundus vos odit, scitote: quia me priorem vobis,* licet infinitè amabiliorem, *odio habuit.* 3. SS. Simoni & Judæ mundus ingratus intulit mortem: sed Christus sine mora vitam contulit æternam, & immarcescibilem gloriæ coronam. Specialiter S. Judam, cujus nomen infamaverat scelestus proditor, voluit esse gratiosum Patronum eorum, qui ejus nomen assumere non erubescerent: prout complures experti sunt, præsertim parentes, qui post plurium filiorum mortem immaturam, didicerunt: impositum alijs nomen Judæ Thadæi, fuisse ipsis salutare. Efficax inprimis est hujus Apostoli intercessio apud DEVM: quia paucos pro quibus intercedat, habet clientes. Nos prensare decet SS. Apostolorum gratiam, contemnere autem odium mundi; imò illud in lucro reputare.

In Festo SANCTORUM OMNIUM. 1. Novemb.

Vide fer. 3. Dom: 22. post Pent:

In die Commemorationis FIDELIUM DEFUNCTORUM. 2 Novemb.

VEnerare Animas Fidelium in gratia defunctorum, tanquam Amicas & Filias DEI, licet ab ejus conspectu & amplexu adhuc separatas; & considera. quomodo deceat, æquum & necesse sit, ut eas pro posse juvemus. 1. Decet: quia non solùm ipsæ, sed DEIpara V. cum nostra & illarum Matre, Ecclesia Christi, S. Angeli Custodes, Divi cælites. & probi omnes adhuc in terra degentes, pro ipsis, hodie potissimum, instantissimè intercedunt & supplicant nobis. Talium, tantorumq; supplicum, preces & vota non exaudiémus? Mendico fragmen panis in corporis sustentationem petenti porrigimus, vel precum importunitate concitati projicimus: animas illas cum tantis intercessionibus negligemus? 2. Æquum est: tum quia sunt Animæ nobis conjunctorum consangvinitate, affinitate, familiaritate, præstitis olim beneficijs aut saltem communione illa, quæ intercedit inter membra Ecclesiæ Christi; tum quia ineffabili calamitate sunt involutæ. Detinentur enim carcere tristissimo, exclusæ à Visione DEI, ad quam summè anhelant: torquentur à crudissimis carnificibus, ustulantur sine intermissione igne divina virtute elevato, & torquebuntur donec Justitiæ divinæ satisfaciant usq; ad ultimum quadrantem; nisi piorum suffragijs concilietur eis misericordia: tum quia facile & sine gravi nostro incommodo ipsas juvare possimus. Ferina sint oportet viscera, quæ his non moventur. 3. Necesse est: quia irrevocabili sententiâ definitum est; *Iudicium sine misericordia illi, qui non fecit misericordiam..* Iac. 2. Quis ex nobis præsumat: quod, si fortè infernum evaserit, non incidet in Purgatorium? At rependet justus Iudex vicem pro vice.

De S. MARTINO Ep. & Conf. 11 Novemb.

VEnerare Sanctissimum Turonensium Præsulem, S. Martinum, & considera: eum, Misericordia in pauperes, terrenarum rerum fastidio, & innocentia vitæ insignem. 1. Celeberrimus est per omnem Ecclesiam, & toto cælo, Misericordiæ ejus actus ille, quo adhuc militem

tem professus, & nondum baptismo initiatus, pallij sui partem ense rescissam, nudo pauperi dedit: qua visus est postera nocte Christus vestitus, & gloriabundus coram Angelis dixisse: *Martinus adhuc catechumenus, hac me veste contexit.* Credimus: quòd & nos, quidquid alicui talium miseroru præstiterimus, Christus sibi præstitum, fatebitur? Evangelio Matt. 25. derogamus, si non credimus. Si credimus: quomodo tam parci sumus? 2. Terrenarum rerum fastidio, quanto laboraret, prodidit tum alias, tum morti vicinus: quando supinum jacentem, & oculis semper in cælum intentum, rogarunt Discipuli, ut aliquantisper converso in partem corpore conquiesceret, dum vis morbi remitteret. At Martinus: *Sinite*, inquit, *me potiùs cælum, quàm terram aspicere: ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus, dirigatur.* Quomodo in morte oculos & mentem attollent in cælum, quorum cor non aliud sapuit in vita, quàm terram? 3. Imminente morte, cùm Sanctus videret generis humani hostem lectulo adstantem: Quid adstas, inclamavit, *cruenta bestia? nihil in me funeste reperies.* Magna securitas conscientiæ puræ. Utinam & in nobis nihil reperiret hostis ille! Combinandæ ergo maturè rationes cum DEO.

De B. STANISLAO KOSTKA S. I.

VEnerare in pusillo adolescente magnum Sanctum, B. Stanislaum Kostkam, & considera eum in mundo Sanctum, in religioso tyrocinio perfectum, in cælo gloriosum. 1. Sortitus animam bonam, tam accuratam ejus curam habuit, ut nulla labe graviore illam inquinârit, leviorem vix aliquam humana fragilitate contraxerit. Virtutum autem omnium tanto splendore eam exornavit: ut non solùm Angelos cum D. Barbara, sed ipsum Angelorum Dominum cum Matre sua allexerit ad se invisendum. Nostra adolescentia & juventus quomodo translacta: Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris Domine. 2 Ut partas cælitus gratias, & virtutum thesaurum in tuto collocaret Stanislaus, augeretq; continuo incremento: suadente DEIpara, Religiosis Societatis IESU accenseri petijt, at ô quantum laboris impendere oportuit, donec impetraret! postquam impetravit, & religiosum tyrocinium Romæ ingressus est: illico veteranus asceta apparuit, magisq; idoneus, qui alios doceret, quàm ab illis disceret. Consummatus ergo in brevi, cùm præmatura, solida tamen virtute explevisset tempora multa: ipsa nocte Assumptionis in cælum Virginis DEIparæ, quam Matris loco semper habebat, assumi ab eadem meruit ad Societatem civium supernorum. 3. Quanta gloria, & potentia ibi donatus sit: demonstrant ingentia miracula, per orbem universum patrata, præsertim mortui sex suscitati, & formidabilis Turcarum potentia ad Chocimum profligata: quando visus est, monente DEIpara pro Polonia sua throno Divinæ Triadis supplex accedere. Sic DEUS Stanislao, tanquam alteri Danieli, in flore juventutis dedit honorem senectutis. Nostra quando tandem maturescet virtus? Imò quando gemmare incipiet?

De S. ELISABETH Vidua. 19. *Novemb.* Vide II. 120.

De S. CATHARINA Virg. & Mart. 25. *Novem.*

VEnerare Alexandrinam Virginem, Doctorum Magistram, gloriosam Christi Martyrem S. Catharinam, & considera eam Sapientissimam in studio & usu literarum, in æstimatione rerum, & electione mortis pro Christo. 1. Scientijs naturalibus ita studuit, & excelluit: ut ijs non inflaretur, etiam post devictos orbis doctissimos. Non utebatur illis ad jactantiam, sed pro religione: nec acquiescebat illarum maximis tanquam oraculis: sed eas cum Christianæ fidei oraculis conferebat, & corrigebat. Rara sapientia; sapere ad sobrietatem, & rite ordinare scientias. 2. Res humanas & divinas æstimabat secundùm altissima & æterna principia: quod propriè sapientis est. Pleriq; pretium rerum desumunt ab usu & oblectatione sensuum: Bona præsentia, quantumvis minora, præferunt futuris: suspici & honorari amant, contemptum fugiunt & vindicant. Rari sunt, qui sciant separare pretiosum à vili. At Catharina Divinis oraculis edocta, terrenæ

terrena habuit pro nihilo, præsentibus bonis utebatur, quantùm exigebat necessitas, & eorum ſciebat utilitas ad obtinenda bona æterna. Pluris faciebat, eſſe Chriſti ancillam, quàm Imperatoris conſortem. 3. Nunquam deſipimus turpiùs, quàm dum erramus in electione, ubi proponitur vel DEVS deſerendus, vel omittendum aliquod temporale lucrum aut oblectamentum. At Virgo Sapiens, & Sapientum Magiſtra Catharina, non habuit de quo deliberaret in eo caſu, certa & prompta, amittere potiùs omnia & vitam ipſam, imò quævis ſubire tormenta, quàm ſeparari à DEO, & jacturam facere gratiæ ejus. Quâ ſapientiâ tam feliciter imbuit devictos à ſe Philoſophos, Porphyrium Ducem cum ſua cohorte, & Imperatricem ipſam: ut omnes non dubitârint amittere capita potiùs, quàm DEVM. Honoravit hanc ſapientiam Martyris ſuæ DEUS, quando Corpus ejus Angelorum manibus voluit deponi in cathedra ſua: id eſt in monte Sinai, è quo legem dedit populo Iſraelitico. O Virgo ſapientiſſima, inſtrue & nos divina hac ſapientia: ſine qua ſtultiſſimi ſumus mortalium, & brutis ſimiliores, quàm rationalibus creaturis.

COROLLARIUM.

ADverte deniq; Benevole Lector: Meditationes, quas hactenus tibi ſuppeditavi duplici modo inſtitui poſſe. Primò *per modum ſimplicis attentæ Conſiderationis; nimirum mentem directè defigendo in objecta, quæ in ſingulis Meditationum Punctis proponuntur, v. g. in DEVM, Chriſtum D. DEIparam V. & Sanctos: eorumq; perfectiones, affectiones, verba, vel actiones diſtinctè luſtrando, diſcutiendo, ponderando, conferendo &c. ut inde congruos concipiamus, & eliciamus affectus tum erga illos, tum erga nos ipſos, tum erga alias quaſdam materiæ præſenti affines res vel perſonas.* Et *hic modus Meditandi ordinarius eſt.*

Secundò *inſtitui poteſt Meditatio tota per modum Colloquij duplicis: quorum unum* Diſcurſivum, *aliud* Affectuoſum *apellari poteſt. Vt ſiſtatim initio debita cum reverentia alloquaris præſentem DEVM (ſimiliter poſtea Chriſtum D. & DEIparam V.) atq; familiarem & humilem cum ipſo diſcurſum inſtituas, examinando atq; expendendo certam ejus perfectionem, operationem, aut dicta: ac deinde ad aliud tranſeas Colloquium cum dictis Perſonis; quod in pijs, ferventibus & materiæ conſideratæ conſentaneis affectibus conſiſtit, ideoq;* Affectuoſum *dicitur. V. g. Poſtquam te ſtatuiſti in conſpectu præſentis DEI, & inſtantem Meditationem in ejus gloriam & profectum tuum ipſi obtuliſti; gratiam quoq; ſupplex petiiſti, ut videas & facias voluntatem ejus ſic: inſtitui poteſt Meditatio per Colloquium Diſcurſivum.*

Adoro humillimè infinitam Majeſtatem tuam Opt: Max: DEVS: atq;

inteq

inter cæteras summas perfectiones tuas (vel præstantissimas Operationes, si Meditatio sit de aliquo opere Divino) *suspicio perfectionem N. v.g. mirabilem Existentiam tuam. Existere te verè, & necessario; credo firmissimè, & coram cœlo terraq; confiteor; paratus vel sangvine vitâq; profusis hanc veritatem contestari. Existis autem, sine ullo existendi initio, vel fine; existis ab æterno in æternum; non ab aliquo productus; sed à te ipso, per te ipsum, & in te ipso existis & subsistis: ut nemini debeas esse tuum & cætera omnia Tibi debeant suum. Quomodo enim existeres ab alio, qui es Primũ & Universalissimum rerum ac temporum omnium Principium? Tuæ mirabilissimæ & solidissimæ Existentiæ testimonium perhibent cælum & terra, & omnia, quæ in eis sunt. Quis enim hæc omnia operatus est? quis conservat & gubernat?* Si *interrogemus Cælũ & omnia ejus luminaria, materialia & spiritualia, stellas & Angelos: quis creavit vos? Respondebunt sine mora: Ipse fecit nos, & non ipsi nos &c.* Et *sic cætera, quæ in prima Meditatione hujus Libri compendio suppeditantur, formari in Colloquium discursivum possunt, & prolixiùs tractari, intermicantibus breviter congruis affectibus. Tandem ubi cor concaluerit: instituendum est Colloquium Affectuosum, erumpendo in graviores & prolixiores affectus. v.g. humiliando nos coram Divina Majestate, extollendo ipsius Excellentiam. & gaudendo de ea; dolendo de peccatis nostris, petendo certas gratias &c: deniq; certum concipiendo, & offerendo divinæ Majestati Propositum.*

Hac methodo proponit Puncta Meditationum suarum de DEO & Perfectionibus Divinis Peritissimus Asceta, P. Jacobus Alvarez S. I. Tom 3. testaturq; eam multũ attulisse fructũ. Valet enim plurimùm ad continendam mentem, & procedendum reverentiùs cum DEO, J. & M Non debet autem hujusmodi Discursivum Colloquium operosè, & velut ex arte Rhetorica, more Panegyristarum alloquentium Principem, concinnari, cum fatigatione capitis: sed simpliciter jam instar amici conferentis cum honoratiore Amico, jam Filii cum Patre, iam subditi cum Domino suo, vel mendici cum Divite, aut infirmi cũ Medico: quibus necessitas & egestas sua facile suppeditat sensus & verba congrua tum in laudem alterius, tum in commodum suum. Tu Benevole Lector, utere modo Meditandi, qui tibi facilior & utilior accidet.

Ad Majorem DEI O. M. Gloriam, & DEIparæ V. Sanctorumq; O. Honorem.

Index Rerum

INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

Primus & major numerus Partem Libri, alij Paginam denotant.

A.

D.

E.

T.

V.

246.



INDEX

INDEX CONCIONUM

Cum prævia METHODO amplificandi Propositiones, & Sententias breviores.



N fronte hujus Breviarij pollicitus sum tibi, *Lector Benevole*, Conciones in Triennium paratas, vel facilè parabiles; qvas me jam dedisse; docebit usus Libri, & testabitur, qvi seqvitur, Index. Qvamvis enim id ex instituto non egerim; ut Conciones formarem: concionibus tamen idoneam, nec parcam, me suppeditâsse materiam, facilè deprehendes. Nimirum cum idem sit Scopus Ecclesiastæ & Ascetæ, qvi non in antris deserti, sed in medio populi versatur: scilicet promovere DEI O. M. Salvatoris nostri, V. DEIparæ, Divorum Cœlitum, Virtutumq; Christianarum notitiam, æstimationem, amorem, & cultum, per fugam peccatorum, & vitam Christiano Religiosoqve dignam: eâdem operâ, qvod proponitur isti ad legendum & meditandum, suppeditatur illi ad prædicandum. Nec possunt utiliores formari conciones, qvàm qvæ in Meditatione Spirituali concipiuntur, vel ex illa spiritum trahunt & robur.

Complures igitur deprehendes Lectiones, quæ junctæ Meditationibus, sufficientem concioni justæ, & non ad tædium prolixæ, præbeant materiam. Aliæ ex alijs aliorum dierum Meditationibus vel Lectionibus; vel certe adhibita congrua Amplificatione secundum Artem Oratoriam, alijsque nonnullis adhibitis Industrijs, facile dilatabuntur. Quod quomodo fieri possit commode, paucis expono in gratiam eorum, qui in sacris exedris vel nondum, vel modice sunt exercitati. Ut proinde ex brevibus S. Scripturæ & SS. Patrum sententijs suprà adductis, Sacra crescat Oratio magnis incrementis, & modicis impensis: usui esse poterunt seqventes Industriæ.

Primò. Cum omnis Propositio & Sententia constet Subjecto, Prædicato & Copula: accipiatur inprimis ejus Subjectum (seu res, de qua aliqvid dicitur) & per Locos Dialecticos, qvi *Intrinseci* vocantur, & ad ipsam rei substantiam pertinent, ducatur; considerando, qvæ sit ejus Natura? Quæ Partes sive physicæ, sive metaphysicæ, sive morales? Quæ Causa Efficiens, Materialis, Formalis, & Finalis? Et sic dabitur occasio, rem definiendi & describendi, partes ejus enumerandi, atq; commendandi eam vel vituperandi ex causis suis: cum non possit esse fructus bonus arborum malarum; vel contra. Similiter faciendum cum Prædicato, si opus fuerit.

Secundò. Considerandum Subjectum & Prædicatum Propositionis vel Sententiæ, qvoad Effectus suos, & quoad Antecedentia & Conseqventia ipsum; potissimum autem quoad Adjuncta ejus, & Circumstantias, jux-

ta Versiculum illum: *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.* Plerumq; hæc sola sufficiunt prolixæ Amplificationi.

Tertiò. Circumspiciendum: cuinam Res in subjecto vel prædicato posita, sit Similis vel Dissimilis: Cum quo comparari possit, ut par ipsi, vel major aut minor? Cui sit opposita, & cum quo repugnantiam habeat?

Qvartò. Consulenda Memoria, & Scripta propria, seu *Notata*: atq; inde petenda Testimonia & Exempla Propositioni, vel Sententiæ dilatandæ convenientia. Ad cujus elucidationem, non ad eruditionis ostentationem, adhiberi etiam moderate poterunt Symbola, Hieroglyphica, Parabolæ &c.

Quintò. Scrutandæ sunt variæ Rationes, propter quas tale prædicatum affirmatur, vel negatur, de tali Subjecto: qvæ etiam ex celebribus illis argumentorum officinis peti possunt; scilicet ab Honesto, Utili, Necessario, Facili, Jucundo, imò & Glorioso. Adverte insuper: In hoc Breviario tradi tibi Generalem unam Rationem pro suadenda vel dissuadenda qualibet Actione: Qvia nimirum *Placet aut Displicet DEO, JESV, & MARIÆ.* Similiter pro extollenda & commendanda qvavis virtute seu perfectione: Quia nimirum *invenitur in DEO, JESV & MARIA*: qvos imitari decet atq; oportet.

Sextò. Videndum: an non sint varij sensus, seu Interpretationes Doctorum ejus, quam tractas, Sententiæ; prout fieri solet in Sententijs Sacræ Scripturæ. Seligendæ ergo probabiliores, & intento tuo convenientiores: non autem quarumlibet farrago congerenda.

Septimò. Singula verba Sententiæ sigillatim expendenda sunt, & latentes in ipsis sensus eruendi. Qvod vel maximè circa Sententias S. Scripturæ practicandum: in quibus nullus apex est otiosus, & omnia mysterijs vel doctrinis plena. Cavendum tamen diligenter: ne explicationes fiant leves, coactæ, & mente Spiritus Sancti indignæ.

Octavò. Consuli possunt Concordantiæ S. Bibliorum: Quidnam habeant de Subjecto, Prædicato, vel alia notabiliore dictione Sententiæ. Sæpe enim suggerunt insignes textus cùm ad probationem textus, tum ad probationem, tum ad illustrationem peridoneos. Verùm & hìc prudente delectu opus est.

Nonò. Si Ratio, quam suggerit Sententia, aut quæ inventa est ad comprobandam, vel declarandam sententiam, efferatur per aliquam argumentandi Formam, v. gr. per Enthymema, vel Syllogismum perfectum: mirifice & solide amplificabitur oratio.

Decimò. Rationes, conceptus, & sensus, eruti modis prædictis, illustrentur, & exponantur adhibitis gravioribus Rhetorum Figuris: quales sunt Interrogatio, Subjectio, Repetitio, Apostrophe, Exclamatio, Hypotiposis,

Sustenta-

Sustentatio, Ethopœia, Prosopopœia, Distributio &c. & non tantùm crescet Oratio, sed insignes animorũ motus excitabit. Et certè expedit; hujusmodi Amplificandi modis potiùs uti, quàm operosè multam corradere Eruditionem: qvæ plerumqve plus parit Vanitatis in Concionatore, qvàm solidi fructus in Auditore.

Vndecimò. Deprehendes in hoc Breviario non paucos Locos Communes; qvibus uti licebit, & juvabit, in varijs materijs, v. g. de Excellentia DEI, JESU, & MARIÆ, de præstantia ac necessitate Christianæ ac Religiosæ Perfectionis, de studio virtutum, de odio vitiorum, imo & imperfectionum, de Timendo & Amando DEO, de Studio patiendi &c. &c.

Duodecimò. Deniq; ipsum quotidianarum Meditationum Exercitium præbebit magnam facilitatem copiosè graviterq; loqvendi de rebus spiritualibus & pijs: siqvidem passim ex abundantia cordis os loqvitur. Nec facile lingva loqvetur inania, cui mens suppeditabit probè meditata.

Non vacat: proponere hìc Paradigma traditæ Methodi. Videri autem facile potest in Lectione duplici, posita *Fer. 2. & 3. Dom. I. Advent.* in qvibus probatur, & amplificatur hæc Propositio: *Omnibus qvotidie vacandum est piæ Meditationi.* Videbis ibi statim initio Lectionis fer. 2. amplificatum Subjectum *Omnibus*, per Enumerationem Partium Moralium: deinde Prædicati, scilicet *Studij piarum Meditationum*, Definitionem seu Descriptiones, Effectus eximios, Utilitatem, Necessitatem &c. Ad qvam probandam adducta ibidem est ex Jeremiæ cap. 12. Sententia: *Desolatione desolata est terra: qvia nullus est, qvi recogitet corde.* Cujus non solùm Subjectum, scilicet *Terra*, & prædicatum *Desolatio*, exposita sunt: sed etiam Ratio adjuncta, & fere singula Sententiæ verba discussa. Deinde per *Contrarium* exposita gravissima damna *Omissionu talium Meditationum*: & omnia Exemplis confirmata. Qvibus si Rhetoricæ accessissent Figuræ (consultò neglectæ ab Asceta) altero tanto excrevissent Lectiones illæ.

Unum his addidero. Cui placuerit ex hoc Breviario materiam petere Concionum; advertat: non omnia promiscuè dicenda esse pro Concione publica, qvæ privatæ Lectioni & instructioni sunt proposita. Specialiter, qvæ perstringunt Personas publicas, uti etiam Ecclesiasticas & Religiosas, vix sine offensa vel scandalo, publicè tractari possunt. Proinde etiam Exempla qvædam deteriora hujusmodi Personarum hìc inserta subinde, sub generali solùm nomine Vitiosorum, vel minus proborum hominum, adducenda erunt. Sic igitur instructi Ecclesiastæ eructabit cor verbum bonum: & placebunt verba & opera ejus regum REGI, facientq; fructum optatum in Auditore.

Numerus

Numerus primus & major Partem Libri, posteriores paginam designant.

[illegible]

SUppeditabunt facile uni Concioni materiam Meditationes pro ipsis concinnatæ: quarum cùm singulæ tribus vel quatuor constent Punctis, historiam de Sancto, & pium aliquem sensum vel affectum insinuantibus; facile excrescent in Sermonem satis copiosum, si Methodus amplificandi sup. tradita adhibeatur, & ex Corpore Libri opportuna Eruditio aliqua excerpatur. Altera Concio formari poterit, accipiendo ex Vita Sancti insigniorem aliquam virtutem, seu illustrius factum, vel specialem honorem ipsi à DEO aut hominibus delatum: atq; illa fusiùs exponendo, adhibitâ eruditione, quam suggerent ex Indice Rerum Tituli talium Virtutum, & Verba Sanctitas, Justitia, Perfectio, Sancti, Justi, Beati, Servi DEI &c. &c. Tertiam Concionem, juxta Methodum non paucorum Prædicatorum, dabit Discursus aliquis Moralis, Evangelicæ Sententiæ congruens, ex Lectionibus sup. traditis petitus: deinde quidpiam ex Vita Sancti subjungitur.

Hæc cultiori & fœcundiori ingenio tuo insinuasse, Lector Benevole, mihi, aliud agenti, sufficit. Claudo Breviarium illo Psalmographi Invitatorio Psal. 33.

Magnificate DOMINUM mecum: & Exaltemus Nomen ejus in idipsum.



NB.

In secunda Parte sunt in una phylura (pagina 199) Literæ Cc. Dd. Ee. Sequitur in altera Ff. ideoque nihil deest.

Anno Dni 1729

